BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
32 N
24


Digitized by Google

Digitized by Google

SUMMA
THEOLOGIÆ
AD USUM SCHOLÆ ACCOMODATA
TOMUS SEXTUS,
QUI TRACTATUM COMPLECTITUR
DE PECCATIS.

AUCTORE
NICOLAO L' HERMINIER
SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORE,
INSIGNIS ECCLESIÆ CENOMANENSIS CANONICO THEOLOGO,
ET IN EADEM ECCLESIA ARCHIDIACONO DE PASSAIO.

EDITIO PRIMA VENETA
AD POSTREMAM PARISIENSEM
Ab innumeris mendis expurgata, ac Indicibus locupletiſſimis aucta.



VENETIIS
MDCCLXI.
TYPIS JO. BAPTISTÆ PASQUALI.
CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS DE PECCATIS.

Nomen & definitio Peccati.

PEccare, græce ἁμαρτάνειν idem eſt ac aberrare a ſcopo, non attingere ſcopum, quo ſenſu non peccabant Benjamitæ, cum fundis mittebant lapides, Judicum cap. 20. & Job cap. 5. verſ. 24. *Scies quod pacem habeat tabernaculum tuum, & viſitans ſpeciem tuam non peccabis;* hoc eſt, ſcopum attinges quem tibi propoſuiſti. Quapropter *peccare* ſi ſumatur moraliter, eſt aberrare ſeu recedere a norma præſcripta a Deo; & *peccatum* eſt aberratio a lege, vel pugnantia cum lege; quo ſenſu voces iſtæ a nobis accipientur in hocce tractatu. Variæ porro hujus nominis acceptiones paſſim leguntur in Scripturis.

1°. Peccatum quandoque ſumitur in Scripturis pro *peccatore*, quo ſenſu hæc de Chriſto leguntur 2. Corinth. 5. 21. *Pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Ubi per peccatum intelligi poteſt *peccator*, propter antitheſim quæ ſubjicitur, ita ut ſenſus ſit, Chriſtum factum eſſe *peccatorem*, non quidem in ſe & proprie, ſed improprie loquendo & in nobis, quatenus omnia peccata noſtra, & tanquam vadi noſtro imputavit Deus.

2. Peccatum aliquando ſumitur pro victima vel ſacrificio, ut loco mox citato 2. Corinth. cap. 5. 21. quaſi dixerit Apoſtolus ſacrificium feciſſe Chriſtum Dominum, ut a peccato liberaremur. Id apertiſſime docet S. Auguſtinus tract. 41. in Joann. his verbis, *Cum de ſacrificiis enim præciperet Deus offerendis pro peccato, in quibus ſacrificiis non erat expiatio peccatorum, ſed umbra futurorum, eadem ipſa ſacrificia, easdem ipſas hoſtias, easdem victimas, eadem ipſa animalia quæ admovebantur mactanda pro peccatis, in quorum ſanguine ſanguis ille figurabatur, peccata lex appellat uſque adeo in quibusdam locis ſcriptum ſit; ita ut ſacerdotes immolaturi ponerent manus ſuas ſuper caput peccati, id eſt, ſuper caput victimæ immolandæ pro peccato.*

3. Peccatum aliquando accipitur in Scripturis pro cauſa peccati, vel materia, in qua peccatum admittitur; ſic Idola dicuntur *peccatum*. Deuter. cap. 9. 21. *Peccatum autem veſtrum quod feceratis, id eſt vitulum, arripiens igne combuſſi, & in fruſta comminuens.* Et ſimiliter 4. Regum cap. 10. 27. *Delevit itaque Jehu Baal Iſrael, verumtamen a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſrael, non receſſit, nec dereliquit vitulos aureos qui erant in Bethel & in Dan.*

Inſuper peccatum in multis locis ſumitur pro pœna peccati, Geneſ. 4. & 7. *Nonne etſi bene egeris, recipies; ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit?* hoc eſt peccati tui pœna quæ raro deſeruit ſceleſtum. In aliis ſumitur peccatum pro cauſa peccati; unde illud dicitur alicui eſſe ſeu verti in peccatum, vel eſſe ei cauſa peccati quod in eum exitiales pœnas acceſſit; & peccare in animam ſuam, id eſt in ſeipſum, qui ſibi ipſi cauſa eſt exitii, quo etiam ſenſu Apoſtolus perſæpe concupiſcentiam dicit eſſe peccatum. Denique in aliis locis peccata appellantur *debita*, quemadmodum in oratione dominica: *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus.*

Digitized by Google

noſtris. Et hæ ſunt præcipuæ peccati acceptiones in divinis litteris uſurpatæ.

Ex S. Thoma quæſt. 2. de peccatis, art. 2. malum, peccatum, & culpa differunt: *Sed conſiderandum eſt*, inquit, *quod hæc tria malum, peccatum, & culpa ſe habent ad invicem, ut communius & minus commune; nam malum communius eſt, in quocumque enim ſive in ſubjecto, ſive in actu ſit privatio formæ, aut ordinis, aut menſuræ debitæ mali rationem habet. Sed peccatum dicitur aliquis actus debito ordine aut forma, ſive menſura carens; unde poteſt dici quod tibia curva ſit mala tibia? non tamen poteſt dici quod ſit peccatum, niſi forte eo modo loquendi, quo peccatum dicitur affectus peccati, ſed ipſa claudicatio peccatum vel naturæ, vel artis, vel mortis. Sed rationem culpæ non habet peccatum niſi ex eo quod eſt voluntarium, nulli enim imputatur ad culpam aliquis inordinatus actus, niſi ex eo quod eſt in ejus poteſtate. Et ſic patet, quod peccatum eſt in plus quam culpa, licet ſecundum communem uſum loquendi apud Theologos pro eodem ſumatur peccatum & culpa*.

Deinde vitium & peccatum inter ſe differunt, in eo ſcilicet quod vitium eſt habitus inclinans ſubjectum in quo eſt ad operationes moraliter malas; peccatum vero ſit ipſa actio moraliter mala. Quod autem ſpectat proprie dictam peccati in genere definitionem, quatenus nimirum ſub notione deviationis a lege conſideratur, multiplex quoque aſſignari poteſt.

Celebris eſt inter alias hæc S. Auguſtini lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. *Peccatum*, inquit, *eſt factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem*. Quam quidem definitionem ut convenientiſſimam approbat S. Thomas 1. 2. q. 71. art. 6. & alii deinceps plerique Theologi.

Verum diſſimulare non poſſumus eam non eſſe peccati in genere accuratiſſimam definitionem. 1. Quia non competit omni peccato; non peccato originali, quod ſane in parvulis non eſt factum vel dictum vel concupitum contra legem æternam; & ſimiliter non competit peccato omiſſionis, quod nec eſt dictum, nec factum, nec concupitum, ut per ſe patet. 2. Quia multa ſunt peccata, quæ proprie loquendo, non ſunt contra legem æternam, ſed tantum remote & indirecte, qualia ſunt ea quæ legibus humanis adverſantur. 3. demum, quia ejusmodi definitio traditur per repugnantiam cum lege æterna, quæ quidem repugnantia non eſt ratio primaria & formalis, per quam peccatum conſtituatur in ratione peccati, quandoquidem, ut mox dicturi ſumus, id omne quod malum eſt ex natura ſua, non eſt peccatum, quia legi æternæ repugnat, quia peccatum eſt.

Peccatum aliter definitur ab eodem S. Auguſtino lib. de duabus animabus cap. 11. *voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*: quæ quidem definitio, teſte ipſo Auguſtino, non convenit omni peccato; cum enim eam avidiſſime arripuiſſet Julianus, ut inde colligeret nullum eſſe peccatum originale in infantibus; quandoquidem in iis non fuit voluntas retinendi quod juſtitia vetat, nec illis liberum fuit abſtinere, ut videre eſt lib. 1. operis imperf. cap. 47. hanc eandem definitionem reſtringit S. Auguſtinus ad ſolum primi parentis peccatum. *Ipſe eſt Adam*, inquit reſpondens Juliano, *quem noſtra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur, cum dicerem, Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere. Adam quippe omnino, quando peccavit, nihil in ſe habebat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum, & propter quod diceret, Non quod volo facio bonum, ſed quod nolo malum hoc ago ... Ac per hoc ſi tria iſta diſcernas, & ſcias aliud eſſe peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque, id eſt, iſta peccatum ut ipſum etiam ſit pœna peccati, intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem, ubi voluntas eſt agendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*.

Quan-

Quanquam vero hanc ſuam peccati definitionem ad ſolum primi parentis peccatum reſtringat S. Auguſtinus, inferri propterea non debet cum Janſenio, jam tum homines in hoc ſtatu naturæ lapſæ vera libertate ſpoliatos, quaſi ita ad peccatum impellantur ut ab eo abſtinere iis non ſit liberum; id unum quippe loco citato oſtendere conatur Auguſtinus perinde non eſſe nunc hominibus liberum abſtinere a peccatis propter urgentes concupiſcentiæ motus, ut ipſi Adamo liberum fuit in ſtatu naturæ innocentis, quod apertiſſime declarat ibidem. *Multa quippe ſunt*, inquit, *quæ agunt homines mala, a quibus eos liberum eſt abſtinere; ſed nulli tam liberum eſt quam illi fuit qui Deo ſuo, a quo erat conditus rectus, nullo prorſus vitio depravatus aſtabat*. Quo fit ut illa S. Auguſtini reſponſio noſtræ libertati neutiquam præjudicet, ut fuſius a nobis oſtenſum eſt in tractatu de actibus humanis.

Sunt & aliæ paſſim peccati definitiones apud eundem S. Auguſtinum, v. g. lib. 1. de libero arbitrio cap. ultimo ait peccatum nihil aliud eſſe, *quam neglectis rebus æternis quibus per ſe ipſam mens fruitur, & per ſe ipſam præcipit, & quas amans amittere non poteſt, temporalia & quæ per corpus hominis partem viliſſimam ſentiuntur & nunquam eſſe certa poſſunt, quaſi magna & miranda ſectari. Nam hoc uno genere omnia malefacta, id eſt peccata mihi videntur includi.*

Aliam peccati naturam aſſignat l. 1. de doctrina chriſtiana cap. 3. in eo ſcilicet poſitam, quod utamur fruendis vel fruamur utendis, cum ordo poſtulet contra ut fruamur fruendis & utamur utendis. *Res ergo aliæ ſunt*, inquit, *quibus fruendum eſt, aliæ quibus utendum, aliæ quæ fruuntur & utuntur. Illæ quibus fruendum eſt, beatos nos faciunt. Iſtis quibus utendum eſt, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, & quaſi adminiculemur, ut ad illas quæ nos beatos faciunt, pervenire, atque his inhærere poſſimus. Nos vero qui fruimur, & utimur inter utraſque conſtituti, ſi eis quibus utendum eſt frui voluerimus, impeditur curſus noſter, & aliquando etiam deflectitur, ut ab his rebus, quibus fruendum eſt obtinendis vel retardemur, vel etiam revocemur, inferiorum amore præpediti. Frui enim eſt amore alicui rei inhærere propter ſe ipſam. Ubi autem, quod in uſum venerit ad id quod amas obtinendum referre, ſi tamen amandum eſt, nam uſus illicitus abuſus potius vel abuſio nominandus eſt.*

Denique eſt alia peccati definitio apud S. Auguſtinum, qua nempe dicit peccatum eſſe amorem ſui uſque ad contemptum Dei, quemadmodum contra virtus poſita eſt in amore Dei uſque ad contemptum ſui, ſic loquitur ſanctus Doctor lib. 14. de civitate Dei cap. 28. *Fecerunt*, inquit, *civitates duas amores duo, terrenam ſcilicet, amor ſui uſque ad contemptum Dei, cœleſtem vero amor Dei uſque ad contemptum ſui.*

Verum ut ingenue dicam quod res eſt, hæ definitiones aliæque plane ſimiles, ſunt potius deſcriptiones, quam veræ & accuratæ, quales deſiderantur in ſcholis, definitiones.

Quapropter hanc emendationem puto peccati in genere ſpectati definitionem, qua dicitur *voluntaria legis tranſgreſſio*, hæc quippe definitio explicat naturam peccati, ita ut omni & ſoli peccato competat; ſcilicet omne peccatum ſeu ſit commiſſionis, ſeu omiſſionis, ſit mortale vel veniale, ſit in leges divinas vel humanas, eſt certe voluntaria legis tranſgreſſio; quonam vero ſenſu recte dici poſſit peccatum ipſum originale in infantibus eſſe voluntarium, quod unum hic nonnihil difficultatis faceſſere poſſe videtur, paulo infra declarabimus, ubi fuſius de peccato originali diſſeremus.

Hac porro præſuppoſita peccati definitione, qua dicitur voluntaria legis tranſgreſſio, quærunt Theologi an omne peccatum, eo ſit peccatum, quia prohibitum eſt; ita ut ſecluſa qualibet prohibitione nihil omnino malum eſſet, ſeu

quaſi

quaſi nihil per ſe & ſuapte natura malum ſit; quocirca ſit.

Utrum omne peccatum eo ſit peccatum quo lege prohibitum eſt.

CErtum eſt nullum eſſe peccatum quod non ſit aliqua lege prohibitum, ut patet tum ex inductione facta cujuslibet peccati, tum quia omne quod habet rationem peccati, tale eſt quia eſt intrinſece & ex natura ſua malum, vel quia fuit ab aliquo legiſlatore prohibitum; ſi primum, lege naturali prohibitum eſt; ſi ſecundum, lege poſitiva vel divina vel humana. qua ex cauſa diximus peccatum in genere recte definiri voluntariam legis tranſgreſſionem: ergo nullum eſt peccatum quod non ſit aliqua lege prohibitum.

Sed difficultas eſt; an omne peccatum ideo ſit peccatum quia vel lege æterna vel divina prohibitum eſt; ita ut antecedenter ad ejuſmodi prohibitionem non concipiatur eſſe peccatum.

Duplicem Dei prohibitionem hic diſtinguit Gregorius Ariminenſis in 2. diſt. 34. q. 1. art. 2. alteram indicativam, alteram imperativam. Indicativa ea eſt quæ ſignificatur per aliud præceptum, ex quo ſequitur aliquid eſſe malum & fugiendum, quomodo prohibetur furtum in illo Scripturæ teſtimonio, *raptores, avari regnum Dei non poſſidebunt*, quia ex eo quod furtum pœna æterna punitur, ſatis intelligitur illud eſſe malum. Imperativa prohibitio ea eſt, quæ per verbum Imperativi modi explicatur, ut ſi dicatur, *fac iſtud, illud fuge*.

Quibus poſitis docet iſte Theologus multa quidem eſſe peccata abſque omni prohibitione Imperativa, ſed tamen neceſſariam eſſe prohibitionem ſaltem indicativam, ut aliquid ſit peccatum, quo ſenſu, inquit, explicari debent multa SS. Patrum teſtimonia, qui affirmant ideo aliquid eſſe peccatum, quia prohibitum eſt. Ab illa ſententia non omnino recedit Almainus Tract. 3. Moral. cap. 15. & 16.

Hic tamen propoſitam difficultatem explicandi modus mihi non placet; per illam enim prohibitionem indicativam, vel intelligitur ea quæ fit per judicium rectæ rationis & uniuſcujuſque conſcientiam: quæ cum ſit proxima actionum noſtrarum regula, indicat quid ſit malum, quidve fugiendum; vel intelligitur ea quæ fit per aliquam Dei legem, quæ ſaltem indicet ſine imperio quid malum ſit, quidve illicitum: primum quidem non intelligit Gregorius: explicans enim præfatam prohibitionem quam appellat indicativam, is in exemplum adducit legem aliquam divinam. Si vero hanc intelligat prohibitionem indicativam de lege divina, profecto hæc ſententia, ut mox oſtendetur, eſt falſiſſima; ſunt enim aliqua peccata ex ſe atque intrinſece mala ante omnem Dei prohibitionem non ſolum imperativam, ſed & indicativam.

Sunt alii Theologi qui cum putent Deum pro ſupremo ſuo Imperio totam legem naturalem abrogare poſſe, propterea docent omnia quæ contra legem naturæ admittuntur peccata, ideo ſolum eſſe mala & peccata, quia libera Dei voluntate prohibentur; ita ut ſublata ejuſmodi prohibitione quæ libera fuit & a Deo potuit non fieri, nihil eſſet malum, nullum foret peccatum; quemadmodum quod non eſt malum, niſi quia humana lege libere ab homine lata prohibitum, potuit non eſſe malum & peccatum, quia potuit non eſſe prohibitum; eſt autem illa ſententia S. Bonaventuræ in 2. diſt. 35. in 4. dubio circa textum Magiſtri Ochami in 2. qu. 19. ad tertium & quartum dubium. Gerſonii in tractatu de vita ſpirituali Coroll. 10. Almaini tr. 3. Moralium cap. 15. eamque problematicam exiſtimat Antonius Cordubenſis lib. 3. q. 10. contra quos omnes ſit

Digitized by Google

CONCLUSIO.

Non omnia peccata ideo ſunt peccata, quia lege æterna vel divina prohibentur.

Et ratio eſt quia lex æterna eſt ratio Dei ſeu divini intellectus judicium quo ipſe judicat quid ſit bonum quidve malum, quid licitum; namque ut ait S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. *Lex æterna eſt ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans*. Atqui non omne peccatum ideo peccatum eſt, quia eſt contra hanc Dei rationem, contra hoc divini intellectus judicium; ſi enim omne peccatum ideo peccatum eſſet, quia contra Dei judicium eſt, intelligeretur prius aliquid cognoſci & judicari a Deo eſſe malum, quam revera illud ipſum in ſe malum eſſe: atqui nec dici nec intelligi poteſt aliquid prius a Deo cognoſci & judicari malum, quam reapſe malum eſſe: quia certiſſima eſt hæc dialecticæ regula cognitionem & judicium ſupponere objectum tanquam aliquid prius; quandoquidem cognitio eſt rei cujuſpiam repræſentatio, & judicium omne de aliqua refertur; ergo lex æterna judicans quid ſit bonum, quidve malum, præſupponit illud ipſum eſſe bonum & malum, ſaltem in nonnullis caſibus: adeoque non omne peccatum ideo peccatum eſt, quia eſt contra legem æternam.

Et certe non omne peccatum ideo peccatum eſt, quia lege æterna prohibetur, ſi ante omnem liberam Dei voluntatem & independenter ab ea aliquid ſit malum, injuſtum, iniquum: ſed ante omnem liberam Dei voluntatem & independenter ab ea quædam ſunt mala, injuſta, iniqua: ſcilicet ea quæ ex ſe & ex natura ſua naturæ rationali repugnant, cujuſmodi ſunt mendacium, odium Dei, cultus Idolorum & alia id genus: ſiquidem quod non eſt malum ex natura ſua, ſed ſolummodo quia ex libera Dei voluntate fuit prohibitum; poteſt aliquando non eſſe malum, ſi nempe a Deo non prohibeatur; vel etiam eſſe bonum, ſi ab eo præcipiatur: atqui ſine maxima abſurditate dici non poteſt Deum potuiſſe non prohibere vel præcipere peccata ſuperius recenſita, ſcilicet mendacium, odium ſui, cultum Idolorum; qua enim ratione Deus neceſſario ſe amat, neceſſe eſt ut ſui amorem aliis præcipiat, ab Idolorum cultu avocet, quemadmodum & a mendacio; aliter Deus poſſet & ipſe odio ſe proſequi, Idola colere; quin & mentiri, quod a communi ſenſu & ab omni ratione plane alienum eſt: ergo non omne peccatum ideo peccatum eſt quia libera Dei voluntate fuit prohibitum.

Hinc eſt quod Auguſtinus lib. 1. de arbitr. cap. 3. Evodio conſentit in eo quod affirmabat, non ideo malum eſſe adulterium quod vetatur lege, ſed ideo lege vetitum quod malum eſt. Neque audiendi ſunt nonnulli recentiores qui dicunt ejuſmodi factum, quod contra naturam rationalem admittitur, eſſe quidem peccatum, ſed non eſſe culpam, quia culpa eſt ratione poſitivi præcepti tale opus prohibentis. Siquidem licet peccatum univerſim ſumptum latius longe pateat quam culpa, ut paulo ſupra diximus, omne tamen peccatum in actu morali & libero culpa eſt; adeoque, ſi ante liberam Dei prohibitionem ſupponamus malitiam eſſe in actu libero, qui nimirum naturæ rationali repugnet, neceſſe eſt ſimiliter ut in eo ſit culpa.

Objicies: Sublata lege divina nullum eſſe peccatum diſerte affirmat S. Paulus non uno in loco, Rom. 4. 15. *ubi enim non eſt lex, non prævaricatio*. Cap. 5. 13. *Uſque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet*. Cap. 7. verſ. 7. *Peccatum non cognovi niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces*.

Idem docet S. Auguſtinus, cum lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. peccatum de-

deſcribit, *factum vel dictum, vel concupitum contra legem æternam*. Tum vero his verbis lib. 2. de peccatorum meritis cap. 16. *Nam nec peccatum erit, ſi quid erit, ſi non divinitus jubetur ut non ſit*.

Quibus aperte conſentit Divus Ambroſius lib. 2. de Paradiſo cap. 8. *Non enim*, inquit, *conſiſteret peccatum ſi interdictio non fuiſſet ..... quid eſt enim peccatum, niſi prævaricatio legis divinæ & cæleſtium inobedientia præceptorum?* Igitur peccatum ex eo ſolummodo peccatum eſt, quod lege æterna vel divina fuit prohibitum.

Reſpondeo ex illis autoritatibus nihil quicquam colligi poſſe adverſus noſtram ſententiam.

Ac primo quidem quod ait S. Paulus ad Romanos cap. 4. non eſſe prævaricationem, id eſt peccatum, ubi non eſt lex, utique veriſſimum eſt; nec diffitemur, ut paulo ſupra diximus, quin omne peccatum lege aliqua prohibitum ſit, nimirum vel lege divina, vel humana, vel naturali; id unum hic contendimus, de quo nempe controverſia eſt, non omne peccatum eo eſſe peccatum, quod lege æterna & divina prohibitum eſt, quia antecedenter ad ejuſmodi prohibitionem eſt aliquid ex ſe & ex natura ſua malum. Quod autem idem Apoſtolus teſtatur in locis immediate ſequentibus uſque ad legem [ſcriptam ſcilicet ſeu Moſaicam quæ divina erat) peccatum non fuiſſe aut ſaltem minime imputatum, profecto nullius eſt momenti; tum quia ejuſmodi argumentum nimis probaret, inde enim colligeretur antecedenter ad legem ſcriptam nullum fuiſſe peccatum, quod nec ipſi volunt adverſarii; tum quia id intelligit Apoſtolus non de omni peccato, ſed ſolummodo de peccatis deſiderii quæ ante legem ſcriptam non imputabantur, ut manifeſtum eſt illis verbis Rom. 7. v. 7. *peccatum non cognovi niſi per legem Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces*. Neque plus virium habent quæ objiciuntur ex SS. Auguſtino & Ambroſio; hi enim docent ſolummodo omne peccatum eſſe contra legem Dei, omne peccatum eſſe prævaricationem legis, quod utique concedimus, quia reapſe Deus omne peccatum prohibuit ſaltem in univerſum; quo fit ut omne peccatum ſit legis prævaricatio; ſed non inde ſequitur omne peccatum ideo peccatum eſſe quia lege divina vel æterna prohibitum eſt; tametſi enim ſupponeremus neutra lege prohiberi mendacium, odium Dei, blaſphemiam, cultum Idolorum & alia id genus; ea tamen forent peccata veri nominis, ſunt enim ex ſe, ex natura ſua & intrinſece mala, cum natura rationali manifeſte pugnantia.

Cæterum ſciri maxime debet per naturam rationalem, cui diximus repugnare id quod malum eſt intrinſece & ex natura ſua, non eſſe intelligendum judicium rationis actuale, quo judicat intellectus hoc aut illud malum eſſe & fugiendum, ſed intelligi debere legem naturalem, quæ ab ipſo judicio actuali magnopere differt, utpote quæ nihil eſt aliud quam ipſa natura rationalis poſita velut objectum cognitionis & judicii humani, eſtque debitus rerum ordo, debita rerum convenientia objective poſita, quæ actuale judicium noſtrum antecedit ut & ipſam cognitionem. Et ratio eſt quia ideo ſolum aliquid vere peccatum eſt, quia fit contra legem hoc ipſum prohibentem: atqui judicium rationis non prohibet malum per modum legis, non ſe habet ut lex prohibens: illud quippe non habet rationem legis quod præſupponit legem: atqui judicium rationis quo quis actu judicat aliquid eſſe honeſtum vel turpe, bonum vel malum, legem præſupponit: quia ſcilicet judicium actuale rationis ſe habet in ordine ad legem naturalem, ſicut in ordine ad legem poſitivam Principis: atqui judicium actuale noſtrum non eſt ipſa Principis lex, ſed illam præſupponit, ut cognitio præſupponit objectum. Ergo cum dicimus aliquod peccatum ideo eſſe peccatum, quia legi naturali adverſatur, antecedenter ad omnem legis æternæ & divinæ prohibitionem per legem na-

Digitized by Google

naturalem intelligi non debet judicium rationis.

At, inquies, nullum poteſt eſſe peccatum, quin præcedat judicium actuale quo judicetur aliquid eſſe malum: ergo omne peccatum ideo peccatum eſt, quia contra illud judicium rationis admittitur.

Nego conſeq. Idem enim ſolummodo colligi debet judicium de actionis malitia, ſicut & cognitionem prærequiri, ut actio cenſeatur mala, ſed non ſequitur peccatum eo formaliter & præciſe eſſe peccatum quod ſit contra judicium rationis. Deinde nego antecedens, poteſt enim aliquando peccatum admitti, licet non præceſſerit judicium actuale, quo quis judicaverit actionem eſſe malam, alioquin omnis ignorantia vincibilis excuſaret a peccato, quod nemo dixerit.

Dices iterum, qui peccat ex conſcientia erronea, ut ſi quis manducaret carnem non vetitam, putans illam eſſe vetitam, tunc ideo peccat, quia facit id quod judicat malum eſſe, licet reapſe malum non ſit: igitur aliquid peccatum eſt conſequenter ad operantis judicium.

Diſt. conſeq. eo ſenſu quod judicium operantis ſit una ex regulis bonitatis & malitiæ actuum humanorum, C. eo ſenſu quod ſit primaria regula, N. fatemur itaque aliquid peccatum eſſe quando ſit ab aliquo judicante illud eſſe malum; quando enim non eſt ex fide, hoc eſt, juxta conſcientiam rectam, peccatum eſt, ſed inferri propterea non debet primariam bonitatis & malitiæ actuum humanorum regulam eſſe actuale uniuſcujuſque judicium, hoc enim ſupponit ut quid prius legem naturalem, quæ quidem eſt reſpectu judicii actualis, ut objectum reſpectu cognitionis.

Quotuplex ſit peccatum.

SUnt qui primo peccata dividunt ratione objecti, in carnalia & ſpiritualia; carnalia ſunt ea quæ in carne conſummantur & quorum objectum eſt aliqua delectatio carnalis, ut gula & luxuria; ſpiritualia vero ea ſunt quæ non conſummantur in carne & quorum objectum eſt delectatio ſpiritualis, ut hæreſis, ſuperbia. Hujus diviſionis meminit Apoſtolus 2. Corinth. 7. 1. his verbis, *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus.*

Secundam peccatorum diviſionem repetunt ex perſonis quæ peccato læduntur; eſtque in peccata contra Deum, contra ſeipſum, & contra proximum, cujus diviſionis meminit idem Apoſtolus, ad Titum cap. 2. 12. his verbis, *ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo*: quæ quidem verba ita explicat S. Bernardus ſermone in illud, *ecce nos reliquimus omnia*, nimirum inquit, *ſobrie quoad nos, juſte quoad proximum, pie quoad Deum.*

Tertia peccatorum diviſio ex diverſitate graduum, eſt in peccata oris, cordis, & operis. Verum ut illa diviſio ſit peccati univerſim in tres peccatorum ſpecies, oportet, ut ex intentione propria peccans ſiſtat in unoquoque trium iſtorum graduum; ſcilicet ut conſentiat in delectationem turpis cogitationis ſine animo implendi opus, & hoc dicitur peccatum cordis; rurſus ut delectetur verbis obſcœnis, & tamen animum non habeat conſummandi opus, & hoc dicitur peccatum oris; denique ſi in opus etiam perrumpat, dicitur peccatum operis. Et ratio eſt, quia ſi ex intentione peccantis peccatum cordis & oris ſimul & ſemel ordinetur ad perficiendum opus, ut cum quis cogitat de committendo adulterio, & deinde verbis ſollicitat mulierem, ac tandem opere complet, hi tres gradus tres peccatorum ſpecies tunc non conſtituunt, ſed ſunt unum & ſimplex peccatum, unus & ſimplex actus moralis. Inſuper ſunt aliæ peccati diviſiones: aliquando enim dividitur ratione ſubjecti in peccata dæmonum & peccata hominum; aliquando ratione cauſæ in peccata ignorantiæ, infirmitatis & malitiæ, quæ quidem differunt etiam ratione ſubjecti, ignorantia enim eſt in intellectu, infir-

mitas in appetitu ſenſitivo , & malitia in voluntate.

Clarius vero longe & brevius peccatum univerſim ſumptum dividi poteſt in originale & actuale ; actuale vel eſt commiſſionis , vel omiſſionis ; utrumque vel eſt mortale vel veniale.

Peccatum originale ſic dictum , quia contrahitur a prima origine , vel quia ab origine mundi omnes in Adam peccaverunt, eſt illud quod ab ipſa origine & ortu reperitur in unoquoque hominum, vel etiam in infantibus, eſtque voluntarium voluntate Adami , a quo trahitur per carnalem propagationem. Actuale eſt illud quod propria voluntate admittitur.

Peccatum commiſſionis eſt illud quod pugnat cum præcepto negativo ; ut v. g. homicidium, quod pugnat cum iſto præcepto, *Non occides*; furtum quod pugnat cum iſto, *furtum non facies*. Omiſſionis eſt illud quod pugnat cum præcepto affirmativo , ut ſi quis parentibus honorem non exhibeat quem exhibere tenetur propter hoc præceptum affirmativum, *honora patrem & matrem* : hanc diviſionem appellant peccati diviſionem ratione legis.

Denique peccatum ratione reatus dividitur in mortale & veniale. Mortale eſt illud quod mortem infert animæ, quatenus privat eam gratia ſanctificante , æternamque Dei indignationem provocat, niſi per pœnitentiam deleatur . Veniale eſt leve quoddam peccatum quod non privat hominem gratia ſanctificante , nec niſi reatum alicujus pœnæ temporalis ſecum infert.

De his peccati ſpeciebus ſigillatim nunc & fuſe dicendum, quibus & alias adjungemus diſſertationes de ſubjecto, de cauſa & de effectibus peccati , ſicque totus hic abſolvetur tractatus: quocirca ſit

De Peccato Originali.

DE peccato originali hæc proponi atque examinari ſolent a Theologis. 1. Utrum exiſtat peccatum originale, 2. Quid ſit & in quo præciſe poſita ſit ejus eſſentia . 3. Quomodo traducatur ab Adamo in cæteros homines . 4. Utrum filii etiam fidelium contrahant peccatum originale . 5. Utrum ab eo immunis fuerit B. Virgo Maria in ſua conceptione . 6. Utrum alia etiam peccata & Adami & parentum transfundantur in poſteros . 7. demum, de variis peccati originalis effectibus .

De exiſtentia Peccati Originalis.

IN peccati originalis exiſtentiam & propagationem, tanquam hujus catholici dogmatis conjurati hoſtes quinto ſæculo inſurrexerunt Pelagiani . Sic illorum hac in parte doctrinam deſcribit S. Auguſtinus lib. de Hæreſibus hæreſi 88. *Parvulos etiam* , inquit , *negant ſecundum Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere . Sic enim eos ſine ullo peccati originalis vinculo aſſerunt naſci, ut prorſus non ſit quod eis ſecunda nativitate dimitti poſſit : ſed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad Regnum Dei, de bono in melius tranſlati, non iſta renovatione ab aliquo malo obligationis veteris abſoluti . Nam etiamſi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, ſed tamen æternam & beatam quandam vitam ſuam . Ipſum quoque Adam dicunt, etiamſi non peccaſſet, fuiſſe corpore moriturum, neque ita mortuum merito culpæ, ſed conditione naturæ.*

Atque id reapſe docuit Pelagius teſte Mario Mercatore initio Commonitorii , ubi ſic de eo loquitur : *Mox auſus in Apoſtolum Paulum commentarios condere, cum ad illum locum notiſſimum ad Romanos veniſſet Epiſtolæ ubi ita continetur . (Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit , & per peccatum mors , & ita in omnes homines mors pertranſiit) & cætera . Ibidem eos tantum reos dixit atque obnoxios illa prævaricatione teneri, qui hunc in prævaricandis Dei mandatis voluerint imitari, non omnes qui ex ejus ſunt per*

ſuc-

Digitized by Google

ſucceſſionum ſeriem ſemine generati: atque hinc latius de ſequentibus locis hujus Epiſtolæ diſputat, & pronunciat nullum hominem prorſus per generationem læſum fuiſſe nec lædi Adæ peccati tranſgreſſione, ſed imitatione, inquit, quia prior ille in genere humano peccavit, & illum reum & obnoxium fieri, qui hunc propria voluntate non naſcendo, ſed peccato, fuerit imitatus.

S. Auguſtinus lib. de peccato originali cap. 13. hæc Pelagii verba refert ex ejus libro de libero arbitrio deprompta: *Omne bonum & malum, quo vel laudabiles vel vituperabiles ſumus, non nobiſcum oritur, ſed agitur a nobis: capaces enim utriuſque rei non pleni naſcimur; & ut ſine virtute, ita & ſine vitio procreamur: atque ante actionem propriæ voluntatis id ſolum in homine eſt, quod Deus condidit.* Super quæ Pelagii verba ſic differit S. Doctor: *Nempe cernitis*, inquit, *in his Pelagii verbis, quod dogma contineatur amborum, de parvulis ſine ullius vitii ex Adam contagione naſcentibus. Non itaque mirum eſt, quod eos qui dicunt (Adæ peccatum ipſi ſoli obſuiſſe, & non generi humano; & infantes qui naſcuntur, in eo ſtatu eſſe, in quo fuit Adam ante prævaricationem) Cæleſtius damnare noluit.*

Teſte odem S. Auguſtino ibidem c. 14. omnibus Catholicis fucum fecit Pelagius, cum ſe admittere peccatum originale mentitus eſt: *Quod autem ſcitis*, inquit, *& quod in eo etiam libro poſui, quem de geſtis Palæſtinis ad venerabilem ſenem, noſtrum Aurelium ſcripſi, illa ego reſponſione Pelagii, totam iſtam quæſtionem conſumptam eſſe gaudebam, confeſſuſque mihi apertiſſime videbatur, eſſe in parvulis originale peccatum, anathema dicendo eis, qui peccato Adæ ipſum ſolum, non etiam genus humanum crederent læſum, & in eo ſtatu opinarentur eſſe parvulos, in quo ille homo primus ante prævaricationem fuit. Sed poſtea cum legiſſem quatuor ejus libros, de quorum primo libro paulo ante commemorata verba deſcripſi, & inveniſſem hominem adhuc contra Catholicam fidem de parvulis ſentientem; plus mirari cœpi, tam impudens in Eccleſiaſtico judicio & de tanta quæſtione mendacium.*

Scilicet eatenus ſubdole impoſuit Patribus Concilii Dioſpolitani, quatenus aperte confeſſus eſt primum Adæ peccatum toti humano generi obfuiſſe, ſed quemadmodum ipſe ſoluta ſynodo ſuis diſcipulis declaravit, non propagine, ſed exemplo, *non propagatione ſed exemplo*, inquit S. Auguſtinus cap. 15. *quid enim ad rem, de qua nunc agimus, pertinet quod diſcipulis ſuis reſpondet (ideo ſe illa objecta damnaſſe, quia & ipſe dicit non tantum primo homini, ſed etiam humano generi primum illud obſuiſſe peccatum, non propagine ſed exemplo) id eſt, non quod ex illo traxerint aliquod virium, qui ex illo propagati ſunt, ſed quod eum primum peccantem imitati ſunt omnes qui poſtea peccaverunt.*

Lib. 1. contra Julian. cap. 5. ſic alloquitur Pelagianos: *Et tamen dicere potuiſtis? (Adæ peccatum non propagatione ſed imitatione læſiſſe genus humanum, & infantes nuper natos non in eo ſtatu eſſe, in quo fuit Adam ante peccatum, quod ille præcepti capax fuerit, iſti adhuc non ſint.* Cap. 7. hanc ſententiam de imitatione appellat *novitium Pelagiani erroris machinamentum.*

Hæreticum hoc dogma liberius longe & apertius profeſſus eſt Cœleſtius Pelagii diſcipulus, ut teſtatur S. Auguſtinus lib. de peccato originali cap. 2. *Et Cæleſtius quidem*, inquit, *in hoc extitit errore liberior, uſque adeo ut neque in Epiſcopali judicio apud Carthaginem damnare voluerit eos qui dicunt (quod peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum; & quod infantes qui naſcuntur in eo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.) Et in urbe Roma in libello ſuo quem beato Papæ Zozimo dedit, id aſſeveravit expreſſius (quod parvulorum neminem obſtringat originale peccatum.)*

Teſte Mario Mercatore in Commonito-

nitorio, *Cæleſtius a Pelagio inſtitutus ſenſum iſtum impiiſſimum meracius imbibit, ac multos incredibili loquacitate amentiæ hujus ſuæ participes & complices fecit, auſuſque palam publiceque his verborum ſententiis ejuſdem ſenſum paſſim diſſeminare per populos, id eſt:*

Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, fuiſſet moriturus.

Quoniam peccatum Adæ ipſum ſolum læſit, & non genus humanum.

Quoniam infantes qui naſcuntur, in eo ſtatu ſunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem,

Quoniam neque per mortem Adæ omne genus hominum moriatur, quia nec per reſurrectionem Chriſti omne genus hominum reſurgit.

Quoniam infantes, etiamſi non baptizentur, habeant vitam æternam.

Quæ quinque capitula unam impiiſſimam & nefandam ſententiam generant.

Deinde hæc eadem docuit Julianus alter Pelagii diſcipulus, vir ex illuſtri genere natus, in Italia Epiſcopus & Pelagianæ hæreſeos adverſus S. Auguſtinum defenſor acerrimus, ut teſtatur Marius Mercator in eodem Commonitorio, his verbis: *Hæc atque hujuſmodi etiam Juliano & cæteris ejus commanipularibus placuere: quæ cum cognita atque detecta eccleſiaſtica fuiſſent cum præfatis perſonis autoritate damnata, librorum quoque numeroſitate ab eodem Juliano defenſa ſunt, placuitque ei cum Cæleſtio & Pelagio in damnatione tertium numerari.* Et poſtea: *Quod utriuſque opus cum in noſtras manus veniſſet, quia tota ſumma inepti & magis impii Juliani laboris ad unam parvam redigi videtur ſententiam, Adæ videlicet & Evæ tranſgreſſionem eos non feciſſe mortales, nec noxam eorum ad poſteros originaria ſucceſſione tranſiiſſe, ſola autem imitatione illorum qui divina mandata contempſerit, effici reum.* Ut ingenio acer fuit Julianus & lingua facundus, varios in gratiam Pelagii edidit libros, minus tamen de gratia Dei quam de peccato originali diſputans: in iis vero inter alias calumnias Manichæiſmi notam Catholicis potiſſimum affingebat, ſic enim vero loquitur apud S. Auguſtinum lib. 1. operis imperf. cap. 1. *Nam in libros quos ad fratrem noſtrum Turbantium Epiſcopum virum magno virtutum fulgore conſpicuum contra Auguſtini ſcripta dictavi, pollicitus ſum ſi nihi quod ſtudiis obſiſteret, eveniret incommodi, occurſurum me protinus eorum argumentis omnibus, qui ex ſententia Manichæorum traducem peccati, id eſt in malum naturale defenderent.* Et c. 2. *Fuit igitur concepta animo non importuna ratio brevitatis, quia in illis quatuor libris cuncta fere, quæ inventa a Manichæis Auguſtini contra nos fuerant ore probata, catholicæ fidei veritas, &c.*

Hujus peſtilentiſſimi Pelagianorum dogmatis ſatorem primum fuiſſe Rufinum teſtatur Mercator initio Commonitorii: *Hanc ineptam*, inquit, *& non minus inimicam rectæ fidei quæſtionem ſub ſanctæ recordationis Anaſtaſio Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifice Rufinus quadam natione Syrus Romam primus invexit, & ut erat argutus, ſe quidem ab ejus invidia muniens per ſe proferre non auſus, Pelagium gente Britannum monachum tunc decepit, eumque ad prædictam apprime imbuit atque inſtituit impiam vanitatem.* Quis ſit ille Rufinus, quem Syrum vocat Marius Mercator, an alius ſit a Rufino Aquilejenſi necne, acriter diſputant inter ſe eruditi; conſuli poſſunt ſuper ea re vir clariſſimus e Societate Jeſu Garnerius, qui hunc Rufinum ab Aquileienſi diſtinguit p. 115. & 130. tum vero eminentiſſimus Cardinalis de Noris qui contrarium docet lib. 1. hiſt. Pelagianæ cap. 2.

Quin & a Theodoro Mopſueſteno in Cilicia publicatam fuiſſe hanc doctrinam autor eſt idem Marius Mercator, cujus ſic incipit Commonitorium jam a nobis citatum: *Quæſtio contra catholicam fidem apud nonnullos Syrorum, & præcipue in Cilicia a Theodoro quodam Epiſcopo oppi-*

Digitized by Google

oppidi Mamſiſteni, ut habet codex Baluzianus, aut *Mopſueſteni*, apud Garnerium, *jamdudum mota nunc uſque penes paucos eorum admodum traditur, nec ea palam profertur; ſed ab ipſis quid de ea fornicantur velut Catholicis, intra Eccleſias interim retinentur, progenitores videlicet humani generis Adam & Evam mortales a Deo creatos, nec quemquam poſterorum ſui prævaricatione tranſgreſſi læſiſſe, ſed ſibi tantum nocuiſſe ſeque mandati reos apud Deum feciſſe, alterum penitus nullum.*

Atque hi præcipui fuerunt hæretici dogmatis adverſus peccatum originale defenſores; omitto enim hic fuſius expendere, an merito vel injuria quidem inferant ex verbis S. Hieronymi in Epiſtola ad Cteſiphontem, primos Pelagianæ hæreſeos ſatores fuiſſe Baſilidem & Gnoſticos, tum vero Priſcillianum, Manichæum, & Origenem, quaſi omnia ſua dogmata ex illis impuris fontibus hauſerit Pelagius, id, inquam, nunc inquirere animus non eſt: tum quia tradit aperte Marius Mercator loco mox citato *Theodorum Mopſueſtiæ Epiſcopum quæſtionem hanc primum contra Catholicam fidem moviſſe*. Cui hæc ſcribenti tam valde pugnare Hieronymum vix in animum ſibi quiſpiam inducet: tum quia ſi Pelagianæ hæreſeos fuerunt illi principes & magiſtri, id non de peccato originali, ſed de hominis impeccantia, de neceſſitate gratiæ Chriſti, & aliis Pelagii erroribus intelligendum eſt. Majorem ſuper ea re diſquiſitionem legere qui voluerit conſulat Garnerium diſſertatione ſeptima de ortu & incrementis hæreſis Pelagianæ cap. 6.

Hunc porro Pelagianorum errorem, quo peccati originalis exiſtentiam & propagationem negabant, poſtea ſecuti ſunt Armeni, ut ex Guidone Carmelita docet Alphonſus de Caſtro adverſus hæreſes titulo *Peccatum* hæreſi prima, quod idem referunt Sanderus lib. 7. de viſibili Monarchia hæreſi 118. & Prateolus in ſuo Elencho hæreſum, verbo *Armeni*.

In idem conſenſerunt Albanenſes, *eidem errori favent Albanenſes*, inquit Alphonſus a Caſtro loco mox citato; idem teſtatur S. Antoninus 4. p. tit. 11. cap. 7. & Prateolus in ſuis catalogis verbo *Albanenſes*. Hi fuerunt, inquit Vaſquez in 1. 2. diſp. 130. c. 1. tempore Leonis III. Pontificis & Conſtantini VI. Imperatoris anno Domini 769. neque eum Albigenſibus confundi debent; vixerunt enim Albigenſes tempore Innocentii III. Pontificis, & Frederici II. Imperatoris, in quo notandus venit Sanderus libro 7. hæreſi 151. quanquam & hæc fuerit nefaria Albigenſium doctrina, qui idcirco Baptiſmi neceſſitatem rejiciebant.

Idem error tribuitur Anabaptiſtis qui Eccleſiam infeſtarunt circa an. 1540. ut refert Philippus Melancthon in loco communi, ubi de parvulorum Baptismo. Tum etiam Zuinglius in libro de Baptismo contra Urbanum Regium, ut ſcribit Prateolus in Elencho hæreticorum, verbo *Zuinglius*.

Tum vero Sociniani ævo ſequenti, ut ſuperiorum omnium hæreſum venena collegerant, hanc vel expreſſius, ſi ita fieri poterat, quam ipſi Pelagiani docuerunt, variiſque ſubinde ſcriptis foverunt.

Quin & in ejuſdem erroris ſuſpicionem nec levem apud multos venit Eraſmus, qui in ſuis annotationibus ad caput 5. Epiſtolæ ad Romanos, ad hæc verba, *in quo omnes peccaverint*, ſcripſit, omnes homines in Adamo peccaviſſe per imitationem; quæ quidem interpretatio nonnihil Pelagianiſmi redolere videtur; ſuſpicionem auget quod auctorem commentariorum in Epiſtolas S. Pauli qui tribuuntur Hieronymo (ſunt vero, ut eruditi quique fatentur, ipſius Pelagii) qui hæc Apoſtoli verba exponit ſimiliter de imitatione, maxime commendat.

Eſt tamen quod tanti viri fidem hac in parte vindicemus, quia nimirum cum intellexiſſet ſe propter illam interpretationem Epiſtolæ ad Romanos Pelagiani dogmatis

matis ſuſpectum eſſe, in alia editione teſtatus eſt ſe ab illa impietate valde alienum, & veram peccati originalis propagationem diſerte agnovit.

Item & notandus hic venit ſcriptor alter Eraſmo coætanus Faber Stapulenſis, qui in eundem Divi Pauli locum affirmat infantes propter Adæ peccatum naſci quidem pœnæ mortis aliiſque vitæ ærumnis obnoxios, ſed neutiquam peccato, quaſi vere ac proprie dici debeant peccatores.

Conclusio.

Eſt hoc fundatiſſimum Eccleſiæ Catholicæ dogma, in omnes & ſingulos homines, vel etiam infantes, peccatum Adæ non per imitationem, ſed per veram propagationem fuiſſe transfuſum.

Probatur 1. ex Scripturis quæ hanc doctrinam aperte tradunt in utroque Teſtamento: & quidem quod ſpectat ad vetus. Sunt qui peccatum originale probant ex iſto Geneſ. cap. 6. verſ. 5. *Videns autem Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore*, atque ut alii vertunt, *a pueritia ſua*, & alii, *omni die*.

Verum hunc in finem hoc Scripturæ teſtimonio ego quidem uti nolim; tum quia hæc verba *multa malitia*, vel ut reddunt alii interpretes *multæ malitiæ* manifeſte oſtenduot ibi ſermonem eſſe de multis variiſque hominum peccatis actualibus, quæ in cauſa fuerunt, cur Deus diluvio punire homines decreverit. *Videns Deus*, inquit Scriptura, *quod multa malitia hominum eſſet in terra .... delebo*, inquit, *hominem, quem creavi a facie terræ*. Tum quia ibidem Deus excipit juſtum Noe, *pœnitet enim me feciſſe eos, Noe vero invenit gratiam coram Domino*. Unde ſequitur non peccato univerſæ naturæ humanæ, quod ipſum eſt peccatum originale, ſed actualibus hominum flagitiis, & quidem eorum qui tunc temporis vivebant, permotum fuiſſe Deum.

Aliud teſtimonium adducunt nonnulli, ex iſto Geneſeos cap. 17. 14. *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit*. Sequuntur hac in parte mentem S. Auguſtini, qui non uno in loco ex his verbis colligit peccatum originale, diſerte vero lib. 16. de Civitate Dei cap. 27. ubi dedita opera verum iſtius teſtimonii ſenſum inquirit: *Item poteſt movere*, inquit, *quomodo intelligi oporteat, quod hic dictum eſt (Maſculus qui non circumcidet carnem præputii ſui octavo die, interibit anima illa de genere ejus, quia teſtamentum meum diſſipavit.) Cum hæc nulla culpa ſit parvuli, cujus dixit animam perituram, nec ipſe diſſipaverit teſtamentum Dei, ſed majores qui eum circumcidere: niſi quia eam parvuli, non ſecundum vitæ ſuæ proprietatem, ſed ſecundum communem generis humani originem, omnes in illo uno teſtamentum Dei diſſipaverunt? in quo omnes peccaverunt... ac per hoc, ſic intelligenda ſunt divina hæc verba, tanquam dictum ſit, Qui non fuit regeneratus, interibit anima illa de populo ejus, quia teſtamentum Dei diſſipavit, quando in Adam cum omnibus etiam ipſe peccavit*. Quod idem ſcribit de peccato originali cap. 30. lib. 2. de nuptiis & concupiſcentia cap. 11. & lib. 3. contra Julianum cap. 18. Eodem Scripturæ loco uſus eſt ſimiliter in eundem finem S. Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia cap. 15.

Verum diſſimulare non poſſumus in hoc teſtimonio non multum aut nihil penitus roboris eſſe ad aſtruendum peccati originalis dogma, quominus enim dicamus circuncifionem in veteri lege a Deo tunc inſtitutam fuiſſe in remedium peccati originalis, apertiſſime obſtant quamplurima Scripturæ Sacræ loca, quale eſt illud quod legitur in Epiſt. ad Romanos, cap. 3. 1. *Quid ergo amplius Judæo eſt, aut quæ utilitas circuncifionis? multum per omnes modum. Primum quidem quia credita ſunt illis eloquia Dei*.

Et

Et clarius cap. 4. 10. ubi dedita opera oſtendit Apoſtolus Abrahamo nihil quicquam profuiſſe circuncifionem: *Dicimus enim quia reputata eſt Abrahæ fides ad juſtitiam. Quomodo ergo reputata eſt? in circuncifione, an in præputio? Non in circuncifione, ſed in præputio, & ſignum accepit circuncifionis, ſignaculum juſtitiæ fidei quæ eſt in præputio.* Obſtat inſuper univerſa pene omnium traditio, quæ cum interpretatione S. Auguſtini, hunc locum de peccato originali explicantis, minime conſentit, ut fuſius oſtendemus in tractatu noſtro de Sacramentis in genere. Quibus adde manifeſtum eſſe cuivis hunc Geneſeos locum legenti, ne vel minimam in eo mentionem injici de peccato originali: nam ſi qua ex ratione ex illo colligeretur peccatum originale, maxime quia hæc verba, *quia pactum meum irritum fecit*, referuntur ad pactum Adami primi parentis, hæc vero *delebitur anima illa* de æterna morte intelligi debent: atqui utrumque falſum eſt. Primum quidem, quia cauſa comminationis, alia eſſe non poteſt eo loci quam negligentia circuncifionis, quæ ſi qua eſſet pactum Domini, cum Abrahamo ſcilicet initum, manifeſte irritabat, quod quidem apertius ſignificari videtur ex aliis verbis quæ in eodem Geneſeos capite leguntur, *hoc eſt pactum meum quod obſervatis, circuncidetur ex vobis omne maſculinum;* quæ quidem noſtram reſponſionem mirum in modum illuſtrant. Neque etiam ſecundum, quia cum poſt illa verba *delebitur anima illa* ſtatim addatur, *de populo ſuo*, luce meridiana clarius eſt, hæc verba, non damnationem æternam, ſed temporalem a populo ſeparationem denotare; cum præſertim in ſcripturis frequens ſit hæc pœna in tranſgreſſores alicujus legis, ut videre eſt Exodi 12. Lev. Num. 15.

Probatur vero efficaciter ex his verbis Job cap. 14. verſ. 4. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?* atque ut legunt Septuaginta Interpretes: *Nemo mundus a ſorde, nec infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram.* Quo quidem teſtimonio ad aſtruendum peccatum originale utuntur Clemens Alex. lib. 3. Stromatum & S. Auguſtinus in Pſal. 50. lib. 20. de Civit. Dei cap. 26. item lib. 1. operis imperfecti cap. 63. Nec immerito; ſiquidem ſi nemo homo naſcitur quin ſit immundus, nequidem infans unius diei; id certe in peccatum originale refundatur neceſſum eſt; infantes enim alio peccato contaminari non poſſunt.

Neque profecto audiendi ſunt Sociniani, qui hunc locum neutiquam de peccato intelligendum eſſe putant, & cum Pelagianis reſpondent ſordes iſtas, a quibus infans unius diei mundus non eſt, infantilium pannorum ſordes eſſe, non peccatorum; hi enim ex ipſo contextu manifeſte falſi convincuntur, ſcilicet de eo ſordium genere agitur, a quo nemo præter Deum emundare poteſt; ſed ſolum peccatum, ſola peccati immunditia ejuſmodi eſt, a ſordibus enim pannorum aliiſque id genus emundare poſſunt homines: ergo agitur eo loci de peccato quod in ſacris Litteris paſſim appellari ſolet aliquid immundum, ſordidum, pollutum, contaminatum.

Favent non parum diverſæ lectiones hujus teſtimonii apud SS. Patres, tametſi enim in iis occurrat nonnihil varietatis, in eo tamen conſpirare videntur, ut peccatum originale manifeſte indigitent. S. Clemens Alex. ſic legit lib. 3. Stromatum p. 468. *nullus eſt mundus a ſorde, nec ſi ſit quidem unius diei vita ejus.* S. Ambroſ. in Evangelium ſec. Lucam lib. 1. Num. 17. *nemo mundus a ſorde nec ſi una die vita ejus ſit in terra.* S. Auguſtinus in Pſal. 50. pag. 467. *Nemo mundus in conſpectu tuo, nec infans cujus eſt unius diei vita ſuper terram.* Leo Papa ſermone 20. de Nativitate Domini, *nemo mundus a ſorde, nec infans cujus eſt unius diei vita ſuper terram.* Et S. Bernardus ſerm. 70. in Cantica, *nec infans certe unius diei ſine ſorde eſt ſuper terram.*

Eſt

Eſt & aliud illuſtre teſtimonium de peccato originis in Pſal. 50. verſ. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum*, *& in peccatis concepit me mater mea*, ubi de ſe ipſo loquitur Pſaltes Regius, non de peccatis & iniquitatibus ſuorum parentum, ut contendunt Sociniani. *Animadvertendum eſt*, inquiunt in Catecheſi Racoviana, *hic David non agere de quibuſvis hominibus, ſed de ſe tantum*. Et ratio eſt, quia ſi qua ex cauſa intelligetur iſte locus de peccatis parentum Davidis, maxime quia legitur in plurali, *in iniquitatibus*, *in peccatis*; atqui hæc ratio nulla eſt; 1. quia in textu hebræo eſt numerus ſingularis, & ita vertit S. Hieronymus; 2. quia in Scripturis numerus pluralis ſæpiſſime ponitur pro ſingulari, ut fuſe probat S. Auguſtinus in Enchiridion cap. 44. ex nonnullis exemplis quæ ſuppeditant Scripturæ ſacræ: *Cum vero*, inquit, *& illud originale unum plurali ſignificatur, quando dicimus in peccatorum remiſſionem baptiſari parvulos, nec dicimus in remiſſionem peccati, illa eſt e contrario locutio, qua per pluralem ſignificatur numerus ſingularis; ſicut in Evangelio Herode mortuo dictum eſt, Mortui ſunt enim qui quærebant animam pueri. Non dictum eſt, Mortuus eſt*. 3. quia id unum eo loci in votis habet David, ut Dei clementiam imploret Deumque ſibi reddat benignum; unde rationes proponit propter quas miſericordia Dei videtur eſſe non plane indignus, ſcilicet amplificat querelam a peccato hærente in tota natura humana, quod cum naſcentes afferimus in hunc mundum, fons eſt & origo omnium malorum; ait ſe formatum eſſe in iniquitate, id eſt, maſſam ipſam, ex qua formatus ſit, fuiſſe vitioſam & peccato contaminatam: ſed iſthæc querela & confeſſio ad Deum ſibi conciliandum, Davidi forte plane inutilis, ſi de iniquitatibus parentum ſuorum loqueretur, nulla quippe venia dignus cenſetur, quod parenres, cum conceptus eſt, peccaverunt; ſed potius ſi conſideraverit Deus optimus ex vitioſis cupiditatibus, quibus devincti ſunt homines a natura, unumquemque voluntatem habere ad peccatum valde inclinatam: ergo de ſe ipſo eo loci loquitur David, non de peccatis parentum.

Quibus adde falſam futuram fuiſſe propoſitionem Davidis, ſi de peccatis & iniquitatibus parentum ejus explicaretur; David quippe non de adulterio, ſed de legitimo matrimonio conceptus eſt: *numquid David de adulterio natus erat*, inquit S. Auguſtinus in Pſal. 50. *de Jeſſe viro juſto & conjuge ipſius? quid eſt quod ſe dicit in iniquitate conceptum, niſi quia trahitur iniquitas in Adam?*

Quanquam vero hæc verba de ſe, non de parentibus protuliſſe Davidem interpretemur, non eſt idcirco exiſtimandum, id ita de ſe ſolo enunciaſſe ut ad cæteros homines nequaquam pertineat, ut volunt plerique omnes Sociniani; 1. quia niſi communem eſſe omnium mortalium conditionem David noviſſet, ratamque eam de cæteris hominibus perinde ac de ſe ipſo ſententiam, qua confitetur ſe conceptum fuiſſe in peccatis & iniquitate, ubinam gentium didicerar, ſe priuſquam extaret, in primo nempe ſuæ conceptionis momento, ejuſmodi peccatum contraxiſſe? Quibus magiſtris, quibus codicillis ſibi conſignavit primariæ hujus contagionis memoriam? *David ſic loquebatur*, inquit unus ex Socinianis, *habita ratione lapſus ſui*. At vero quamvis immaniter per adulterium & homicidium lapſus fuerit, non fuit iſtud primævum ex ipſo conceptu vitium quod in hoc Pſalmi teſtimonio depingit; quamobrem occaſione quidem ſui lapſus gratiam divinam implorat Propheta, verum uſque ad primævam illam iniquitatem penitiſſimo ſui naturæque ſuæ examine ſe coram Deo provolvit, ut veniam precetur.

Addimus ſecundo loco ejusmodi ſententias, tametſi de ſemetipſo enunciaverit Propheta, non ad ipſum ſolum, ſed & alios quoſvis homines pertinere, hoc eſt, ad eorum admonitionem, ſpem, inſtructionem, conſolationem, cujuſmodi ſunt

ſunt iſta Pſalm. 22. 4. *Etſi ambulavero in medio umbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*. Pſal. 138. *Domine probaſti me & cognoviſti me, tu cognoviſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam*. Unde ſapienter monet Apoſtolus Epiſt. ad Rom. cap. 15. 4. citato aliquo Pſal. 68. teſtimonio hæc & alia ſimilia Scripturæ loca in univerſorum eruditionem dictata. *Quæcunque enim ſcripta ſunt*, inquit, *ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus*. Non ſunt igitur audiendi qui dicunt hunc Pſalmi locum de quo nunc agitur, ad ſolum Davidem, non ad cæteros homines pertinere; cum præſertim de peccato originali eum exponant S. Hilar. in Pſal. 118. ſanctus Ambroſ. lib. 1. de Pœnitentia capite 2. & ſanctus Auguſtinus multis in locis.

Probatur inſuper eadem veritas ex iſtis verbis Sapientiæ cap. 12. 10. *Non ignorans quoniam nequam eſt natio eorum & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum: ſemen enim erat maledictum ab initio*. Vix enim intelligi poteſt, quomodo hominibus naturalis ſit malitia, eorumque ſemen ab initio ſit maledictum, niſi ſupponantur originali peccato contaminati.

Eſt autem longe apertius teſtimonium quod legitur Eccleſiaſtici cap. 40. 1. *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & jugum grave ſuper filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium*. Grave illud jugum ſunt miſeriæ quibus continuo obruuntur homines, quæ neceſſario præſupponunt peccatum originale, inquit S. Auguſt. l. 2. contra Julian. c. 1. *Nec iniquus eſt Deus*, inquit, *cum de peccatis ſive originalibus ſive propriis digna retribuit, magiſque iniquus aut infirmus oſtenditur, ſi jugum grave ſuper filios Adam a die, ſicut ſcriptum eſt*, Eccleſiaſtici nempe cap. 40. *nativitatis eorum uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium, ſub quo jugo imago ejus atteritur, aut ipſe nullo vel originali, vel proprio præcedente peccato, aut quilibet alius ipſo imponit invito*. Quod idem obſervat S. Doctor lib. 1. oper. imperf. 9. 49. & 116. tum lib. 2. c. 13. & 119.

Probatur deinde ex multis Novi Teſtamenti locis.

Qui primus & præcipuus merito laudari ſolet, legitur in cap. 5. Epiſtolæ ad Rom. his verbis, *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſit, in quo omnes peccaverunt*. Ubi peccatum originale manifeſte aſtruit S. Paulus, ſiquidem affirmat aliquod peccatum introiſſe in mundum, hoc eſt, in univerſum genus humanum, in omnes homines; ut liquido conſtat ex iſtis verbis, *& ita in omnes homines mors pertranſit*: ſed ejuſmodi peccatum aliud eſſe non poteſt quam originale, ſiquidem peccatum actuale reperiri non poteſt in infantibus: ſed peccatum, de quo loquitur Apoſtolus, contrahitur etiam ab infantibus, eſt enim peccatum omnium, *in quo omnes peccaverunt*, quemadmodum & ipſa mors, quam quidem ad ipſos etiam infantes pertinere concedunt omnes: ergo S. Paulus eo loci ſermonem habet de peccato originali.

Scilicet hic eſt verus & genuinus inſignis iſtius teſtimonii ſenſus, *propterea* græce, *διὰ τοῦτο propter hoc*, quæ vox vim habet in hoc contextu particulæ cauſalis, quaſi velit Apoſtolus rationem, cur incarnatum fuerit Verbum a principio repetere, ex eo quo nempe humanum genus per peccatum primi hominis lapſum fuerat: totus eſt enim ut ibi oſtendat juſtitiam per unum Chriſtum fuiſſe datam, ſicut per unum Adam peccatum intraverat in mundum.

Per unum hominem, id eſt per Adamum qui erat totius generis humani caput & principium, quanquam Eva prior illo peccaverit, unde David in Pſal. 50.

in peccatis concepit me mater mea, de Eva locutus, ut plerique docent interpretes. Et clarius Eccleſiaſtici 25. *a muliere initium factum eſt peccati*, & *per illam omnes morimur*. Nihilominus tamen haud immeritò dixit S. Paulus *per unum hominem*, id eſt Adamum, peccatum introiſſe in mundum; tum quia ſatis ipſe mentem aperuit in aliis locis, Adamum ſuo nomine exprimens, ut 1. Corint. 15. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*. Tum quia eum vir inter conjuges & in generatione primum locum teneat, quamvis ſit una caro cum uxore ei potiſſimum aſcribi debet quod ab utroque profectum eſt: unde ſic idem Apoſtolus de poſteris Abrahæ loquitur Hebræorum 11. v. 12. *propter quod & ab uno* Abraham, *orti ſunt*, tametſi & a Sara fuerint geniti.

Peccatum intravit, ubi nomine peccati intelligi debet vera culpa quæ veram peccati rationem habeat; quod proinde vocabulum ſumi debet proprie, non autem metaphorice pro pœna a peccato Adæ in ipſius poſteros derivata, ut quidam exiſtimarunt; tum quia peccatum & mortem quæ pœnam peccati eſt, ibi ſedulo diſtinguit Apoſtolus; tum quia addit in eodem verſiculo, *in quo omnes peccaverunt*, quæ vox non niſi temere ad ſolam pœnam peccato debitam reſtringeretur.

Intravit, non exemplo ſed propagine; non per imitationem, ſed per veram generationem, propagationem, transfuſionem, ut fuſius poſtea ſumus oſtenſuri; tum quia peccatum illud, de quo loquitur Apoſtolus, eſt peccatum omnium & ſingulorum hominum, *in quo omnes peccaverunt*, adeoque & infantium; in infantibus autem peccatum per imitationem reperiri non poſſe nemo non videt: tum quia peccatum eo loci in homines pertranſit per imitationem: igitur nec peccatum.

In hunc mundum, id eſt in univerſum genus humanum, in omnes & ſingulos homines ex Adam carnaliter & via ordinaria prognatos, ut ex verbis immediate ſequentibus manifeſte liquet, & *ita in omnes homines mors pertranſiit*. Unde ſequitur ab illa communi labe abſolute immunem fuiſſe Chriſtum Dominum, qui tametſi verus homo, non fuit ex ſemine Adami carnaliter procreatus, ſed de Spiritu ſancto ineffabiliter natus.

Et per peccatum mors, ubi mortem corporis intelligit Apoſtolus, quæ quidem peccati originalis in unoquoque noſtrum pœna eſt & effectus, quemadmodum Adamo dixerat Deus Gen. 2. 17. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, hoc eſt, erit in cauſa hocce peccatum, ut, tametſi creatus immortalis atque inexterminabilis, morti tamen cum ſuis poſteris ſis obnoxius atque mancipatus; quod idem legimus ſapient. cap. 2. 23. his verbis, *quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum, invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum*. Atque inde infinitus prope malorum & miſeriarum cum animæ tum corporis numerus, quorum veluti primogenitum recenſet duntaxat Apoſtolus juxta illud Job. 18. 13. *conſumat brachia illius*, impii, *primogenita mors*.

Denique addit Apoſtolus, *in quo omnes peccaverunt*, hoc eſt in quo Adamo, tanquam in capite potius generis humani, omnes conſtituti ſunt peccatores, non autem in quo peccato omnes peccaverunt; ut perperam interpretantur nonnulli, quorum ſententiam mox refutabimus, cum Pelagianorum objectiones proponemus.

Alter locus novi Teſtamenti ad aſtruendum peccati originalis dogma petitur ex c. 5. Ep. 2. ad Corint. verſ. 14. *æſtimantes hoc quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*. Cujus propoſitionis ſenſus eſt, omnes & ſingulos homines eſſe mortuos in Adamo, morte peccati; ſiquidem ex eo contendit Apoſtolus pro omnibus mortuum eſſe Chriſtum, quod omnes mortui erant morte

te.

Digitized by Google

te peccati; ut ſcilicet eos a morte peccati redimeret; quamobrem ſi pro omnibus & ſingulis, nullo excepto, Chriſtus eſt mortuus, utique conſequens eſt & omnes ſingulos morte peccati mortuos eſſe in Adam: ſi autem omnes & ſinguli, nullo excepto, ergo & infantes; proindeque peccato originali.

Hoc argumento non ſemel utitur S. Auguſtinus adverſus Pelagianos, docens nimirum nequidem infantes recens natos a peccato liberos eſſe, quoniam liquet ex hoc Apoſtoli teſtimonio pro eis mortuum eſſe Chriſtum; ſic v.g. lib. 6. contra Julian. cap. 4. *ac per hoc unus*, inquit, *pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, oſtendens fieri non potuiſſe ut moreretur niſi pro mortuis. Ex hoc enim probavit omnes mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt unus. Impinguo, inculco, inſercio recuſanti: accipe ſalubre eſt, noli moriaris. Unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt. Vide quia conſequens eſſe voluit, ut intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt*. Ita & lib. 2. operis imperf. cap. 175. tract. 12. in Joan. lib. de catechizandis rudibus cap. 26. & lib. 20. de civitate Dei, cap. 6.

Eſt & illa expoſitio S. Thomæ commentario in eundem locum his verbis in lectione tertia: *Quod ergo infertur, ergo omnes mortui ſunt, exponitur tribus modis: primo ut dicatur, omnes mortui ſunt morte peccati Adam*, 1. Corint. 15. *ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic &c.*

Quare mirum eſt Eſtio non placuiſſe ejuſmodi interpretationem, quaſi non admodum quadret Apoſtoli inſtituto, nec facile connecti poſſit cum iis quæ ſequuntur, qua vero ratione præeuntes Auguſtinum & Thomam hac in parte deſerat plane non video, niſi quod eatenus videretur concedere Chriſtum pro omnibus & ſingulis hominibus eſſe mortuum.

Hoc ipſum verbis prope iiſdem docuerat Apoſtolus 1. Epiſt. ad Corint. cap. 15. 22. *Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur:* Cujus propoſitionis hic eſt ſenſus, inquit Eſtius in hunc locum; ſicut per Adam moriuntur omnes qui ſunt Adæ, id eſt, omnes homines; ita per Chriſtum vivificabuntur omnes qui ſunt Chriſti, id eſt electi. Aliter iſtud interpretantur plerique alii de reſurrectione, quaſi dicat Apoſtolus omnes homines in Chriſto reſurrecturos, ſicut in Adam omnes morte peccati moriuntur: ut ut ſit, eo loci manifeſte docet Apoſtolus peccati originalis propagationem.

Tertius demum locus legitur ad Epheſ. 2. cap. 3. *Et eramus natura filii iræ*, non quidem natura quatenus natura eſt, ut ſomniavit Flavius Illyricus, qui ex hoc loco probare conatus eſt peccatum originale eſſe ſubſtantiam non accidens, ſed natura ut vitiata eſt, inquit S. Thomas in hunc locum lectione prima, qua ratione *ſumus filii iræ, id eſt vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ*. Quam interpretationem ſumpſerat ex S. Auguſt. tract. 44. in Joan. ubi hæc leguntur, *quandoquidem Apoſtolus natus in gente Prophetarum dicit, fuimus & nos aliquando natura filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ. Quomodo natura, niſi quia peccante primo homine, vitium pro natura inolevit*.

Hunc Apoſtoli locum eludere aliter non potuerunt Pelagiani, quam ſi dicerent recurrendum eſſe ad textum græcum, in quo habetur φύσει, quæ vox utpote ambigua aliquando redditur iſta latina, *natura*, aliquando vero iſta, *prorſus*. Sed ecce quo pacto propter ineptam hanc reſponſionem ab Auguſtino revincitur Julianus lib. nempe 6. cap. 10. *quod autem dicis ubi ait Apoſtolus (natura filii iræ) poſſe intelligi, prorſus filii iræ; nonne hinc admoneri debuiſti antiquam contra vos defendi catholicam fidem, quia non fere invenitur latinus codex ſi non in vobis nunc incipiat emendari, vel potius in mendum mutari, ubi non, natura ſit ſcriptum. Quod utique cavere debuit interpretum antiquitas, cui veſtra cœpit reſiſtere novitas.*

Idem dogma probatur ex SS. Patribus.

INhæremus hac in parte veſtigiis ſancti Auguſtini, qui lib. 1. & 2. contra Julianum originalis peccati dogma confirmaturus, autoritatem profert præcedentium Eccleſiæ Doctorum, Epiſcoporum videlicet illuſtriorum decem, Irenæi, Cypriani, Reticii, Olympii, Hilarii, Gregorii Nazianzeni, Ambroſii, Baſilii, Joannis Conſtantinopolitani, & Innocentii: necnon, ut ait, Presbyteri Hieronymi viri ſancti ac pereruditi. His addemus & alios viros Eccleſiaſticos, quotquot uſque ad Pelagium vixere, ut omnibus innoteſcat, quam longe lateque a fide Catholica receſſerit iſte Hæreſiarca; atque, ut ait Auguſtinus, *cogatur erubeſcere & cedere, ſi ullus vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum pervicaciæ ſuperaverit.*

Horum agmen ducet S. Juſtinus martyr, qui Dialogo cum Tryphone pag. 315. ſic habet: *Ad amnem eum*, Chriſtum, *non ideo veniſſe pro comperto habemus quod vel baptiſmi lavatiône, vel Spiritus in ſpecie columbæ adventu opus ei fuerit, ſicuti nec naſci, & circumcidi & crucifigi propter functionis hujusmodi indigentiam ſuſtinuit, ſed humani generis cauſa, quod per Adam in mortem & fraudem ſeductionemque ſerpentis conſiderat, ut interim propriam pro ſe maligne agentis cujusque culpam taceam.* Ubi manifeſte commemorat Juſtinus peccatum, quod per Adam incurrit totum genus humanum, præter alia quæ uniuscujusque propria ſunt, quod peccatum haud dubie aliud quam originale intelligi non poteſt. Eandem Doctrinam ſatis aperte inſinuat Apologia 2. pag. 93. ubi per baptiſmum ait nos renovari, regenerari. *Deinde*, inquit, *eo adducuntur a nobis, ubi aqua eſt: atque eo regenerationis modo quo ipſi regenerati ſumus, regenerantur . . . ratione autem hujus rei ab Apoſtolis illam accepimus. Quandoquidem priorem nativitatem noſtram ignorantes, neceſſitate quadam, liquido genitali ſatu matura parentum mixtione intercedente progenerati ſumus, & in malis moribus pravaque conſuetudine educti, ut ne neceſſitatis & ignorantiæ liberi permaneamus, ſed delectus & ſcientiæ filii ſiamus, ac remiſſionem ante commiſſorum peccatorum conſequamur in aqua.*

Item S. Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus, qui non longe a temporibus Apoſtolorum fuit, lib. 3. cap 20. *Filius Dei*, inquit, *ſemper exiſtens apud Patrem, quando incarnatus eſt & homo factus longam hominum expoſitionem in ſe ipſo recapitulavit, in compendio nobis ſalutem præſtans, ut quod perdideramus in Adam, id eſt, ſecundum imaginem & ſimilitudinem eſſe Dei, hoc in Chriſto Jeſu reciperemus. Quia enim non erat poſſibile eum hominem qui ſemel victus fuerat, & eliſus per inobedientiam reptaſmare & obtinere bravium victoriæ: iterum autem impoſſibile erat, ut ſalutem perciperet, qui ſub peccato ceciderat.* Et poſtea ſub finem capitis, *quemadmodum per inobedientiam unius hominis, qui primus de terra rudi plasmatus eſt, peccatores facti ſunt multi, & amiſerunt vitam: ita oportuit & per obedientiam unius hominis, qui primus de Virgine natus eſt, juſtificari multos & percipere ſalutem.*

Lib. 4. cap. 5. *Dicens non aliter ſalvari homines ab antiqua ſerpentis plaga, niſi credant in eum qui in ſimilitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatus a terra omnia trahit ad ſe.* Lib. 5. c. 14. *Deum in primo quidem Adam offendimus non facientes ejus peccatum, in ſecundo autem Adam reconciliati ſumus, obedientes uſque ad mortem facti*, Cap. 19. *quemadmodum aſtrictum eſt morti genus humanum per Virginem, ita ſolvatur per Virginem æqua lance diſpoſita, Virginalis inobedientiæ per Virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplaſti peccato per correptionem primogeniti emendationem accipiente, ſerpentis prudentia devicta per ſimplicitatem columbæ, vinculis illis reſoluti ſumus, per quæ alligati eramus*

mus morti. Ac demum ſub fine capitis: *Cum ſalvatur homo*, inquit, *oportet ſalvari eum qui prior formatus eſt homo, quoniam nimis irrationabile eſt, illum quidem qui vehementer ab inimico læſus erat, & prior captivitatem paſſus eſt, dicere non eripi ab eo qui vicerit inimicum, ereptos vero filios ejus quos in eadem captivitate generavit*.

Ex quibus teſtimoniis peccati originalis doctrinam ſic colligit S. Auguſtinus c.13. l. 1. contra Julianum, quem alloquitur his verbis: *Videsne antiquum hominem Dei, quid de antiqua ſerpentis plaga ſentiat? quid de ſimilitudine carnis peccati per quam ſanatur plaga ſerpentis in carne peccati? quid de protoplaſti peccato, per quod alligati fueramus?*

Sed & longe clarius idem aſtruit dogma Tertullianus multis in locis; lib. de teſtimonio animæ cap. 3. ſic habet: *Satanam denique in omni averſatione, & aſpernatione & deteſtatione pronuncias, quem nos dicimus malitiæ Angelum, totius erroris artificem, totius ſæculi interpolatorem, per quem homo a primordio circumventus, ut præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus exinde totum genus de ſuo ſemine infectum, ſuæ etiam damnationis traducem fecit*. Lib. de anima cap. 40. *Ita omnis anima*, inquit, *eo uſque in Adam cenſetur, donec in Chriſto recenſeatur: tandiu immunda, quandiu recenſeatur. Peccatrix autem quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis ſocietate*. Quibus verbis nihil illuſtrius proferri poteſt, expreſſius nihil.

Libro de carne Chriſti explicans idem Tertullianus quomodo Filius Dei carnem noſtræ ſimilem aſſumpſit, non tamen peccatricem, ſic nos omnes peccato per Adam fuiſſe vitiatos manifeſte ſupponit. *Defendimus autem*, inquit cap. 16. *non carnem peccati evacuatam eſſe in Chriſto, ſed peccatum carnis, non materiam ſed naturam; nec ſubſtantiam ſed culpam; ſecundum Apoſtoli autoritatem dicentis, Evacuavit peccatum in carne. Nam & alibi, In ſimilitudine, inquit, carnis peccati fuiſſe Chriſtum, non quod ſimilitudinem carnis acceperit, quaſi imaginem corporis & non veritatem, ſed ſimilitudinem peccatricis carnis vult intelligi, quod ipſa non peccatrix caro Chriſti, ejus fuit par, cujus erat peccatum; genere non vitio Adæ, quando hinc etiam confirmamus eam fuiſſe carnem in Chriſto, cujus natura eſt in homine peccatrix*.

Et paulo infra c. 17. *Concepit igitur Virgo & peperit Emmanuelem, nobiſcum Deum. Hæc eſt nativitas nova dum homo naſcitur in Deo in quo homine Deus natus eſt, carne antiqui ſeminis ſuſcepta, ſine ſemine antiquo ut illam novo ſemine, id eſt ſpiritaliter reformaret, excluſis antiquitatis ſordibus expiatam ..... ſed & hic ratio defendit quod Deus imaginem & ſimilitudinem ſuam a Diabolo captam æmula operatione recuperaverit. In Virginem enim adhuc Evam irrepſerat verbum ædificatorium mortis: In Virginem æque introducendum erat Dei verbum extructorium vitæ, ut quod per ejuſmodi ſexum abierat in perditionem, per eundem ſexum redigeretur in ſalutem. Crediderat Eva ſerpenti, credidit Maria Gabrieli; quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit*.

Item lib de reſurrectione carnis cap. 49. *Ventum eſt nunc*, inquit, *ad carnem & ſanguinem revera totius quæſtionis, quas ſubſtantias quali conditione cohæredaverit Apoſtolus a Dei Regno, æque de antecedentibus diſcere eſt. Primus*, *inquit, homo de terra choicus, id eſt, limacius, id eſt Adam, ſecundus homo de cœlo, id eſt ſermo Dei, id eſt Chriſtus ... ſicut portavimus imaginem choici, portemus etiam imaginem ſupercœleſtis. Portavimus enim imaginem choici per collegium traſgreſſionis, per conſortium mortis, per exilium Paradiſi*.

Sequitur Origenes, cujus autoritate hoc Eccleſiæ dogma munire poſſumus quanquam

quam ejus apud nonnullos hac in parte ſuſpecta ſit fides.: ſic enim loquitur hom. 8. in Leviticum pag. 89. col. 2. *Sed & ille qui naſcitur, ſive virilis, ſive fœminei ſexus ſit; pronunciat de eo Scriptura, quia non ſit mundus a ſorde, etiamſi unius diei ſit vita ejus. Et ut ſcias eſſe in hoc grande neſcio quid, & tale quod nulli Sanctorum ex ſententia venerit, nemo ex omnibus Sanctis invenitur diem feſtum vel convivium magnum egiſſe in die natalis ſui, nemo invenitur habuiſſe lætitiam in die natali filii vel filiæ ſuæ..... Sancti vero non ſolum non agunt feſtivitatem in die natalis ſui, ſed & Spiritu ſancto repleti execrantur hunc diem. Neque enim tantis eſt ac talis Propheta (Jeremiam dico qui in utero matris ſanctificatus eſt & Propheta in gentibus conſecratus) libris in æternum manſuris aliquid inaniter condidiſſet, niſi ſecretum quid contineret, & ingentibus myſteriis plenum, ubi dicit, maledictus dies in quo natus ſum, & nox in qua dixerunt, ecce maſculus, maledictus qui annunciavit patri meo dicens, natus eſt tibi maſculus. Lætetur homo ille ſicut civitates quas Dominus deſtruxit in furore & non pœnituit. Videretur ne tibi hæc tam gravia & tam oneroſa imprecari Propheta potuiſſe, niſi ſciret eſſe aliquid in iſta nativitate corporea, quod & hujuſmodi dignum maledictionis videretur.... quod ſi placet audire quin etiam alii Sancti de iſta nativitate ſenſerint, audi David dicentem: In iniquitatibus, inquit conceptus ſum, & in peccatis peperit me mater mea: oſtendens quod quæcunque anima in carne naſcitur, iniquitatis & peccati ſorde polluitur: & propterea dictum eſſe illud quod jam ſuperius memoravimus, quia nemo mundus a ſorde, nec ſi unius diei ſit vita ejus. Addi his etiam illud poteſt, ut requiratur quid cauſæ ſit, cur Baptiſma Eccleſiæ in remiſſionem peccatorum detur, ſecundum Eccleſiæ obſervantiam etiam parvulis Baptiſmum dari, cum utique ſi nihil eſſet in parvulis, quod ad remiſſionem deberet & indulgentiam pertinere, gratia Baptiſmi ſuperflua videretur.* Certe ad probandam peccati originalis propagationem nihil potuit luculentius quidquam proferre Origenes, quam ſi immundam cujuslibet hominis oſtenderet ex Jeremiæ cap. 20. Job, 14. Pſal. 50. & ex ea conſuetudine Eccleſiarum quæ infantes ubique baptizabant: hæc ſunt enim potiſſima quæ ad iſtud fidei catholicæ dogma aſtruendum & a SS. Patribus, atque etiamnum a Theologis adduci ſolent.

Hæc porro aliaque ſimilia paſſim leguntur apud eundem Origenem, homil. 12. in Leviticum p. 102. col. 2. in fine. *Omnis qui ingreditur hunc mundum*, inquit, *in quadam contaminatione effici dicitur. Propter quod & Scriptura dicit: Nemo mundus a ſorde, nec ſi unius diei fuerit vita ejus. Hoc ipſo ergo quod in vulva matris eſt poſitus, & quod materiam corporis ab origine paterni ſeminis ſumit, in patre & matre contaminatus dici poteſt. Aut neſcis quia cum quadraginta dierum factus fuerit puer maſculus, offertur ad altare, ut ibi purificetur tanquam qui pollutus fuerit in ipſa conceptione, vel paterni ſeminis, vel uteri materni? Omnis ergo homo in patre & in matre pollutus eſt. Solus vero Dominus Jeſus meus, in hac generatione mundum ingreſſus, in matre non eſt pollutus.*

Homil. 3. in Cantica Canticorum pag. 343. col. 1. *Cervus quoque amicitiarum*, inquit, *quis alius videbitur, niſi ille qui peremit ſerpentem illum qui ſeduxerat Evam, & eloquii ſui flatibus, peccati in eam venena diffundens, omnem poſteritatis ſobolem contagio prævaricationis infecerat?*

Homilia 14. in Lucam tom. 2. p. 142. col. 2. *Parvulis*, inquit, *baptizantur in remiſſionem peccatorum. Quorum peccatorum? vel quo tempore peccaverunt? aut quando poteſt ulla lavacri in parvulis ratio ſubſiſtere, niſi juxta illum ſenſum de quo paulo ante diximus: Nemo mun-*

dus

dus a ſorde, nec ſi unius diei quidem fuerit vita ejus ſuper terram? Et quia per baptiſmi ſacramentum nativitatis ſordes deponuntur, propterea baptizantur & parvuli. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poterit intrare in regnum cælorum ... unde in regeneratione baptiſmi aſſumitur ſacramentum, ut quomodo Jeſus ſecundum diſpenſationem carnis oblatione purgatus eſt, ita etiam nos ſpirituali regeneratione purgemur.

Lib. 5. in Epiſtol. ad Romanos pag. 342. col. 2. hæc dixerat. *Videamus*, inquit, *quomodo per unum hominem peccatum introivit in hunc mundum, & per peccatum mors .... ſi ante Adam mulier peccavit, & ante mulierem ſerpens..... ſed vide in his Apoſtolum ordinem naturæ tenuiſſe, & ideo quoniam de peccato loquebatur, ex quo mors in omnes homines pertranſierat, ſucceſſionem poſteritatis humanæ quæ huic mortuo ſuccubuit ex peccato venienti, non mulieri aſcribit ſed viro ... ſi ergo Levi qui generatione quarta poſt Abraham naſcitur, in lumbis Abrahæ fuiſſe perhibetur, multo magis omnes homines qui in hoc mundo naſcuntur & nati ſunt, in lumbis erant Adæ, cum adhuc eſſet in paradiſo, & omnes homines cum ipſo, vel in ipſo expulſi ſunt de paradiſo, cum ipſe inde pulſus eſt, & per ipſum mors quæ ei per prævaricationem venerat conſequenter & in eos pertranſiit, qui in lumbis ejus habebantur. Et ideo recte Apoſtolus dicit: ſicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. Neque ergo ex ſerpente qui ante mulierem peccaverat, neque ex muliere quæ ante virum in prævaricatione facta eſt, ſed per Adam ex quo omnes mortales originem ducunt, dicitur introiſſe peccatum, & per peccatum mors, ſed hic nimirum eſt unus homo, & per quem peccatum introivit, per peccatum mors.*

Lib. 4. contra Celſum pag. 190. *Nam ſicut ad hoc ſatis reſponſum eſt*, inquit, *a patrocinantibus providentia nec paucis nec contemnendis: ita & de Adamo ejuſque peccato philoſophantur, qui ſciunt Adami vocabulo ſignificare hominem, & in his quæ de hoc Moſes prodidit deſcribit naturam hominis. Nam, ut ait Scriptura, in Adamo omnes moriuntur, & damnati ſunt in ſimilitudine prævaricationis Adami: Nec tam de uno quopiam quam de toto humano genere Scriptura divina loquitur: nam maledictio quæ Adamo inflicta dicitur, communis eſt omnium; ſicut quæ mulieri, non ad eam ſolam pertinet.*

Quod idem denique ſcribit lib. 7. pag. 350. *Non, ut quidam opinantur, iſtam fertilem Judæam infernam, quæ & ipſa ſita eſt in parte terræ maledictæ in ſuis operibus propter Adæ tranſgreſſionem. Nam illa execratio: Maledicta terra in operibus tuis, in moleſtiis comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ, ad totam terram pertinet, ex qua in moleſtiis, hoc eſt laboribus edit omnis homo in Adam mortuus, idque omnibus diebus vitæ ſuæ: & omnis terra ut maledicta ſpinas ac tribulos producit omnibus diebus vitæ cujuſcunque in Adamo ejecti e paradiſo.*

Hæc porro teſtimonia, quæ fortaſſe nimium multa quibuſdam videbuntur, ex illorum Veterum ſcriptis integra deprompſimus, ut inde cuilibet manifeſte pateat, imperite non minus quam imprudenter affirmatum non ita pridem a nonnullis cætera Catholicis, primum e Sanctis Patribus de peccato originali clare & aperte locutum fuiſſe Cyprianum.

Sanctus igitur Cyprianus Epiſtola 59. quæ eſt ad Fidum, ex eo baptizandos eſſe infantes docet, quod peccati originalis labem in nativitate contraxerunt; & aliunde neminem putabat a gratia conſequenda impediendum. *Cæterum*, inquit, *ſi homines impedire aliquid ad conſecutionem gratiæ poſſet: magis adultos, & provectos & majores natu poſſent impedire peccata graviora. Porro autem ſi etiam graviſſimis delictoribus, & in Deum mul-*

Digitized by Google

multum antea peccantibus, cum poſtea crediderint, remiſſa peccatorum datur, & a baptiſmo atque a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit. Qui ad remiſſam peccatorum accipiendam hoc ipſo facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, ſed aliena peccata. Sic vero non ſuo tantum, ſed alicujus numeroſiſſimi Africani Concilii nomine ſcribit S. Cyprianus, ut conſtat ex initio ejuſdem Epiſtolæ.

Idem docuit ipſi coætaneus Firmilianus Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus Epiſtola quæ eſt inter Cyprianicas 75. *Stephanus*, inquit, *qui per ſucceſſionem cathedram Petri habere ſe prædicat, nullo adverſus hæreticos zelo excitatur: concedens illis non modicam ſed maximam gratiæ poteſtatem, ut dicat eos & aſſeveret per baptiſmi ſacramentum ſordes veteris hominis abluere, antiqua mortis peccata donare, regeneratione cœleſti filios Dei facere, ad æternam vitam divini lavacri ſanctificatione reparare*, ubi ſupponit Firmilianus per baptiſmi ſacramentum ſordes veteris hominis ablui, indeque hominem regenerari.

Accedunt duorum illuſtrium Scriptorum teſtimonia quæ lib. 1. contra Julianum cap. 3. profert S. Auguſtinus.

Primum eſt Reticii Auguſtodunenſis, qui in Concilio Romano ſub Melchiade cum aliis judex Donatum damnavit: is cum de baptiſmo ageret, ita locutus eſt: *Hanc igitur principalem eſſe in Eccleſia indulgentiam neminem præterit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantiæ noſtræ facinora priſca delemus, ubi & veterem hominem cum ingenitis ſceleribus exuimus.* Ad quæ verba ſic Auguſtinus. *Audis antiqui criminis pondus, audis priſca facinora, audis cum ſceleribus ingenitis hominem veterem....*

Alterum eſt Olympii Hiſpani Epiſcopi in quodam ſermone Eccleſiaſtico: *Si fides*, inquit, *unquam in terris incorrupta manſiſſet, veſtigia defixa tenuiſſet, quæ deſignata deſeruit, nunquam protoplaſti mortifera transgreſſione vitium ſparſiſſet in germine, ut peccatum cum homine naſceretur.*

Profert deinde S. Auguſtinus nonnulla S. Hilarii Pictavienſis Epiſcopi teſtimonia; is cum de Chriſti carne ageret ſic loquitur: *Ergo cum miſſus eſt in ſimilitudine carnis peccati, non ſicut carnem habuit, ita habuit & peccatum. Sed quia ex peccato, ſcilicet Adam parente, deducta in ſimilitudine peccati carnis eſt miſſus, exiſtente in eo peccato, ſed peccati carnis ſimilitudine.* Rurſus idem ipſe Enarratione in Pſal. 118. ad hæc verba, *vivet anima mea & laudabit te*, ſic habet: *Vivere ſe in hac vita non reputat quippe qui dixerit: Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Scit ſub peccati origine, & ſub peccati lege ſe eſſe natum.*

Quin & S. Gregorium Nazianzenum qui hoc idem dogma copioſiſſime tradit multis in locis, ac 1. oratione 38. pag. 6 4. *Hoc hodierno die celebramus*, inquit, *Dei nimirum ad homines adventum, ut ad Deum excedamus, aut ut aptiori verbo utar, revertamur, ac depoſito veteri homine novum induamus, & quemadmodum in veteri Adamo mortui ſumus, ita in Chriſto vivamus ...; ubi enim abundavit peccatum, ſuperabundavit & gratia; & ſi guſtus condemnavit, quanto magis Chriſti Paſſio juſtificavit?* Et in fine ejuſdem orationis pag. 622. *Deſcriptionem reverere, propter quam in cœlis deſcriberis, & nativitatem, ob quam nativitatis vinculis ſolutus es: & parvam illam Bethleem honora quæ te in Paradiſum reduxit.*

2. Aliud teſtimonium Gregorii Nazianzeni laudat S. Auguſtinus his verbis conceptum: *Perſuadeat tibi de hac quæ*

quæ

que ſermo Chriſti dicentis, neminem poſſe introire in regnum cœlorum, niſi renatus fuerit ex aqua & ſpiritu. Per hunc primæ nativitatis maculæ purgantur, per quas in iniquitatibus concipiamur, & in delictis genuerunt nos matres noſtræ.

3. Et proferri merito poteſt quod legitur orat. 5. pag. 135. *Et cur tandem*, inquit, *in homine ſpem meam collocem? Cum omnis homo fraudulenter incedat, ac frater omnis proximum ſuum omni arte ſupplantet, atque omnes ex eadem terra & maſſa coagmentati ſimus, eandemque vitii arborem guſtaverimus?*

4. Orat. 25. pag. 436. *Et ut majorem proferam, communem rationem, legem, Prophetas, ipſos Chriſti cruciatus per quos omnes citra ullam exceptionem inſtaurati ſumus, qui eidem Adamo participavimus, atque a ſerpente in fraudem inducti, & per peccatum morte affecti, ac per cœleſtem Adamum ſaluti reſtituti, atque ad vitæ lignum, unde excideramus, per ignominiæ lignum revocati ſumus*. Conſuli poteſt iterum quod ſcribit Orat. 40. pag. 658. & Orat. 42. pag. 684.

Omittere nec poſſumus quædam alterius Gregorii, Nyſſeni ſcilicet teſtimonia; is enim Oratione Catechetica c. 33. ait per baptiſmum regenerari hominem: *Poſtquam*, inquit, *hæc audiverint & quæ ſunt hujuſmodi, & modum prius didicerint, nempe quod ad Deum preces & gratiæ cœleſtis invocatio, & aqua, & fides ſunt ea per quæ impletur myſterium regenerationis..... quod ergo interrogatis, quomodo ſit credibile ex illo conſtitiſſe hominem, conſentaneum eſt nobis fieri reſponſum, hoc etiam de regeneratione per aquam interrogati reſpondebimus*. Item in Pſalmos c. 8. *Unde enim*, inquit, *introivit in mundum mors, inde iterum ejecta eſt. Per hominem intravit, per hominem etiam ejicitur. Primus homo aditum morti patefecit, per ſecundum vita reducitur, cujus ingreſſus abolitionem morti efficit. Propter hoc in abyſſum mortis deſcendit per paſſionem, ut ſecum ad ſuperna reduceret eum qui in profundum corruerat. Hæc accurate magnus Apoſtolus patefacit, ut & alia multa, & præter cætera illud: Quemadmodum in Adam omnes morimur, ſic in Chriſto omnes vivificamur*. Et paulo poſt cap. 16. *Sordes autem hominis peccatum eſt, quod una cum humana editur natura, quoniam in peccatis concepit me mater mea.*

Inſuper idem dogma legitur paſſim apud S. Baſilium, ſic v.g. Hom. 1. de jejunio prope initium: *Jejunium*, inquit, *in Paradiſo præſcriptum eſt. Primum illud præceptum accepit Adam, ne de ligno ſcientiæ boni ac mali ederet. Hoc autem verbum, Non edetis, jejunii & abſtinentiæ lex eſt. Si a ligno jejunaſſet Eva, nequaquam hoc nunc jejunio opus haberemus. Neque enim qui valent egent medico, ſed qui male habent. In morbum incidimus per peccatum, ſanemur per pœnitentiam... quoniam non jejunavimus, exulamus e Paradiſo: Jejunemus igitur, ut ad illam poſtliminio revertamur*. Hunc locum profert S. Auguſtinus contra Julianum lib. 1. cap 5.

Eſt & alius & quidem luculentus in Conſtitutionibus Monaſticis cap. 4. ubi ſic loquitur Baſilius fere ad initium: *Neque enim eo conſilio Dominus hominem finxit, ut ſegnis ac languens deſideret, ſed contra potius ut eſſet, qui ſe in laboribus honeſtis exerceret... & tum deinde poſtquam ex eo ille ejectus exulavit, ſententiam tulit ut pane ſuo in ſudore vultus ſui veſceretur. Quod autem quæ Adæ dicta tum fuerant, ea omnibus etiam dicta ſint, qui ab eo ſint oriundi, ex hoc liquido perſpici poteſt, quod cum illum tantummodo tum nominatim Deus morte mulctaſſet, quando dixit, Terra es, & in terram reverteris: nihilominus tamen omnes, quotquot ab eo originem duxere, ejuſdem ſimiliter una cum eo calamitatis participes extitere.*

Audiamus & ipſum S. Joannem Chryſoſtomum, cujus autoritate abutebatur Julianus, ut perverſum Pelagii dogma ſtabi-

ſtabiliret; referente S. Auguſtino lib. 1. contra Jul. cap. 6. hæc ſcribit Epiſtola ad Olympiam: *Quando enim Adam peccavit illud grande peccatum, & omne genus hominum in commune damnavit, de mœrore pœnas luebat.* Et Homil. de Lazaro reſuſcitato: *Flebat Chriſtus, cur uſque ad hoc mortalitas deliquiſſet ut excuſſa de perennitatibus inferos adamaret. Flebat Chriſtus, quod eos qui immortales eſſe potuerunt, Diabolus fecit eſſe mortales.*

Item Homil. 9. in Geneſim. *Quod autem*, inquit, *nunc terrori nobis ſint beſtiæ, & timeamus, & dominio exciderimus, neque ipſe contradico. Verum hoc non arguit falſam Dei promiſſionem: nam ab initio res non ita habebant, ſed timebant & tremebant beſtiæ, & venerabantur dominum: ubi autem per inobedientiam, fiduciam & gratiam apud Deum amiſimus, etiam principatus noſter mutilatus eſt ..... Nam ſi terribiles fuiſſent hominibus beſtiæ, mulier ſerpente conſpecto non manſiſſet, neque conſilium accepiſſet, neque cum tanta ſecuritate illi locuta fuiſſet: ſed ſtatim ad aſpectum illius obſtupefacta profugiſſet: verum colloquitur nec metuit, nondum enim erat timor ille: cæterum ubi peccatum intravit, ablata eſt hæc poteſtas & dignitas.*

Ex quibus manifeſtum eſt, ut obſervat S. Auguſt. Chryſoſtomum hac diſputatione monſtraſſe, illud quod per unum hominem ingreſſum eſt, commune omnibus factum eſſe peccatum; quandoquidem omnibus terror communis eſt beſtiarum, quæ utique nec infantibus parcunt, quos profecto, ſecundum iſtum tractatum Joannis, nullo modo læderent, ſive terrerent, niſi eſſent veteris illius peccati obligatione conſtricti.

Quid vero apertiùs, inquit idem S. Auguſtinus, quam id quod dixit Homilia ad Neophitos: *Venit ſemel Chriſtus, invenit noſtrum Chirographum paternum quod ſcripſit Adam; ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus poſterioribus peccatis.* Numquid, pergit S. Auguſtinus, contentus fuit dicere, *peccatum Chirographum*, niſi adderet noſtrum, ut ſciremus antequam fœnus peccatis noſtris poſterioribus augeremus, jam illius Chirographi paterni ad nos debitum pertinere.

Et iterum, lege etiam quemadmodum exponat idem ipſe vir ſanctus Apoſtoli locum, ubi ſcriptum eſt, per unum hominem peccatum intravit in mundum: *Manifeſtum, quoniam non ipſum peccatum, quod ex legis transgreſſione, ſed illud peccatum quod ex Adæ inobedientia, hoc erat quod omnia contaminavit. Et quænam hujus rei probatio fuerit? Nempe quod homines ante legem interirent. Regnavit enim mors ab Adam uſque ad Moſem, in eos quoque qui non peccaverant. Quomodo regnavit? ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adam, qui typum gerit illius futuri: propterea enim & typus eſt Jeſu Chriſti Adam. Quomodo typus? quoniam quemadmodum ille omnibus a ſe (etiamſi de ligno non comediſſent) autor mortis extitit, ejus quæ ob cibum illum introducta eſt, ſic & Chriſtus.*

Et poſtea: *Ut cum tibi Judæus dixerit, quo pacto uno recte agente Chriſto, univerſus orbis ſalvus factus eſt, poſſis illi reſpondere: quo pacto uno non obediente Adam univerſus orbis condemnatus eſt? Quanquam nihil ſimile inter ſe habent peccatum & gratia; mors & vita; Diabolus & Deus... quod enim*, ait Apoſtolus, *ſenſum hunc habent, ſi tantum valuit peccatum, & hominis unius peccatum? gratia Dei & ea Dei gratia nec Patris ſolum, ſed & Filii, quomodo non ſuperavit magis? Hoc enim multo rationabilius. Alterum enim alterius peccato puniri, non admodum æquum atque conveniens eſſe videtur: at alterum propter alterum ſervari, & decentius multo, & rationi magis conſentaneum. Igitur ſi illud factum fuit molto magis hoc.*

Tum

Digitized by Google

Tum vero paulo poſt explicans illa verba Apoſtoli: *Judicium quidem ex uno in condemnationem: donum autem ex multis delictis ad juſtificationem;* hæc ſcribit: *Nempe quod & mortem & condemnationem unum quidem peccatum afferre potuit: gratia autem non illud modo peccatum ſuſtulit, ſed & quæ poſt illud supervenire . . . . ante enim dixit, ſi unus peccatum peremit omnes; multo certe magis unius gratia ſervare poterit. Poſtea oſtendit, non illud modo peccatum per gratiam extinctum, ſed & reliqua omnia: nec ipſa tantum peccata eſſe extincta, ſed & juſtitiam datam: atque adeo Chriſtum non modo tantum juviſſe, quantum læſerat Adam, ſed & multo magis ac multo plenius.*

His & aſtipulatur manifeſte S. Ambr. non uno in loco: ita lib. 2. de interpellatione David cap. 9. *Pulchre dixit, quaſi Adam, & introibo, ejecti enim eramus de Paradiſo Domini, ex quo Adam peccati ſui conſcius vultum Domini declinavit.* In Apologia David c. 11. *Antequam naſcamur,* inquit, *maculamur contagio, & ante uſuram lucis; originis ipſius excipimus injuriam, in iniquitate concipimur. Non expreſſit utrum parentum, an noſtra. Et in delictis generat unumquemque mater ſua, nec hic declaravit, utrum in delictis ſuis mater pariat, an jam ſint & aliqua delicta naſcentis. Sed vide ne utrumque intelligendum ſit. Nec conceptus iniquitatis exſors eſt, quoniam & parentes non carent lapſu. Et ſi nec unius diei infans ſine peccato eſt, multo magis nec illi materni conceptus dies ſine peccato ſunt. Concipimur ergo in peccato parentum, & in delictis eorum naſcimur . . . merito ergo David flebiliter in ſe deploravit ipſa inquinamenta naturæ, quod prius inciperet in homine macula, quam vita.*

Item Apologia altera cap. 12. n. 71. *Nempe omnes,* inquit, *in primo homine peccavimus, & per naturæ ſucceſſionem, culpæ quoque ab uno in omnes transfuſa ſucceſſio eſt . . . Adam ergo in ſingulis nobis eſt. In illo enim conditio humana deliquit, quia per unum in omnes pertranſivit peccatum.* Paulo ante dixerat c. 8. *Factus eſt igitur,* Adamus, *ille ſibi nudus, poſteaquam factus eſt reus culpæ. In illo nudata eſt omnis humana conditio per ſucceſſionem naturæ, non ſolum culpæ, ſed etiam ærumnæ obnoxia.*

Enarratione in Pſal. 38. num. 29. *Quiſquis igitur,* inquit, *habet iſtam ſubſtantiam animæ ſuæ, dicit: ab omnibus iniquitatibus meis eripe me. Non unius criminis lapſum fatetur, qui ab omnibus ſe iniquitatibus ſolvi precatur. Scit enim quod niſi Dominus ignoſcat, nemo ſalvus eſſe poſſit, quicunque natus eſt ſub peccato, quem ipſa noxiæ conditionis hæreditas aſtrinxit ad culpam.* Et in Pſalm. 48. num. 8. *Alia eſt iniquitas noſtra, alia calcanei noſtri, in quo Adam dente ſerpentis eſt vulneratus, & obnoxiam hereditatem ſucceſſionis humanæ ſuo vulnere dereliquit, ut omnes illo vulnere claudicemus . . . . Ergo David dicit: Iniquitates meæ ſuperpoſuerunt caput meum: qui ſe noverat in iniquitate eſſe conceptum, & in delictis a matre eſſe generatum.*

Lib. 1. de pœnitentia cap. 3. *Nam omnes homines,* inquit, *ſub peccato naſcimur, quorum ipſe ortus in vitio eſt, ſicut habes lectum, dicente David: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea.* Et Epiſt. 73. num. 9. *Sed quia non ſervavimus,* inquit, *iſta lex per Moyſem neceſſaria facta eſt, ut doceret me obedientiam, & laqueum illum ſolveret prævaricationis Adæ, qui laqueus totam aſtrinxit hereditatem.*

Lib. 2 de fide reſurrectionis nu. 6. *Lapſus ſum in Adam, de Paradiſo ejectus in Adam, mortuus in Adam, quomodo revocet, niſi me in Adam invenerit, ut in illo culpæ obnoxium, morti debitum, ita in Chriſto juſtificatum?*

Si ergo debitum eſt mortis, ſolutio debet eſſe tolerabilis.

Item expoſitione Evang. ſecundum Lucam I. 4. num. 67. *Omnes enim*, inquit, *in Adam mortui, quia per unum hominem in hunc mundum peccatum introivit, & per peccatum mors: ita & in omnes homines pertranſivit, in quo omnes peccaverunt. Illius igitur culpa mors omnium eſt*. Lib. 7. num. 73. *Cave ergo ne ante nuderis, ſicut Adam ante nudatus eſt, mandati cœleſtis cuſtodia deſtitutus, & exutus fidei veſtimento, & ſic lethale vulnus accepit, in quo omne genus occidiſſet, humanum, niſi Samaritanus ille deſcendens, vulnera ejus acerba curaſſet*. Et num. 234. *Poteſt tamen & hic in uno accipi ſpecies generis humani. Fuit Adam & in illo fuimus omnes. Periit Adam, & in illo omnes perierunt*.

Hæc porro S. Ambroſii teſtimonia ſunt adeo clara, adeo liquida ad aſtruendam peccati originalis propagationem, ut ipſe S. Auguſtinus eandem doctrinam non tradiderit expreſſius.

At inquit S. Auguſtinus alloquens Julianum lib. 1. c. 7. *His tot ac tantis molibus Virorum ſanctorum doctorumque vallatus; nec ſanctum Hieronymum, qu'a Presbyter fuit, contemnendum arbitreris, qui Græco & Latino inſuper & Hebræo eruditus eloquio, ex Occidentali ad Orientalem tranſiens Eccleſiam, in Locis ſanctis atque in Litteris ſacris uſque ad decrepitam vixit ætatem, omneſque vel pene omnes qui ante illum aliquid ex utraque parte orbis de Doctrina Eccleſiaſtica ſcripſerant, legit; nec aliam de hac re tenuit, promſitque ſententiam*. Is autem in cap. 3. Jonæ, ad illa verba, *veſtiti ſunt ſaccis*, dixit quod *etiam parvuli peccato offendentis Adam tenentur obnoxii*. Item & hæc apud eundem leguntur Comment. in cap. 2. Micheæ: *Unuſquiſque noſtrum, cum Adam de Paradiſo cecidit, & in hujus mundi captivitate verſatur*. Idem vel clarius docet Comment. in cap. 47. Ezechiel.

Audiamus inſuper S. Pacianum Barcinonenſem in Sermone ad Fideles & Cathechumenos *de Baptiſmo*, qui habetur tom. 2. Bib. PP. *Scitis certe*, inquit, *illud antiquum; quod Adam terrenæ origini præſtitutus ſit, quæ utique damnatio illi æternæ mortis impoſuit; & omnibus ab eo poſteris, quos lex una retinebat, hæc mors in genus omne dominata eſt . . . Adam poſtquam peccavit, ut retuli, dicente tunc Domino, Terra es, & in terram ibis; addictus eſt morti. Hæc addictio in genus omne defluxit; omnes enim peccaverunt, ipſa jam urgente natura ſicut Apoſtolus dicit; quia per unum hominem peccatum introivit, & per delictum mors, & ſic in omnes homines devenit, in quo omnes peccaverunt*. Obiit iſte Scriptor quarto ſæculo ante exortam Pelagianorum hæreſim.

Ex quibus omnibus ſanctorum Patrum teſtimoniis aperta eſt unicuique & indubitata univerſæ Eccleſiæ doctrina de peccati originalis propagatione; ut enim loquitur S. Auguſtinus ſub finem lib. 2. contra Julianum, *quod invenerunt in Eccleſia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt*.

Neque laudanda mihi hoc loco atque exſcribenda pluribus eſſe arbitror teſtimonia S. Auguſtini; nemo enim mediocriter doctus ignorat fundatiſſimum hoc Fidei Catholicæ dogma adverſus nefariam Pelagianorum hæreſim integris voluminibus ab eo propugnatum & aſſertium fuiſſe: quædam tamen mox proferemus, cum & ratione Thelogica ſcilicet hanc doctrinam ſtabiliemus.

Aſſe-

Aſſeritur idem dogma ex Conciliis & Summis Pontificibus.

UBi primum itaque in apertam lucem erupit peſtilentiſſimus Pelagii Cœleſtiique error de peccato originali, in eum ſtatim inſurrexerunt Catholici Præſules, habitaque ſunt in variis mundi partibus Concilia, in quibus aperte proſcriptus eſt, *non ſolum Imperialibus Legibus, ſed etiam Sacerdotalibus Statutis depoſiti atque exauctorati ſunt, &c.* inquit Marius Mercator Commonit. cap. 3.

Quatuor ſupra viginti Synodi ab exordio hæreſis Pelagianæ ad uſque Concilium Epheſinum, quod tertium eſt generale, recenſeri poſſunt, fuitque temporis illius ſpatium non amplius quam novemdecim annorum, quibus hæreſis Pelagii Cœleſtiique viſa eſt aliquid virium exercere aut retinere.

Hæc ſunt potiſſimum Concilia in quibus expreſſe damnati ſunt Pelagiani, quod peccati originalis propagationem negarent, prima videlicet Synodus Carthaginenſis ſub Aurelio Epiſcopo habita in cauſa Cœleſtii anno 412. ibi id inter cætera condemnatum fuit in Cœleſtio, quod diceret, *peccatum Adæ ipſi ſoli obfuiſſe & non generi humano;* unde Patres ſic pronuntiant: *Proditus*, inquiunt, *auditusque eſt & frequenter Cœleſtius, immo convictus, conſeſſuſque & deteſtatus ab Eccleſia, id eſt anathemate percuſſus, ac communione privatus, donec aperte objecta anathematizaret.*

Anno 415. habita eſt altera Synodus Dioſpolitana in urbe ſcilicet Palæſtinæ Cæſarienſis, quæ tametſi Pelagius ab erroribus ſuis abſolutionem callide ſuffuratus eſt ab Præſulibus Græcis, quibus per interpretem ambigue reſpondebat, tamen iſtas propoſitiones anathemate confixit. 1. *Quod peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum.* 2. *Quod infantes nuper nati in illo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* 3. *Quod neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus hominum moriatur.* 4. *Quod infantes, etſi non baptizentur, habeant vitam æternam.*

Acceſſit alia Synodus Carthaginenſis ab Aurelio coacta adverſus Pelagium & Cœleſtium abſentes, & habita anno 416. Adfuerunt 68. Epiſcopi, qui Synodicam miſerunt ad ſummum Pontificem Innocentium I. in qua duo tantum Pelagiani erroris dogmata expoſuerunt: Alterum de neceſſitate gratiæ ad bona opera exercenda: alterum de baptiſmo parvulorum propter peccatum originale tollendum. Sic iſtum deſcribunt errorem Patres Carthaginenſes: *Parvulos etiam propter ſalutem, quæ per Salvatorem Chriſtum datur, baptizandos negant, ac ſic eos mortiſera iſta doctrina in æternum necant, promittentes, etiamſi non baptizentur, habituros vitam æternam, nec pertinere ad eos, de quibus Dominus ait: Venit enim filius hominis quærere & ſalvare quod perierat, quia iſti, inquiunt, non perierant, nec eſt quod in eis ſalvetur, vel tanto pretio redimatur, quia nihil eſt in eis vitiatum, nihil tenetur ſub Diaboli poteſtate captivum, nec pro eis fuſus eſt ſanguis, qui fuſus eſſe in remiſſionem legitur, peccatorum.*

Fuit & eodem fere tempore celebrata alia Synodus in urbe Milevitana Provinciæ Numidiæ; adfuerunt unus & ſexaginta Epiſcopi, qui quidem Carthaginenſes imitati Synodicam ad Innocentium ſcripſerunt, eandem cauſam impugnantes: *Hæc duo*, inquiunt, *quibus omnino totum, quod Chriſtiani ſumus, nituntur evertere, quæ fidelia corda ſuſtinent, non, eſſe rogandum Deum, ut contra peccati malum, atque ad operandam juſtitiam ſit noſter adjutor, & non opitulari parvulis ad conſequendam vitam æternam, chriſtianæ gratiæ ſacramentum.*

Quin & ad hanc Pelagianorum hæreſim profligandam habita eſt ab Attico Synodus Conſtantinopolitana, ut compertum eſt ex S. Auguſtino lib. 3. contra Julianum cap. 1. his verbis: *Ubique diffuſus Chriſti exercitus debellavit*

apud

apud Carthaginem Cæleſtium, quando ipſe non eram, & rurſus Conſtantinopoli longe a regionibus Africanis. Tum ex Mario Mercatores Common. cap. 2. *Inde poſt aliquantos annos ſub ſanctæ memoriæ Attico Epiſcopo urbem Conſtantinopolitanam petiit: ubi in ſimilibus detectus magno ſtudio ſancti illius viri ex prædicta alma urbe detruſus eſt, litteris ſuper ejus nomine & in Aſiam, & Theſſalonicam, & Carthaginem ad Epiſcopos miſſis, quarum exemplaria habentes proferre ſumus parati.*

Idem Mercator ſcribit cap. 3. habitam fuiſſe aliam Synodum Antiochiæ ſub Theodoro hujus urbis Epiſcopo: *Adhuc etiam*, inquit, *Jeroſolymis conſtitutus Pelagius accuſatus fuit apud Synodum, & primo quidem tergiverſando ambiguis quibuſdam ſe profeſſionibus tegens & proſequens dubia, vel reſpondens, illam tunc videtur Epiſcoporum, audientiam deluſiſſe: Sed poſtmodum evidenter deprehenſus, inſiſtentibus accuſatoribus a poſteriore Synodo, cui ſanctæ memoriæ Theodotus Antiochiæ præſedit Epiſcopus atque detectus, a ſanctis quoque & venerabilibus Hieroſolymorum locis eſt deturbatus, quod ejuſdem ſancti Theodoti ad Reverendiſſimum urbis Romæ Epiſcopum, & ſanctæ recordationis Praylii Hieroſolymitani Epiſcopi miſſa ſcripta teſtantur, quorum exemplaria ad documentum habemus in manibus.*

Citari poteſt inſuper alia Synodus Carthaginenſis quæ ab Aurelio ex omnibus Africæ Provinciis collecta fuit anno 418. Plenarium dicitur ab Auguſtino Concilium, in quo editi ſunt octo Canones ad fidem pertinentes, quorum hic ſecundus eſt. *Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur; unde fit conſequens, ut in eis forma baptiſmatis in remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur, anathema ſit. Quoniam non aliter intelligendum eſt, quod ait Apoſtolus, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt, niſi quemadmodum Eccleſia Catholica ubique diffuſa ſemper intellexit.*

Et tandem Epheſina Synodus (quæ tertia eſt generalis) & in cauſa Neſtorii habita anno 431. ubi Patres in Synodica ad Celeſtinum ſic loquuntur: *Perlectis in ſancta Synodo commentariis actorum in condemnatione impiorum Pelagianorum & Celeſtianorum, & quæ a pietate tua de ipſis decreta & conſtituta ſunt, judicavimus & nos ea ſolida firmaque permanere debere, & idem omnes tecum ſtatuimus, eos pro condemnatis habentes.* Et in actione VII. in præfatione canonum habentur iſta de Neſtorianis & Celeſtianis manifeſto ſigno deprehendendis: *Hi nullam omnino Eccleſiaſticæ communionis facultatem habentes, ut ex autoritate ſacerdotali cuiquam nocere vel prodeſſe poſſint: propterea quod etiam quidam ex ipſis ſunt depoſiti, cum primis Neſtorii & Celeſtii ſequi ſententias manifeſte ex eo ſunt deprehenſi, quod Neſtorium nobiſcum condemnare noluerunt: ſuos ſancta Synodus communi decreto ab omni Eccleſiaſtica communione alienos eſſe ſtatuit.*

Quibus adde authenticam ſuper iſto dogmate Conc. Triden. definitionem, quæ ſeſſ. 5. can. 2. legitur his verbis. *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam a Deo ſanctitatem & juſtitiam quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam eam perdidiſſe; aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, anathema ſit, cum contradicat Apoſtolo dicenti (per unum hominem &c.)*

Hæc porro eandem plane fuit doctrina Summorum Pontificum, ab exorta nimirum Pelagii hæreſi.

Proferri primum poteſt Innocentius I. qui tribus acceptis ex Africa Epiſto-

lis

lis Synodum coegit Romæ anno Chriſti 417. in qua damnati ſunt duo Pelagianorum errores, alterum de neceſſitate gratiæ, alterum de baptiſmo infantium propter peccatum originale. Extant tres epiſtolæ Innocentii ad Africanos Præſules, in quarum una ſic loquitur: *Illud vero quod eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare parvulos æternæ vitæ præmiis etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt: Niſi enim manducaverint carnem Filii Hominis, & biberint Sanguinem ejus, non habebunt vitam in ſemetipſis: qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum baptiſmum velle caſſare, cum prædicant hos habere quod in eos creditur nonniſi bapiſmate conferendum. Si ergo nihil volunt officere, non renaſci fateantur neceſſe eſt, nec regenerationis ſacra fluenta prodeſſe.*

Dehinc Zozimus ſummus Pontifex qui poſt patefactas Celeſtii artes, quibus antea deluſus fuerat, coacto Romæ Concilio adverſus Pelagium & eundem Celeſtium, inde tractoriam ad omnes univerſi orbis Catholicos miſit Epiſtolam, quæ ut ait S. Proſper lib. contra Collatorem cap. 41. *ad impiorum detruncationem gladio Petri dextras omnium armavit antiſtitum.* Hujus Epiſtolæ nihil ſupereſt, niſi fragmenta quædam, qualia leguntur apud Auguſtinum Epiſt. 190. ad Optatum his verbis, quæ maxime ad rem noſtram attinent: *Fidelis Dominus in verbis ſuis, ejuſque baptiſmus re ac verbis, id eſt opere, confeſſione & remiſſione vera peccatorum, in omni ſexu, ætate, conditione generis humani eamdem plenitudinem tenet. Nullus enim, niſi qui peccati ſervus eſt, liber efficitur: nec redemptus dici poteſt, niſi qui vere per peccatum fuerit ante captivus, ſicut ſcriptum eſt: Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis: per ipſum enim renaſcimur ſpiritaliter, per ipſum crucifigimur mundo: ipſius morte, mortis ab Adam omnibus nobis introductæ, atque tranſmiſſæ univerſæ animæ, illud propagatione contractum Chirographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum, antequam per baptiſmum liberetur, non tenetur obnoxius.*

Ac demum Celeſtinus ſummus Pontifex, qui in cauſa Neſtorii ſimul & Epiſcoporum, Neſtorio adhærere videbatur, Concilium coegit Romæ, ex quo plures dedit Epiſtolas, nempe ad Clerum Conſtantinopolitanum, Joannem Antiochenum, Juvenalem Hieroſolymitanum, Cyrillum Alexandrinum, & ipſum quoque Neſtorium. In hac porro ſic loquitur: *Aliquantis diebus vitæ noſtræ, poſt nefandum & ſæpe damnatum dogma Pelagii atque Celeſtii, catholica fides quietem habuit, quando eos cum ſuæ opinionis ſequacibus telis unitæ ſententiæ Oriens Occidenſque percuſſit .... hoc loco quia opportunitas ſermonis expoſcit, tacere non poſſumus, quod ſtupemus. Legimus, quam bene teneas originale peccatum, qualiter ipſam naturam aſſeris debitricem, & eum debitum merito reddere, qui deſcendit de genere debitoris. Qui tecum faciunt qui ſunt hæc negando damnati? ejicerentur denique, ſi tibi quoque ſimiliter diſplicerent.*

Eadem veritas Catholica probatur ratione.

Ex variis atque validiſſimis rationibus quæ ad aſſerendam peccati originalis propagationem afferri poſſunt, nonnullas ſeligemus, quæ ſæpius a S. Auguſt. hujuſce dogmatis acerrimo defenſore urgeri ſolent adverſus Pelagianos.

Prima petitur ex neceſſitate Baptiſmi, quam pro ipſis quoque infantibus univerſa ſemper agnovit Eccleſia his innixa Chriſti Domini verbis Jo. 3. cap. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Maximam vero diligentiam ſemper ab ipſis Apoſtolorum temporibus adhibitam a parentibus, ut Baptiſmum procurarent infantibus, manifeſte liquet ex antiquorum teſtimonio, quod ſane ſupponit certam atque indubitatam fuiſſe omnium Chriſtianorum de peccati originalis propagatione perſuaſionem: tum quia per

Ba-

Baptiſmum homo dicitur renaſci, *niſi quis renatus fuerit &c.* Renaſci vero non poteſt, niſi qui antea fuerit mortuus, renaſci nempe per gratiam, niſi qui mortuus fuerit per peccatum: tum quia qui baptizatur, eatenus abluitur, emundatur, lavatur, ſordes in eo abſterguntur, non carnis, ſed peccati, quod aliud non eſt in parvulis quam peccatum originale: ergo baptiſmus ſedulo & diligenter collatus parvulis ſupponit communem & receptiſſimam in Eccleſia fidem de peccato originali.

Hoc argumentum uſurpat S. Auguſtinus lib. 3. contra Julianum c. 3. *Non eos dicitis*, parvulos, *non debere baptizari, ſed pro magnitudine ſapientiæ veſtræ res mirabiles dicitis: in Sacramento Salvatoris baptizantur, ſed non ſalvantur; redimuntur, ſed non liberantur: lavantur, ſed non abluuntur; exorcizantur & exſufflantur, ſed a poteſtate Diaboli non eruuntur. Hæc ſunt ſententiarum portenta veſtrarum, hæc inopinata myſteria dogmatum novorum, hæc paradoxa Pelagianorum Hæreticorum, mirabiliora quam Stoicorum Philoſohorum. Ut enim hæc dicatis, timetis audire, ſi ſalvantur, quid in eis ægrotabat? Si liberantur, quod in eis ſervitutis, vinculo tenebatur? Si abluuntur, quid in eis latebat immundum? Si eruuntur, quo merito erant ſub Diaboli poteſtate, qui propria iniquitate non erant rei niſi quia trahunt, quod negatis, originale peccatum; Et ad hoc negatis, non ut eos ſalvos, liberos, mundos, nulli hoſti ſubditos aſſeratis; non enim aliquid eis opitulatur veſtrum teſtimonium falſum ante judicem verum; ſed ut illis in mala vetuſtate remanentibus, vos novam ſectemini vanitatem. Non enim veſtra, ſed illius eſt vera ſententia qui dixit, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt intrare in regnum Dei.*

Reſpondebant quidem Pelagiani Baptiſmum conferri parvulis, ut in regnum cœlorum intrare poſſent juxta Chriſti verba; nequaquam vero ut, vitam conſequerentur æternam, minime Baptizatis, utpote innocentibus & ſine ullo peccato decedentibus alioquin impertiendam.

Sed hoc inauditum ac plane ſtupendum Pelagianorum commentum conſtat non ſemel ab Auguſtino exploſum, & præcipue in ſermone 294. alias 14. de verbis Apoſtoli. *Cum enim dicunt*, inquit cap. 2. *non eſſe baptizandos ſalutis & vitæ æternæ percipiendæ cauſa, ſed tantummodo regni cœlorum & regni Dei, baptizandos quidem fatentur, ſed non propter vitam æternam, ſed propter regnum cœlorum. Quid de vita æterna? Habebunt, inquiunt; quare habebunt? Quia nullum peccatum habent & ad damnationem pertinere non poſſunt. Ergo eſt vita æterna extra regnum cœlorum. Primus hic error averſandus ab auribus, extirpandus a mentibus. Hoc novum in Eccleſia prius inauditum eſt, eſſe vitam æternam præter regnum cœlorum, eſſe ſalutem æternam præter regnum Dei.*

Et aliter cap. 6. *Quare enim*, inquit, *patrimonium regni cœlorum abripis innocenti? A quo regnum cœlorum non acquiritur, profecto magno bono fraudatur. Quæ eſt iſta juſtitia, dic quare? Quid offendit parvulus non baptizatus, nullam habens culpam nec ſuam nec de parente tractam? Quid offendit, dic mihi, ut non intret in regnum cœlorum, ut ſeparetur a ſorte Sanctorum?*

Tum vero cap. 13. *Ubi ponis parvulos baptizatos? Profecto in numero credentium. Nam ideo & conſuetudine Eccleſiæ antiqua, canonica fundatiſſima parvuli baptizati fideles vocantur. Et ſic de his quærimus, iſte infans Chriſtianus eſt? Reſpondetur, Chriſtianus. Cathecumenus, an Fidelis, utique a fide, fides a credendo. Inter credentes igitur baptizatos parvulos numerabis: nec judicare ullo modo aliter audebis, ſi non vis apertus eſſe Hæreticus. Ergo ideo habent vitam æternam, quia qui credit in Filium, habet vitam æternam: Noli eis ſine iſta fide, & ſine iſto Sacramento hujus fidei, promittere vitam æternam.*

nam. Ubi S. Auguſtinus tribus potiſſimum momentis hanc refellit fictitiam Pelagianorum diſtinctionem, qua vitam æternam ſecernebant a regno cœlorum reſpectu infantium non baptizatorum: 1. quia ejuſmodi error novus eſt in Eccleſia & plane inauditus, quandoquidem infantes in ultimo judicio erunt a ſiniſtris & in ignem æternum mittentur. 2. Quia ſi parvuli ſint innocentes, regno cœlorum non magis quam vita æterna fraudari debent. 3. Quia ex Scripturis nemo habebit vitam æternam, niſi ſit Fidelis, niſi credat in Filium, adeoque ſit baptizatus.

Huic porro rationi quam ex neceſſitate Baptiſmi repetimus, poteſt & alia ſubjungi ducta videlicet ex praxi Eccleſiæ quæ in Baptiſmo exorciſmos adhibere ſolet; ſi enim vere exorcizatur atque exſufflatur Diabolus quando parvuli baptizantur, inde ſequitur manifeſte eos præſupponi ſub poteſtate Diaboli conſtitutos: at non ſunt ſub poteſtate Diaboli niſi per peccatum, non per peccatum actuale, quod nullum eſſe poteſt in parvulis: ergo per peccatum originale.

Hoc argumento perſæpe utitur Auguſtinus; ſic v. g. l. 2. operis imperf. contra Jul. c. 181. *Propter hoc*, inquit, *& infantes, cum baptizantur, eruuntur de poteſtate tenebrarum, alioquin cum magna injuria Dei, ſicut jam diximus, & ſæpe dicendum eſt, exorcizatur & exſufflatur imago Dei, ſi non ibi ille exorcizatur & exſufflatur princeps mundi qui mittitur foras, ut ſit illic habitatio Spiritus ſancti.* Et lib. 6. cap. 23. *In quibus*, inquit, *tu Eccleſiam Catholicam crimine majeſtatis accuſas, ſi, ut dicis, non eruuntur de poteſtate tenebrarum, cum baptizantur parvuli, & illa priuſquam baptizentur, exorcizat & exſufflat tot imagines Dei.*

Tertia ratio ad aſtruendam peccati originalis propagationem merito petitur ex variis miſeriis quibus & ipſi infantes mancipantur. Scilicet injuſtus videretur eſſe Deus, ſi grave hoc jugum, quod eſt ſuper filios Adam ab ipſa nativitate parvulis infligeret nullo peccato contaminatis. Hoc momentum frequentiſſime uſurpat S. Auguſtinus: *Quando parvulum*, inquit, lib. 2. operis imperf. cap. 87. *ſpiritus vexat immundus, animamque ejus & corpus affligit, ſenſus ſanitatemque pervertit, nonne univerſa ejus quam Deus inſtituit, natura turbatur? Nec invenitis omnino tanti hujus mali meritum, negantes originale peccatum. Cur enim non hic attendis, in natura hominis per Diaboli virus cuncta Dei inſtituta turbari? Dic cauſam parvuli, dic reatum ejus, cui recens nato iſta contingunt, qui non vis verba Apoſtolica ſic accipere.* Et lib. 3. cap. 77. *Quoniam Dei non eſt iniquum judicium, ideo in miſeria generis humani, quæ incipit a fletibus parvulorum, agnoſcendum eſt originale peccatum.*

Inſigne eſt quod ſcribit l. 4. contra duas Epiſt. Pelagianorum cap. 4. *Sed Pelagiani quomodo dicunt, ſolam mortem ad nos tranſiſſe per Adam: ſi enim propterea morimur quia ille mortuus eſt, ille autem mortuus eſt quia peccavit; pœnam dicunt tranſire ſine culpa, & innocentes parvulos injuſto ſupplicio puniri, trahendo mortem ſine meritis mortis. Quod de uno ſolo mediatore Dei & hominum homine Chriſto Jeſu Catholica fides novit, qui pro nobis mortem, hoc eſt peccati pœnam, ſine peccato ſubire dignatus eſt.*

Quarta ratio petitur ex concupiſcentia ſeu vitioſa voluntatis humanæ ad peccatum libidine, quia nimirum cum ejuſmodi concupiſcentia de ſe ſit mala, a Deo inſerta dici non poteſt, adeoque neceſſe eſt ut agnoſcatur aliquid peccatum originale, cujus ipſa ſit veluti germen & fœtus. Ita S. Auguſtinus lib. contra Julianum cap. ultimo: *Verumtamen*, inquit, *quid comprimitur animi imperio ne peccetur, niſi malum quo vincente peccatur? Quod malum. ne dicamus cum Manichæis tanquam ex aliena mali natura nobis eſſe commixtum; reſtat ut in noſtra natura tanquam vulnus aliquod fateamur eſſe ſanandum, cujus reatum jam fate-*

fatemur regeneratione ſanatum .... fatere igitur ingenitos eſſe motus homini malos, contra quos caſtitas dimicat. Et ne dicere cum Manichæis cogaris alienæ mali naturæ nobis ineſſe commixtionem, noſtrum potius confitere languorem.

Quinta demum ratio petitur ex morte Chriſti pro omnibus & ſingulis hominibus adeoque pro parvulis; quorum ſimiliter eſt Salvator & Redemtor; quod quidem intelligi non poſſet niſi peccato originali ſupponerentur obnoxii. Hoc argumentum egregie proſequitur S. Aug. l. 1. de peccat. merit. cap. 22. & 23. *Cedamus igitur*, inquit, *& conſentiamus autoritati ſanctæ Scripturæ, quæ neſcit falli nec fallere, & ſicut nondùm natos ad diſcernenda merita eorum aliquid boni vel mali egiſſe non credimus, ita omnes ſub peccato eſſe, quod per unum hominem intravit in mundum, & per omnes homines pertranſiit, a quo non liberat niſi gratia Dei per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, minime dubitemus. Cujus medicinalis adventus non eſt opus ſanis ſed ægrotantibus, quia non venit vocare juſtos, ſed peccatores: in cujus regnum non intrabit, niſi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu, nec præter regnum ejus ſalutem ac vitam poſſidebit æternam.... ab hoc peccato, ab hac ægritudine, ab hac ira Dei, cujus naturaliter filii ſunt, qui etiamſi per ætatem non habent proprium, trahunt tamen originale peccatum, non liberat niſi Agnus Dei qui tollit peccata mundi; non niſi Medicus, qui non venit propter ſanos, ſed propter ægrotos; non niſi Salvator, de quo dictum eſt generi humano, Natus eſt vobis hodie Salvator; non niſi Redemptor, cujus ſanguine deletur debitum noſtrum. Nam quis audeat dicere, non eſſe Chriſtum infantium Salvatorem nec Redemptorem? Unde autem ſalvos fecit, ſi nulla in eis eſt originalis ægritudo peccati? Unde redimit, ſi non ſunt per originem primi hominis venundati ſub peccato?*

Solvuntur objectiones e Scripturis, & ratione petitæ.

OBjicies, ſi quo poſſet Scripturæ teſtimonio probari peccatum originale, maxime capite quinto Epiſtolæ ad Romanos: atqui hoc teſtimonio neutiquam probari poteſt peccatum originale: ibi enim non aſſeritur peccatum originale, ſeu vera peccati originalis propagatio ad ſenſum Eccleſiæ Catholicæ, ubi peccatum dicitur intraſſe in mundum per unum hominem; vel eo ſenſu tantum, quod iſte primus peccaverat; vel eo ſenſu, quod per imitationem introierit; ſeu, ut ajunt, forma & exemplo, quatenus Adamum peccantem poſteri ejus peccando imitati ſunt: atqui nil vetat, quominus præfatum Apoſtoli locum interpretemur in hunc ſenſum, qui profecto cum uſitato loquendi modo magis conſentire videtur: peccatum enim per aliquem ſceleſtum & perditum hominem intrare dicitur in aliquam ſocietatem, quatenus eum imitantur cæteri ejuſdem ſocietatis: ergo ex illo S. Pauli teſtimonio probari non poteſt peccati originalis propagatio.

Nego utramque minorem, & dico neutro ſenſu niſi abſurde admodum & inepte explicari poſſe hunc Apoſtoli locum.

Ac primo quominus exponatur eo ſenſu tantum, quod primus homo peccaverit, & ita ut cæteri homines in eo non peccaverint, obſtant manifeſte verba quæ immediate ſequuntur, *in quo omnes peccaverunt;* ſive enim hæc verba *in quo* referantur ad peccatum, ut contendunt nonnulli; ſive revocentur ad hominem, ut communior Interpretum fert ſententia, inde certum atque indubitatum manet omnes homines hoc primi hominis peccato naſci infectos. Quibus adde non primum peccaſſe Adamum; antequam enim peccaret, peccaverat Eva, & ante Evam Diabolus.

Deinde nec dici poteſt intelligendum eſſe

eſſe hunc locum de imitatione, quemadmodum exponi ſolebat a Pelagianis.

1. Quia ibi agitur de peccato, quod omnes homines, ac proinde infantes ipſi contraxerunt, *in quo omnes peccaverunt:* ſed peccatum transfundi non poteſt in parvulos per imitationem, ut per ſe patet, quia nempe aliquem imitari nondum valent, ut docet Auguſtin. lib. 1. de peccat. meritis, cap. 9. igitur &c.

2. Quia docet Apoſtolus per unum hominem peccatum intraſſe in mundum, ſicut per peccatum intravit mors: atqui mors dici non poteſt intraſſe in mundum per imitationem, ſed revera tracta eſt per generationem, una cum natura ex ipſis viſceribus matris: ergo nec peccatum.

3. Quia peccare per Adamum imitatione, eſt peccare ſequendo exemplum Adami: ſed multi ſunt homines qui certe non peccarunt ſequendo exemplum Adami, quia nimirum de Adamo & ejus peccato nihil unquam audiverunt; quos tamen hac ſua ſententia comprehendit Apoſtolus; igitur.

4. Si divus Paulus loqueretur de imitatione, non dixiſſet, per unum hominem peccatum intraſſe in hunc mundum, ſed per Diabolum; quicumque enim peccant, Diaboli imitatione peccant, quia primus peccavit. Unde Scriptura, quando agit de peccato imitationis, illud non refert in Adamum, ſed in Diabolum. Sapient. 2. *imitantur illum qui ſunt ex parte ejus*. Joan. 8. 44. *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere*. Ergo cum dicit Apoſtolus, per unum hominem peccatum intraſſe in mundum, aliquid amplius ſignificare voluit quam imitationem. Ita S. Auguſtin. lib. 1. de peccat. merit. cap. 9.

5. Quia, ut ibidem argumentatur S. Doctor, docet ibi S. Paulus; quemadmodum per Adamum peccatum intravit in mundum, ita & juſtitiam intraſſe per Chriſtum: atqui juſtitia non intravit per Chriſtum ſola imitatione: *Chriſtum*, inquit, *imitantur Sancti ejus ad ſequendam juſtitiam. Unde & idem Apoſtolus dicit: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti: ſed præter hanc imitationem gratia ejus illuminationem juſtificationemque noſtram etiam intrinſecus operatur, illo opere, de quo idem prædicator ejus dicit: Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus: hac enim gratia baptizatos quoque parvulos ſuos inſerit corpori, qui certe imitari aliquem nondum valent*. Præterquamquod Patriarchæ & alii juſti veteris Teſtamenti juſtificati ſunt per Chriſtum, quem procul dubio imitati non ſunt: igitur.

6. denique, quia ſi de imitatione locutus fuiſſet Apoſtolus, hæc verba non addidiſſet: *Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in juſtificationem*. Ut ibidem obſervat S. Auguſtin. cap. 12. ſi enim peccatum intravit per imitationem, judicium non eſt ex uno peccato in condemnationem, ſed ex multis, in illa enim ſententia non unum peccatum, ſed multa imitati ſunt homines: quamobrem illud peccatum quod per unum hominem intravit in mundum, aliud non eſt præter peccatum originale, quod introivit propagine non imitatione.

Atque hæc adeo ſunt clara, adeo liquida, ut miratus ſim perſæpe Erasmi, interpretis alioqui acutiſſimi, audaciam, qui cum Pelagianis hunc Apoſtoli locum explicuit de imitatione non de propagine, de peccato actuali non de originali, ubi certe mentem Divi Pauli non fuit aſſecutus.

Neque vero cuiquam probari debet Erasmus, cum in hujus ſuæ opinionis præſidium, hæc Apoſtoli verba, *in quo omnes peccaverunt*, ita vertit, *quatenus omnes peccaverunt*. Obſervat enim Eſtius in hunc locum, nullos vetuſtos Interpretes nec latinos nec græcos particulam illam *in quo* per *quatenus* exponere, ſi unus dematur Pelagius, cujus hæc verba ſunt, *in quo omnes peccaverunt, hoc eſt, in eo quod omnes peccaverunt, exemplo Adæ peccant*. Quanquam ejusmodi verſio ut-

cumque tolerari poſſet, ſi id non de peccatis actualibus, ſed de originali intelligeretur, ita ut ſenſus eſſet mortem pertranſiiſſe in omnes, quia omnes peccaverant, ſed is non fuit Eraſmi ſenſus.

Huic autem Eraſmianæ verſioni neutiquam favet præpoſitio græca in hac phraſi, ἐφῷ, quam, inquit Eſtius, cenſent cauſalem; adeoque vertunt per *quatenus*? Conſtat enim Apoſtolum in ſuis Epiſtolis, & S. Lucam in Actis promiſcue uti hiſce præpoſitionibus, ἐπὶ, ἐν, & εἰς, pro una præpoſitione latina, *in*. Nam paulo poſt, ubi legimus, *in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*, græce habetur, ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι, in ſimilitudine. Actorum 2. cap. v. 38. *baptizetur unusquisque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti*, græce eſt, ἐπὶ τῷ ὀνόματι, quæ loca ſic vertit & ipſe Eraſmus.

Putat Maldonatus, ubi de peccato originali differit, quod D. Paulus græce dixit ἐφῷ, idem ſignificare quod latine, *quia*, quod apud optimos autores frequentiſſimum eſt: unde, inquit ille, ſenſus Apoſtoli eſt, ita in omnes homines mortem pertranſiiſſe, in omnes, quia peccaverunt, quod aperte eſt contra errorem Pelagianorum.

Inſtabis, de eo peccato loquitur Apoſtolus his verbis verſic. 12. *per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum &c.* de quo loquitur verbis immediate ſequentibus verſ. 13. *uſque ad legem enim peccatum erat in mundo*, duo enim illi verſiculi conjuncti ſunt, & uno tenore ſcripti: atqui hoc in verſiculo 13. per peccatum non intelligit Apoſtolus peccatum originale; ſiquidem agit de peccato quod ante legem non imputabatur, & poſt legem imputatum eſt: illud dici non poteſt de peccato originali, quod perinde imputatum eſt ante & poſt legem, Moſaicam ſcilicet: igitur præfato verſic. 12. non agitur de peccato originali.

Huic argumento reſpondent plerique Theologi & Interpretes hoc in cap. 5. Epiſt. ad Rom. ſermonem eſſe de peccato generaliter, ita ut etiam actualia comprehendat, quorum omnium fons eſt & radix peccatum originale, aiuntque violentam non eſſe ejuſmodi interpretationem, quia vult oſtendere Apoſtolus, poſteaquam peccatum ſemel intravit in mundum; ſemper in mundo fuiſſe & regnaſſe etiam ante legem Moſaicam; unde cum loquatur de peccato in genere, mirum videri non debet, ſi exponatur verſiculus 12. de peccato originali, verſiculus autem 13. de peccato actuali.

In illa ſententia ſic exponuntur hæc verba ejuſdem verſiculi, *peccatum autem non imputabatur cum lex non eſſet*. Negat, inquiunt, Apoſtolus ſine lege peccatum imputari, non ſimpliciter, ſic enim ante legem juſti fuiſſent omnes, juxta illud: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*. Sed imputari ad tranſgreſſionem, quia *ubi non eſt lex, nec prævaricatio*. Negat, inquam, peccatum, ubi lex non eſt, imputari ad tranſgreſſionem.

Quod ſi objicias, ſi non imputabatur peccatum ante legem, quomodo tam graviter a Deo punitum legitur, ut tunc mundum diluvio deleret, Cain vagus & profugus eſſet ſuper terram, Sodoma incendio ſubverteretur? Reſpondent eos omnes punitos fuiſſe, non ob tranſgreſſionem legis alicujus a Deo poſitæ, neque enim data erat lex; ſed propter violata jura naturæ peccatis tam magnis, ut Dei provocarent ultionem; ita Eſtius.

Huic interpretationi valde affinis eſt altera ejuſdem loci expoſitio quam in alia occaſione adduximus; ſcilicet diximus, quoniam Apoſtolus hoc in capite differit de peccato generaliter ſpectato, eum loqui de peccato originali in verſiculo 12. & de peccato actuali in verſiculo 13. id vero peccati genus, quod non imputabatur ante legem, fuiſſe peccata deſiderii, quæ quidem revera non imputabantur, quia nondum per legem fuerant prohibita, juxta illud Rom. 7. *Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces*.

Reſpondet aliter Maldonatus, ſcilicet D. Pau-

Digitized by Google

D. Paulum verba facere de peccato originali in utroque verſiculo, & declarat illud peccatum quod per unum hominem intravit in hunc mundum, ſemper fuiſſe ab Adamo uſque ad legem: poſito hoc principio, quod vult omnibus eſſe manifeſtum, ait mortem non eſſe, ubi non eſt peccatum. Quod autem dicit Apoſtolus, *peccatum autem non imputabatur*, in quibus verbis occurrit major difficultas, loquitur de imputatione legis ad mortem, quaſi ſic argumentetur: ante legem peccatum erat in mundo, id eſt homines occidebat, tyrannidem exercebat, non occidebat ſententia legis, quia lex non erat: ergo occidebat natura ſua, quia pecccatum naturale erat, id eſt originale.

Longe ante hos recentiores reſponderat S. Auguſtinus hoc peccatum in verſiculo 13. eſſe originale, quod eo ſenſu dicit non fuiſſe imputatum ante legem, quod non fuit cognitum, ita lib. 6. contra Julianum cap. 4. *peccatum autem*, inquit, *non deputabatur, cum lex non eſſet. Erat quidem peccatum, ſed non deputabatur, quia non cognoſcebatur*. *Per legem enim, ſicut in alio loco dicit, cognitio peccati*.

Quænam vero ex illis interpretationibus ſeligenda ſit, quænam ſit ad mentem Apoſtoli magis accommodata, judicium ſit penes lectorem; id unum certum eſt in quacunque ſententia recte ex illis verbis colligi catholicam Eccleſiæ doctrinam de peccato originali: quæ quidem inſuper confirmatur verbis immediate ſequentibus: *ſed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*. Si enim mors regnavit etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, hoc eſt propria voluntate, ut & ipſe Adamus; fuit igitur aliquod peccatum, non propria voluntate commiſſum, ſed natura contractum, quod peccatum originale eſt: atque ita non obiter, ſed ſuſcepto conſilio probat Apoſtolus peccatum originale ex effectu.

Inſtabis: peccatum originale eſt illud quod per Adamum contraxerunt omnes & ſinguli homines: ſed Apoſtolus non loquitur de peccato quod contraxerint omnes & ſinguli homines; ait enim gratiam Chriſti in plures abundaſſe quam delictum Adami: verſiculo nempe 15. his verbis, *ſed non ſicut delictum, ita & donum, ſi enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit*. Quaſi dicat plures per Chriſtum eſſe ſalvatos, quam in Adam mortuos; ergo non loquitur Apoſtolus de peccato originali.

Nego min. neque enim ullam difficultatem creare debet vox iſta *plures*, tum quia græce habetur πολλὺς, id eſt *multos*, tum quia ibi non attendit Apoſtolus ad multitudinem eorum qui Chriſti gratiæ participes fiunt, ſed ad copiam ejus beneficiorum quibus cumulantur; quaſi dicat, inquit Eſtius, Adam ſuo delicto mortem invexit: at Chriſtus per ſuam gratiam multa & magna ſpiritus ſancti dona, atque ipſam immortalitatem hominibus conciliat; adeoque plus gratiæ nobis reſtituit, quam in Adam perdiderimus, videlicet juſtitiæ perſeverantiam & vitam æternam; hæc enim Adam in Paradiſo non habuit.

Atque hunc eſſe Apoſtoli ſenſum manifeſte declarant quæ ibidem leguntur: 1. hæc verba *multo magis*, quæ non indicant perſonas ſed dona, quaſi dixiſſet per unius quidem delictum multos condemnatos, ſed multo magis per gratiam unius Chriſti plures juſtificatos. 2. & alia quæ habentur verſiculo ſequenti, *judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in juſtificationem*. Quorum hic genuinus eſt ſenſus, judicium Dei quidem ex uno Adam delicto in condemnationem mortis: gratia vero Chriſti non modo unum delet peccatum originale, ſed inſuper alia remittit quæ ab hominibus propria voluntate committuntur: ita Sanctus Auguſtinus libro 6. contra Julian. cap. 4. In-

Inſtabis: verſu 19. aperte dicit Apoſtolus per peccatum Adami multos conſtitutos eſſe peccatores: *ſicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi:* atqui non alia ex causa hac voce *multi* utitur Apoſtolus in priori parte propoſitionis, quam ut ſignificet multos quidem, ſed non omnes peccato Adami fuiſſe contaminatos, ejuſque tranſgreſſionis imitatores; quia nempe Abel, Enoch, Noe, & alii ſanctiſſimi Patriarchæ Adamum imitati non ſunt: igitur.

Nego min. quia videlicet *multos* dicit ibi Apoſtolus quos ante dixerat *omnes*, in quo nihil occurrit reprehenſione dignum; omnes enim homines revera multi ſunt, ut recte diſſerit Sanctus Auguſtinus lib. 6. contra Jul. cap. 24. his verbis: *Cum vero, multos, quod dixit poſtea, non vis intelligi omnes, quod prius dixerat, ideo exiſtimans dictum fuiſſe multos, ne omnes intelligerentur: poteris hoc dicere & de ſemine Abrahæ, cui promiſſæ ſunt omnes gentes, non omnes gentes ei fuiſſe promiſſas, quia dictum eſt alio loco: Patrem multarum gentium poſui te. Eſt autem ſanus intellectus, ideo ſic locutam Scripturam, quia poſſunt eſſe aliqua omnia, quæ non ſunt multa: ſicut omnia dicimus Evangelia, & tamen brevi numero, id eſt, quaternario continentur. Et rurſus poſſunt aliqua eſſe multa, non tamen omnia: ſic multos dicimus credere in Chriſtum, nec tamen omnes credunt. Non enim omnium eſt fides, ait Apoſtolus. Quod autem dictum eſt, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, & patrem multarum gentium poſui te; eaſdem omnes, multas; & eaſdem multas, omnes eſſe monſtratum eſt. Ita etiam cum dictum eſt, per unum in omnes tranſiiſſe peccatum:* & poſtea, *per unius inobedientiam peccatores conſtitutos multos, ipſi ſunt multi qui & omnes.*

Quibus adde vocem *multi* accipi nonnunquam in Scripturis pro *omnes*, Lucæ c. 7. 47. *Remittuntur ei peccata multa*, id eſt omnia. Mat. cap. 20. 28. *Venit Filius hominis dare animam ſuam in redemptionem pro multis*, id eſt pro omnibus. Cap. 26. *Hic eſt Sanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur*, id eſt pro omnibus.

Inſtabis: eodem modo accipi debet vox *multi* cum agitur de peccato quod intravit per Adamum, quo nimirum, ubi agitur de juſtitia quæ data eſt per Chriſtum; bis enim Apoſtolus nempe verſu 15. & 19. comparationem inſtituit inter eos qui facti ſunt peccatores per Adam, & eos qui juſtificati ſunt per Chriſtum: v. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi.* Atqui vox iſta *multi* in poſteriori parte propoſitionis non ſignificat, *omnes*, inde enim propoſitio foret falſa; quandoquidem non omnes & ſinguli homines juſtificantur per Chriſtum: ergo ſimiliter non omnes penitus & ſinguli peccarunt in Adamo.

Nego maj. ſiquidem aliunde conſtat, puta ex verſic. 12. non tantum multos ſed etiam omnes in Adamo peccaſſe, *in quo omnes peccaverunt*; ut autem mox dictum eſt, vox *omnes* reſtringi non debet per iſtam *multi*, quum ſermo habetur de peccato quod in mundum intravit per Adamum, ſed vox *multi* extendi debet propter iſtam *omnes*, ut nempe utraque propoſitio ſit vera: quanquam vox *multi* non ſumatur pro *omnibus* ubi agitur de juſtitia quæ per Chriſtum acquiritur.

Neque in contrarium afferri debet ea comparatio quam ibi inſtituit Apoſtolus: ſiquidem ea, ut moris eſt, non eſt adæquata, & ut aiunt, quoad omnia, ut vel ipſe ſatis indicat Apoſtolus: ait enim verſ. 15. *Sed non ſicut delictum, ita & donum.* Oſtendens in comparatione Adami cum Chriſto plurimum eſſe diſſimilitudinis. Quamobrem in eo ſolum ſtat quod ſicut per Adamum homines peccaverunt & mortui ſunt; ita etiam per Chri-

Chriſtum, cujus Adamus typus fuit, qui eſt *forma futuri*, homines juſtificantur; an vero omnes homines, vel quidam tantum pereant in Adamo, & ex altera parte omnes vel quidam tantum ſalventur per Chriſtum, id reperire non eſt in hoc Apoſtoli teſtimonio, quia rem ibi declarare animus non fuit.

Objicies celeberrimum illud Ezechielis teſtimonium cap. 18. verſ. 20. *Anima quæ peccaverit ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem patris*. In hypotheſi autem peccati originalis filius portaret iniquitatem patris; omnes enim filii Adæ portarent ipſius iniquitatem: ergo.

Reſpondeo primo varias hujuſce teſtimonii interpretationes vulgo proferri a Theologis, ſed quæ, meo quidem judicio, ad doctrinam peccati originalis melius accommodatæ videntur, quam ad ipſum Ezechielis contextum. Alii enim docent locum illum Ezechielis non eſſe intelligendum niſi de Novo Teſtamento, in quo Chriſtus peccati chyrographum delevit; ita ut peccatum originale jam nihil noceat infantibus. Alii dicunt id eſſe intelligendum de filiis qui nati jam erant, cum parentes peccaverunt. Alii hunc locum interpretantur de pœna æterna qua Deus nunquam punit filios propter peccata parentum. Alii locum Ezechielis intelligi debere, quando filii non imitantur peccata parentum. Alii dixerunt id intelligendum de filiis jam adultis, qui per ſe ipſi peccare poſſunt. Confugerunt alii ad allegoriam. *Filius*, inquiunt, *non portabit iniquitatem patris*, id eſt homo peccator qui dicitur filius Diaboli, non punietur propter peccatum Diaboli, ſed propter ſuum. Alii denique hunc locum exponunt de morte & pœna animæ, non corporis, quaſi dicatur, filius non punietur morte animæ, id eſt, non damnabitur propter peccatum patris.

Quamobrem dico hæc Ezechielis verba de peccatis actualibus parentum eſſe intelligenda, neutiquam vero de primo Adami peccato, quod omnes & ſingulos Adæ filios infecit. Scilicet Propheta Judæis promittit fore ut deinceps filius non portet iniquitatem patris, non plectatur filius propter patrum delicta: hæc ſolemnis Ezechielis promiſſio videtur in conſolationem populi data, velut aliquod divinæ erga illos miſericordiæ ſpecimen non leve, quo nempe remiſſius cum illis acturum ſe pollicetur. Nimirum Exodi 20. 5. hæc declaraverat Deus, *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem*, quod revera a Deo nonnunquam factum fuiſſe legimus in Scripturis; adeo ut disjectos propterea videamus Judæorum animos, qui hanc Dei ſententiam verterant in proverbium, ut monet Ezechiel initio ejuſdem capitis 18. *Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens: Quid eſt quod inter vos parabolam vertitis in proverbium iſtud in terra Iſael, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt?* Addit Propheta Divini Internuncii & conſolatoris perſonam gerens, *Ecce omnes animæ meæ ſunt, ut anima patris, ita & anima filii mea eſt: anima quæ peccaverit, ipſa morietur*. Et poſtea, *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impii erit ſuper eum*.

At eo loci nihil omnino pronunciari contrarium doctrinæ Catholicæ, quæ peccati originalis propagationem admittit, qua nempe filii Adæ portant ejus iniquitatem, ex eo manifeſte colligitur, quod ejuſmodi propoſitiones, qualem protulit Ezechiel, non ſunt abſolute univerſales & generaliter accipiendæ, ſed in eum ſolummodo ſenſum, quo quidem a dicente prolatæ ſunt: ſed nemo non videt de ſolis Judæorum peccatis actualibus ex ſuſcepto conſilio locutum fuiſſe Prophetam, ob rationes mox adductas: is igitur locus perperam adducitur a Pelagianis adverſus peccati originalis propagationem,

Ob-

Obſervat Maldonatus tract. 3. de peccato originali p. 67. ex illo Ezechielis loco refutari maxime opinionem Pelagianorum. *Nam, cum videamus*, inquit, *infantes portare aliquam pœnam cum moriantur, quod eſt iniquitatem portare, & cum Deus dicat filium non portare iniquitatem patris: ſequitur eos non mori propter ſolum peccatum Adami, ſed propter ſuum.*

Objicies hunc Apoſtoli locum 2. ad Corint. 5. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit ſive bonum, ſive malum*. Unde inferebant Pelagiani neminem propter peccatum Adami judicandum; adeoque infantibus minime nocuiſſe hoc peccatum.

Diſt. Unuſquiſque prout geſſit propria vel aliena voluntate, propria vel aliena actione, C. propria tantum actione & voluntate, N. vel etiam dici poteſt eo loci ſermonem non eſſe de infantibus, ſed tantum de adultis. Audiamus S. Auguſtinum ſuper illo Divi Pauli teſtimonio differentem lib. 6. contra Jul. cap. 10. *Quod autem*, inquit, *Apoſtolum dixiſſe commemoras, omnes nos manifeſtari &c. quomodo in parvulis accipis? Utrum & ipſi ante Tribunal Chriſti manifeſtabuntur, annon? Si non manifeſtabuntur, quid te adjuvat iſta ſententia, quando ad eos non pertinet, quorum nunc agitur cauſa? Si autem manifeſtabuntur, quomodo reportat eorum quiſque quod geſſit, qui nihil geſſit; niſi quia pertinet ad eos, quod per corda & ora geſtantium, ſive credunt, ſive non credunt. Propria corporis ſui enim dixit quod ad unumquemque in ſe ipſo jam viventem pertinet. Nam quomodo reportat bonum, ut intret in Regnum Dei, ſi hoc reportat quiſquam quod geſſit; niſi quia pertinet ad parvulum etiam, quod per alterum geſſit, id eſt, credidit.*

Objicies hæc Apoſtoli verba Rom. 4. 15. *Lex enim iram operatur: ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio*. Sola autem cognitio legis, non lex ipſa operatur peccatum ſeu prævaricationem, ut docet idem Apoſtolus cap. 7. ejuſdem Epiſtolæ: atqui infantes non cognoſcunt legem: ergo in illis eſſe non poteſt prævaricatio legis, ſeu peccatum.

Diſt. maj. Sola cognitio legis operatur peccatum, ſi ſermo ſit de Lege Moſaica, C. de qualibet alia lege, N. Hoc igitur ſtatuit Apoſtolus, non eſſe prævaricationem, ubi non eſt cognitio legis, verba faciens de Lege Moſaica, quam appellare ſolet legem ſimpliciter & ſine addito, *ubi non eſt lex, prævaricatio*, quia vult oſtendere Judæis juſtitiam non eſſe ex lege Moſaica ſcilicet, imo legem operari peccatum & iram, *Lex enim iram operatur*, addit tamen cap. 7. hujus Epiſtolæ legem non operari peccatum niſi cognoſcatur: verſ. 7. *Quid ergo dicimus, lex peccatum eſt? Abſit, ſed peccatum non cognovi, niſi per legem? Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces.*

Sed non ideo negat Apoſtolus aliam poſſe admitti prævaricationem legis in iis etiam qui legem non cognoſcunt, quaſi nulla ſit in infantibus, nullum peccatum: peccarunt enim in Adamo, in eo legem tranſgreſſi ſunt, unde nec ſine lege peccaverunt, nec ſine lege peribunt.

Objicies cum Pelagianis, omne peccatum debet eſſe voluntarium: atqui peccatum originale non eſt voluntarium, ut per ſe patet, admittitur enim in infantibus nondum natis: ergo non eſt veri nominis peccatum. Eſt illud argumentum Juliani dicentis apud S. Auguſtinum lib. 3. cap. 5. *ideo in parvulis non eſſe delictum, quia ſine voluntate, quæ in eis nulla eſt, eſſe non poteſt.* Unde objicit ſancto Doctori hanc peccati definitionem, quam antea tradiderat, *peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi, quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*. Ad quam definitionem exclamat Julianus, lib. 1. oper. imp. cap. 45. *O lucens aurum in ſtercore! quid verius, quid plenius dici a quoquam vel orthodoxo potuiſſet?* Adeo ve-

verum eſt & cuilibet minime cœcutienti compertum, omne peccatum eſſe voluntarium.

Diſt. maj. omne peccatum debet eſſe voluntarium vel voluntate propria, vel voluntate aliena, C. voluntate propria, ſubdiſt. ſi ſermo ſit de peccato actuali, C. ſi de peccato originali, N. Igitur peccatum originale non eſt quidem voluntarium in unoquoque noſtrum per proprium voluntatis noſtræ actum, ſed voluntarium eſt voluntate primi parentis, *in quo omnes peccaverunt*, inquit Apoſtolus: ita reſpondet S. Auguſtinus lib. 3. contra Jul. cap. 5. *Fruſtra itaque putas*, inquit, (*ideo in parvulis non eſſe delictum, quia ſine voluntate, quæ in eis nulla eſt, eſſe non poteſt.*) *Hoc enim recte dicitur propter proprium cujuſque peccatum, non propter primi peccati originale contagium: quod ſi nullum eſſet, profecto nulli malo parvuli obſtricti, nihil mali vel in corpore vel in anima, ſub tanta juſti Dei poteſtate paterentur. Quod tamen & ipſum a mala voluntate priorum hominum ſumpſit exordium. Ita niſi voluntas mala, non eſt cujuſquam nulla origo peccati.*

Et iterum lib. 6. cap. 10. *Uſque adeo ut etiam illud quod dicis: ſine opere liberi arbitrii nullum hominis eſſe poſſe peccatum, verum eſſe fateamur. Non enim & hoc eſſet peccatum, quod originale traheretur, ſine opere liberi arbitrii, quo primus homo peccavit, per quem peccatum intravit in mundum, & in omnes homines pertranſiit. Quod autem dicis (alienis peccatis alterum obnoxium non teneri) intereſt quatenus recte poſſit intelligi.... Parentum autem peccata modo quodam dicuntur aliena, & rurſus modo quodam reperiuntur & noſtra: aliena quippe proprietate ſunt actionis, noſtra ſunt autem contagione propaginis. Quod ſi falſum eſſet, profecto grave jugum ſuper filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, nullo modo juſtum eſſet.*

Quamobrem huic Juliani objectioni ex eo petitæ, quod peccatum definierat olim S. Auguſtinus, *voluntatem retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, &c.* ut faciat ſatis, reſpondet S. Doctor hanc definitionem ad ſolum actuale primi parentis peccatum pertinere, *hic peccatum definitum eſt*, inquit lib. 1. oper. imperf. cap. 44. *quod tantummodo peccatum eſt, non quod etiam pœna peccati. De hoc quippe agendum fuit quando mali origo quærebatur: quale commiſſum eſt a primo homine ante omne hominis malum.* Et cap. 47. *ipſe eſt Adam, quem noſtra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur.* Quod idem docet lib. 1. Retractat. cap. 15.

Hæc porro S. Auguſtini ſolutio, qua propoſitæ difficultati reſpondet, peccatum originale eſſe duntaxat voluntarium voluntate Adami, non placet Maldonato; quia, inquit, aliquid eſſe voluntarium aliena voluntate, non eſt eſſe voluntarium. Quemadmodum ſi quis me ecogeret aliquid mali facere, non eſſet in me peccatum, ſed in illo, quia non mea voluntate, ſed illius voluntate hoc feci. Quamobrem putat iſte ſcriptor reſpondendum eſſe, peccatum originale proprie loquendo in unoquoque noſtrum eſſe voluntarium, non tantum peccaſſe nos aliena, ſed & noſtra voluntate; quia nempe, ſicut actio Adami quæ facta eſt non nomine privatæ perſonæ, ſed communi omnium, cenſetur omnium fuiſſe; ita etiam voluntas ejusdem Adami qua peccavit, cenſetur eſſe voluntas omnium.

Verum meo quidem judicio, non erat quod S. Auguſtinum hac in parte reprehenderet Maldonatus, ille enim non uno in loco ſic peccati originalis propagationem exponit, ut dicat peccatum Adami fuiſſe noſtrum, quatenus voluntates noſtræ in voluntate Adami erant contentæ, ac proinde quatenus in nobis proprie voluntarium erat illud peccatum: Sic v. g. lib. 1 oper. imperf. cap. 57. *Sicut autem*, inquit, *aliena ſunt originalia peccata propter nullum in eis voluntatis noſtræ arbitrium, ut tamen propter originis contagium inveniantur & noſtra.*

Quo pertinent alia S. Auguſtini loca, in

Digitized by Google

in quibus ait nos omnes in Adamo peccaſſe, quatenus in eo & cum eo omnes unus homo fuimus, ſic Epiſt. 98. *Traxit ergo reatum, quia unus erat cum illo & in illo a quo traxit, quando quod traxit admiſſum eſt*. Et lib. 1. operis imperf. cap. 48. ubi contra Julianum S. Ambroſii autoritatem laudat: *Non eſt magnum*, inquit, *quod vides non habere parvulos propriam voluntatem ad eligendum bonum, vel malum. Illud vellem videres, quod vidit qui ſcribens ad Hebræos dixit, filium Iſrael Levi in lumbis Abraham patris ſui fuiſſe, quando eſt ille decimatus, & ideo etiam iſtum in illo fuiſſe decimatum. Ad hoc ſi haberes oculum chriſtianum, fide cerneres, ſi intelligentia non valeres, in lumbis Adam fuiſſe omnes qui ex illo fuerant per concupiſcentiam carnis orituri, unde Ambroſius Doctor meus, fuit Adam, & in illo fuimus omnes, periit Adam & in illo omnes perierunt*. Quæ quidem repetit lib. 4. cap. 104. & longe clarius lib. 3. de peccator. meritis cap. 7. quamobrem utrumque verum eſt, ſcilicet peccatum originale & voluntarium eſſe voluntate Adami, & proprie loquendo, in unoquoque noſtrum eſſe voluntarium.

Inſtabis: Si peccatum originale ex voluntate eſt, ſequitur malam eſſe voluntatem quæ peccatum illud admittit: atqui voluntas eſt a Deo: ergo in illa ſententia Deus erit autor mali, quod ſine impietate affirmari non poteſt.

Diſt. maj. Malam eſſe voluntatem contingenter, & quatenus eſt hac communi lege peccato originis vitiata, C. naturaliter, hoc eſt ex natura ſua, & quatenus eſt a Deo creato, N. voluntas igitur hominum mala eſt, quatenus eſt ab Adamo, aut potius unita corpori ex ſemine Adami procreato; non autem quatenus eſt a Deo, in quem refundi non debet vitioſæ generationis culpa.

At, inquiebant Pelagiani, peccatum non eſt in corpore quod generatur, eſt autem in anima quæ a Deo creatur: ergo ſi in ipſo ortu peccatum eſt in homine, in Deum ipſum refundatur neceſſe eſt.

Huic difficultati, quæ ad eum quo peccatum originale contrahitur, modum potius attinet, quam ad ipſam peccati exiſtentiam, reſpondet S. Auguſtinus difficillimum quidem intellectu quomodo anima infantis vitiata ſit, ſi hæc ſit ejus origo, ut in cujuſcumque corporis generatione per novam creationem inſuffletur; qua de re vehementer dubitavit, ut poſtea dicturi ſumus, ſed tamen hoc ipſum eſſe certiſſimum, & ſemper in illa dubitatione retinendum, quod fides vera & catholica docet, omnes in Adamo peccaviſſe: ſic lib. 5. contra Julian. cap. 4. *ut ergo*, inquit, *& anima & caro pariter utrumque puniatur, niſi quod naſcitur renaſcendo emundetur, profecto aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquam in vitiato vaſe corrumpitur, ubi occulta juſtitia divinæ legis includitur. Quid autem horum ſit verum libentius diſco, quam dico, ne audeam docere quod neſcio. Hoc tamen ſcio, id horum eſſe verum, quod fides vera, antiqua, Catholica, qua creditur & aſſeritur peccatum originale, non eſſe convicerit falſum. Iſta fides non negetur, & hoc quod de anima latet, aut ex otio diſcitur, aut ſicut alia multa in hac vita, ſine ſalutis labe neſcitur*. Sic vero, inquam, reſpondebat S. Auguſtinus, cum ſibi nondum compertum eſſe fatebatur, an a Deo per creationem infundatur anima, an vero per traducem a parentibus propagetur.

Nos vero, quoniam dudum conſtat in Eccleſia animas noſtras infundendo creari & creando infundi, neque per traducem a parentibus propagari, reſpondemus peccatum originale eſſe quidem in anima, non in carne; ſed in anima non quatenus eſt a Deo, ſic enim pura eſt & ab omni labe immunis, ſed quatenus unita corpori, quod veluti vas corruptum & vitiatum, eam proinde vitiat & corrumpit; unde nequiquam ſequitur in Deum ipſum refundi poſſe peccatum originis.

Quamobrem ſi quæratur an peccatum originale ſit naturale: Reſpondemus æquivocationem eſſe in illa voce; ſcilicet natura-

Digitized by Google

turale eſt eo ſenſu quod naſcendo & ab origine traducatur; ſed naturale non eſt, quaſi inſit a natura, quaſi pertineat ad naturam, ad ſubſtantiam, quaſi a natura fluxerit, ut quædam ſubſtantialis proprietas, ſed ne quis ab unoquoque prava conſuetudine illud comparari putet, hoc ipſum *naturale* non dubitavit dicere S. Auguſtinus, ut colligitur ex lib. *6.* contra Julian. cap. *6.* *Cum igitur definis*, inquit, *naturalia per accidens non converti: ſi vel unus quiſpiam fuerit inventus, qui vitiatus aliquo caſu eum eodem vitio genuerit filium, factumque ſit proli naturale quod parenti accidens fuit, nempe tua definitio iſta fruſtrabitur . . . audiebamus a majoribus noſtris, qui ſe id noſſe ac vidiſſe dicebant; Fundanium Carthaginis rhetorem, cum ipſe accidenti vitio luſcus eſſet, luſcum filium procreaſſe. Quo exemplo vertitur illa tua ſententia qua dicis, naturalia per accidens non converti. Accidens quippe fuit in patre, quod factum eſt in filio naturale.*

Inſtabis: illud non eſt veri nominis peccatum, quod caveri non poteſt: ſed quod naturale eſt pacto, caveri nunquam poteſt: ergo peccatum originale, ſi naturale ſit ad præfatum ſenſum, non habet veram peccati rationem.

Diſt. maj. quod caveri non poteſt neque ab hominibus, neque ab Adamo, C. quod caveri non poteſt ab hominibus, ſed caveri potuit ab Adamo, N. enim vero ſatis eſt ad peccatum originis, ut ſcilicet jure nobis imputetur, quod caveri potuerit ab Adamo, in cujus manibus erant ſortes noſtræ, in cujus voluntate continebantur omnium hominum voluntates. *Per unius illius voluntatem malam*, inquit S. Auguſtin. lib. 2. de nuptiis & concupiſc. cap. 5. *Omnes in eo peccaverunt, quando omnes ille unus fuerunt, de quo propterea ſinguli peccatum originale traxerunt.*

Objicies cum Pelagianis, hoc Syſtema peccati originalis Manichæis aperte favet; ſi enim cum peccato naſcuntur parvuli, Diabolus decidet *naſcentium hominum conditor;* tum vero, *inerit carni noſtræ mali neceſſitas*, quod ipſum docebant Manichæi, eſt illud argumentum Juliani, qui præterea Catholicos dicebat ſimiles eſſe Paternianis & Venuſtianis Hæreticis, quorum error fuit a lumbis uſque ad pedes Diabolum feciſſe hominem, ut colligitur ex S. Auguſtino lib. 5. contra Julianum cap. 7.

Juliano ibidem reſpondet S. Doctor his verbis: *Nunquid ideo vim veritatis effugere poteris, quia nobis calumniando importas ſocios falſitatis? Quod enim ego in libro meo poſui, cui cedere utinam quam reſiſtere maluiſſes, longe diſtat ab iſtis Paternianis ſeu Venuſtianis. Ego enim ſecundum Catholicam fidem totum hominem, totam ſcilicet animam, totumque corpus ejus Deo ſummo & vero tribuo Creatori: Diabolum autem dico humanam vel aliquid ejus non creaſſe, ſed vitiaſſe naturam . . . ſi parum eſt, ecce damno & anathematizo ea quæ Paternianos ſeu Venuſtianos ſentire dixiſti; addo etiam Manichæos, utroſque cum cæteris hæreticis execror, damno, anathematizo, deteſtor.*

Quin potius non Catholicos, ſed Pelagianos, qui peccati originalis propagationem negabant, vere eſſe Manichæos validiſſimis argumentis paſſim demonſtravit S. Auguſtinus. 1. Quia dicebant idcirco hominem non naſci cum peccato originali, quia malum non eſt niſi ex malo principio, quod palmare fuit Manichæorum dogma.

2. Quia ideo peccatum originale negabant iidem Pelagiani, quod peccatum non poſſet eſſe ex bono principio quæ præcipua fuit ratio Manichæorum. 3. Quia cum manifeſtum ſit infantes multis miſeriis eſſe obnoxios, neque ſecundum Pelagianos a bono principio proficiſci poſſe, neceſſe eſt ut illas refundant in ſupremum quoddam mali principium, ut volebant Manichæi. Unde ſequitur Manichæiſmi perperam accuſatos fuiſſe Catholicos.

Objiciebant iterum Pelagiani, ſi per nuptias traducitur peccatum originale,

 inde

inde profecto ſequitur damnandas eſſe nuptias; abſurdum conſequens, quia nuptiæ a Deo ſunt: Ergo.

Nego ant. nimirum per nuptias traduci peccatum originale, quia nempe, ut docet S. Auguſtinus lib. 2. de nuptiis & concupiſc. cap. 26. *Nuptiæ inſtitutæ ſunt causa generandi, non peccandi, propter quod illa eſt a Domino benedictio nuptiarum, Creſcite & multiplicamini & replete terram. Peccatum autem quod inde a naſcentibus trahitur, non ad nuptias pertinet, ſed ad malum quod accidit hominibus quorum conjunctione ſunt nuptiæ .... Non igitur ab earum inſtitutione, quæ benedicta eſt, ad eas venit, ſed ab eo quod ex uno homine peccatum intravit in mundum.*

At inquiebat Julianus inſolenter in Catholicos inſurgens: *Non peccat iſte qui naſcitur: non peccat ille qui genuit, non peccat iſte qui condidit; per quas rimas inter tot præſidia innocentiæ fingis ingreſſum?*

Reſpondet S. Auguſtinus lib. 2. de nuptiis & concup. cap. 28. *Quid quærit latentem rimam cum habeat apertiſſimam januam? Per unum hominem, ait Apoſtolus, per unius delictum, ait Apoſtolus, per inobedientiam unius hominis, ait Apoſtolus, quid quærit amplius? Quid quærit apertius? Quid quærit inculcatius?* Et rurſus lib. 3. contra Julianum, cap. 24. *Rimam quæris cum tibi oſtendat Apoſtolus Paulus non rimam, ſed apertiſſimam januam dicens, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit.*

Sic vero argumentum hoc ſuum proſequebatur Julianus: *Si ergo trahitur & de nuptiis originale malum, cauſa mali eſt conventio nuptiarum: & neceſſe eſt malum eſſe, per quod & ex quo malus fructus apparuit, dicente Domino in Evangelio, Ex fructibus ſuis arbor agnoſcitur. Quomodo tu audiendus putaris, qui dicis bonum eſſe conjugium de quo nihil aliud quam malum prodire definis? Conſtat igitur rea eſſe conjugia, ſi peccatum inde originale deducitur, nec poſſe defendi, niſi fructus eorum innocens approbetur.*

Reſpondet S. Auguſtinus lib. 2. de nupt. & concup. cap. 26. *Quid eſt ergo quod ait; Ex fructibus ſuis arbor cognoſcitur, quia hoc in Evangelio dixiſſe Dominum legimus? Nunquid inde Dominus loquebatur, & non potius de duabus voluntatibus hominum, bona ſcilicet & mala, iſtam bonam, illam malam arborem dicens, quia de bona voluntate opera bona naſcuntur, & mala de mala, nec poſſunt mala de bona, & bona de mala. Quod ſi nuptias tanquam arborem bonam, ſecundum iſtam quam commemoravit Evangelicam ſimilitudinem poſuerimus, profecto e contrario fornicationem poſituri ſumus arborem malam .... Porro ſi dixerit non illic arboris loco ponendum eſſe adulterium, ſed naturam potius humanam de qua naſcitur homo; ita etiam hic non erit arbor connubium, ſed natura humana, de qua naſcitur homo.* Quod idem docet lib. 1. contra Jul. cap. ultimo.

Objicies iterum, cum juſtitia Dei pugnat aperte hoc Syſtema; iniquum enim videtur eſſe tot homines qui nihil unquam operati ſunt, ita peccato naſci obnoxios propter unius peccatum, ut niſi ante mortem baptizentur, æternam incurrant damnationem; non videtur cur Deus lege tam dura obſtrictos voluerit homines: igitur.

Huic difficultati reſpondet S. Auguſtinus ſermone 294. alias 14. de verbis Apoſtoli, retorto primum argumento ex eo quod pugnat ſimiliter cum juſtitia Dei, ſi cui noſtrum innocenti aliqua pœna infligatur. *Sed ſi quod vis*, alloquens Pelagianum, *parva ſit pœna, & ipſa parva magna eſt, ſi nulla culpa eſt. Hic defende juſtitiam Dei. Quare vel parva pœna infligitur innocenti, in quo nullum invenitur omnino peccatum?* Ita cap. 6.

Ac deinde non ratione ſed autoritate rem iſtam dirimendam putat cap. 7. *Ego*, inquit, *iſtam quæſtionem profundam*

ſentio

Digitized by Google

ſentio, & ad ejus fundum rimandum vires meas idoneas non agnoſco; Libet me & hic exclamare quod Paulus; O altitudo divitiarum! parvulus non baptizatus pergit in damnationem, (Apoſtoli enim verba ſunt, ex uno in condemnationem) non ſatis invenio dignam cauſam quia non invenio, non quia non eſt. Ubi ergo non invenio in profundo profundum, attendere debeo humanam infirmitatem, non damnare divinam autoritatem, Ego prorſus exclamo, nec me pudet, o altitudo divitiarum &c.

Denique verbis immediate ſequentibus momentum aliud in Pelagianos maxime idoneum ex eo deſumit, quod infantes nullo maculatos peccato excludebant a regno cœlorum; quod ſane pugnare non minus videbatur cum juſtitia Dei. *Sed tu bellator, hic eſt fortis ratiocinator, huic reſponde, qui tibi dicit: Prorſus innocens parvulus & immunis ab omni peccato, & proprio & originali, non ſolum vitam æternam habebit, ſed etiam regnum cœlorum. Hoc eſt juſtum, qui nihil mali habet, quare aliquid boni non habet?*

Inſtabis: quia Deus juſtus eſt, nullum ex dæmonibus damnavit, niſi reum peccati ex propria voluntate commiſſi: ergo pariter nec potuit quemquam damnare ex hominibus, niſi vitio propriæ voluntatis infectum.

Nego conſeq. & ratio diſcriminis eſt, quia non ſunt Angeli omnes ex uno Angelo tanquam aliorum capite nati, quo fit ut propria duntaxat peccata unicuique imputantur: at vero Deus ex uno fecit omne genus humanum; ſunt omnes ab Adamo tanquam a ſuo parente & capite prognati, qua ex cauſa & bonum & malum ab eo velut jure quodam hæreditario trahere debuerunt. Cæterum, ut fatear quod res eſt, hujuſce inſtituti a Deo diſcriminis ratio potiſſima eſt voluntas facientis.

Inſtabis: juſtitia Chriſti non prodeſt quicquam illis qui nihil egerunt: ergo nec peccatum Adami obeſſe debet non peccantibus. Eſt illa objectio Pelagii apud S. Auguſtinum lib. 3. de peccatorum meritis cap. 2.

Reſpondet ibidem S. Auguſtinus falſum eſſe juſtitiam Chriſti non prodeſſe illis qui nihil egerunt, ſiquidem prodeſt baptizatis parvulis. *Sicut ergo*, inquit, *eorum per quos renaſcuntur, juſtitiæ ſpiritus reſponſione ſua trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt; ſic eorum per quos naſcuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam non tum vita propria contraxerunt*. Sed falſum eſt inſuper peccatum originale eſſe in infantibus non peccantibus, dicunt enim ſemper Catholici infantes in Adamo peccaviſſe; quemadmodum dicunt juſtitiam Chriſti non prodeſſe niſi renatis per baptiſmum.

Objicies denique, accidens non poteſt tranſire ex uno ſubjecto in aliud: atqui peccatum originale eſt accidens: ergo non potuit tranſire ab Adamo in ejus poſteros. Eſt illud argumentum Juliani apud S. Auguſtinum lib. 5. cap. 14. dicentis, *rem quæ in ſubjecto eſt ſine illa re eſſe non poſſe, in qua ſubjecta eſt. Et ideo malum quod eſt in parente, utique in ſubjecto, alii rei, id eſt proli, ad quam non pervenit, reatum non poſſe tranſmittere.*

Reſpondet ibidem S. Auguſtinus. *Recte hoc diceres*, inquit, *ſi malum concupiſcentiæ de parente non perveniret ad prolem, cum vero ſicut ſine illo nemo ſeminatur, ita ſine illo nemo naſcatur, quomodo dicis eo non pervenire quo tranſiit? non enim Ariſtoteles cujus Cathegorias inſipienter ſapis, ſed Apoſtolus dicit: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per omnes homines pertranſiit: Nec ſane tibi dialectica illa mentitur, ſed tu non intelligis. Verum enim eſt quod ibi accepiſti, ea quæ in ſubjecto ſunt ſicut ſunt qualitates, ſine ſubjecto in quo ſunt, eſſe non poſſe, ſicut eſt in ſubjecto corpore color aut forma, ſed afficiendo tranſeunt, non emigrando; quemadmodum Ætiopes quia nigri ſunt, nigros gignunt; non tamen in filios parentes colorem ſuum velut tu-*

nicam

Digitized by Google

nicam transferunt, ſed ſui corporis qualitate corpus quod de illis propagatur, aſficiunt.

Solvuntur objectiones e SS. Patrum teſtimoniis petitæ.

POſtquam fuſe ſatis, ut opinor, incubuimus in explicandis Scripturæ ſacræ locis, variiſque Pelagianorum ratiunculis confutandis; nunc ſupereſt, ut nonnulla veterum Patrum teſtimonia expendamus; quo tandem certum atque indubitatum maneat, non ab Auguſtino ſantum, ſed a cæteris Patribus conſpiranti autoritate hoc noſtrum dogma ſemper traditum fuiſſe.

Expenditur ſententia Tertulliani.

OBjicitur id quod ſcribit Tertullianus libro de Baptiſmo cap. 18. *Veniant ergo dum adoleſcunt, veniant dum diſcunt, dum quo veniant docentur, fiant Chriſtiani cum Chriſtum noſſe potuerint, quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?* Unde ſic argumentum eſt, ea ex cauſa negat Tertullianus non eſſe baptizandos infantes, quod innocens ætas feſtinare non debeat ad remiſſionem peccatorum: ergo exiſtimabat nullum eſſe peccatum in infantibus.

Diſt. conſ. nullum eſſe peccatum actuale, C. originale, N. Id unum itaque hoc in teſtimonio Tertulliani aliquid difficultatis habere videtur, quod infantes appellet ætatem innocentem, quaſi omnis culpæ vel etiam originalis expertem, ſed eo ſenſu hoc dictum fuiſſe a Tertulliano, quod in infantibus nullum ſit actuale, non rejecto propterea peccato originali duplici potiſſimum conſtat momento.

Primo, quia non fuit inuſitatum apud veteres, ut parvulos appellarent innocentes, eo præciſe quia nulla commiſerant peccata actualia, & propria voluntate; id aperte colligitur ex Sancto Auguſtino, qui lib. 1. contra Julianum cap. 6. ſic divi Chryſoſtomi fidem vindicat ab hæreſi Pelagiana. *Peccata dixit parvulos non habere, ſed propria. Unde illos innocentes merito nuncupamus, ſecundum id quod ait Apoſtolus, nondum natos nihil egiſſe boni ſive mali.* Unde merito judicatur non alia ex cauſa Tertullianum deſignaſſe infantes ſub nomine ætatis innocentis, quam quod in illis propria & actualia non ſunt peccata. S. Chryſoſtomus dixerat homilia ad Neophytos baptizari tantum infantes ut ipſis addantur honores, non in remiſſionem peccatorum; colligebat inde Julianus putaſſe Chryſoſtomum in infantibus non eſſe peccatum originale, hæc eadem eſt objectio ex præfatis Tertulliani verbis petita, quidni reſpondebimus cum ſancto Auguſtino ibi ſermonem eſſe de peccatis actualibus non de originali, cum præſertim non *peccati*, ſed peccatorum legatur; ut de S. Chryſoſtomi teſtimonio eleganter obſervat S. Auguſtinus.

Aliud vero momentum, quo perſuadetur in hoc loquendi modo Tertullianum nihil quidquam ſcripſiſſe adverſus peccatum originale, ex iis omnibus merito colligitur, quæ etiam ipſe de hac re apertiſſime dixit, quæque jam a nobis ſuperius adducta ſunt: nam lib. de teſtimonio animæ cap. 3. docet per peccatum primi parentis a Diabolo circumventi totum genus infectum. Lib. de anima cap. 4. omnem animam eo uſque in Adam cenſeri, donec in Chriſto recenſeatur. Lib. de carne Chriſti cap. 16. ſolam Chriſti carnem non fuiſſe peccatricem vitio Adæ: Denique lib. de reſurrectione carnis cap. 49. nos portare imaginem Adami per collegium tranſgreſſionis, per conſortium mortis, per exilium Paradiſi; quibus profecto nihil clarius, nihil expreſſius proferri poteſt.

Inſtabis: atqui Tertullianus non modo ſignificat eo loci nullum eſſe peccatum actuale in infantibus, ſed & non eſſe originale: ergo nulla ſolutio. Probatur ſubſumptum, quia idcirco dicit baptizandos non eſſe infantes, quia eorum ætas eſt innocens, hoc eſt ab omni peccato libera:

bera: atqui hoc poſito neceſſe eſt ut in infantibus non putet eſſe peccatum originale, aliter ejus ratiocinium fuiſſet apertiſſime falſum, potuiſſet enim ei quivis confeſtim reſpondere, infantes non baptizari quidem ut remiſſionem peccatorum actualium conſequantur, ſed ut in eis deleatur originale; eos quidem eſſe innocentes, hoc eſt ſine ullo peccato actuali, ſed tamen originali infectos. Atque tam facile & promptum fuit unicuique hoc pacto propoſitionem Tertulliani refutare, ſi nimirum ea tum fuit communis omnium fides, infantes naſci reos peccati originalis, ut vix ullus unquam crediderit ejuſmodi ratiocinio uſum fuiſſe Tertullianum, cum ſcribit adverſus Eccleſiæ praxim de baptizandis infantibus: ergo his verbis, *quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?* non modo negat eſſe in infantibus peccatum actuale, ſed & peccatum etiam orginale.

Nego min. & dico ratiocinium quo hic utitur Tertullianus, non fuiſſe propterea falſum: ratio eſt quia cum ob oculos haberet Catechumenorum adultorum baptiſma, cujus nempe hoc in libro deſcribit neceſſitatem, inſtitutionem, materiam, formam & effectus, quos inter præcipuus recenſebatur remiſſio peccatorum, actualium ſcilicet, quia ſermo erat de adultis, facile intelligitur illum affirmare non eſſe baptiſandos infantes, quia rei non ſunt ejuſmodi peccatorum actualium; unde ſequitur eum minime uſurpaſſe argumentum apertiſſime falſum. Eſto quod illud ratiocinium parumper fuerit luſcum, nec ex omni parte accuratum, ſane Tertulliano id familiare fuiſſe, aut ſaltem non omnino inſolens nemo neſcit. Conſule quæ mox dicturi ſumus ſolvendo objectionem petitam ex homilia S. Chryſoſtomi quæ eſt ad Neophitos, ſimilem quippe continet difficultatem, quam ab Auguſtino dilutam habemus.

Inſtabis: ille non admittit peccatum originale qui docet ſolam Ethnicorum nativitatem eſſe immundam, & inſuper probat ex Apoſtolo filios ſaltem parentum fidelium procreari ſanctificatos: atqui hæc ſcribit Tertullianus l. de Anima cap. 39. *Sic & omnibus*, inquit, *genii deputantur, quod dæmonum nomen eſt. Adeo nulla ferme nativitas munda eſt, utique Ethnicorum. Hinc enim & Apoſtolus ex ſanctificato alterutro ſexu ſanctos procreari ait, tam ex ſeminis prærogativa, quam ex inſtitutionis diſciplina.* Ergo rejicit peccatum originale ſaltem pro filiis fidelium.

Diſt. maj. ſcribit Tertullianus filios fidelium procreari ſanctificatos, in ſpe & deſignatione C. actu, in ipſa nativitate & ante ſuſceptum baptiſma, N. Mens Tertulliani hujuſque teſtimonii genuinus ſenſus patet.

1. Ex ejus propoſito. Scilicet ibi comparat nativitatem Chriſtianorum quæ ſancta eſt, quatenus nihil habet ſuperſtitionis admixtum, cum nativitate Ethnicorum quæ plurimis abundat ſuperſtitionibus, quales nempe ibi deſcribit his verbis: *Cui enim hominum non adhærebit ſpiritus nequam, ab ipſa etiam janua nativitatis animas aucupabundus vel qua invitatus, tota illa puerperii ſuperſtitione? Ita omnes idololatria obſtetrice naſcuntur, dum ipſi adhuc uteri inſulis apud Idola confectis redimiti genimina ſua dæmoniorum candidata profitentur: dum in partu Lucinæ & Dianæ ejulatur: dum per totam hebdomadam Junoni menſa proponitur.* Quo fit ut cum Tertullianus filios fidelium dicit ſanctificatos, eorumque nativitatem appellat mundam, de ea nonniſi comparate ad nativitatem Ethnicorum differat.

2. Ex verbis immediate ſequentibus: *Cæterum*, inquit, *immundi naſcerentur filii Chriſtianorum, quaſi deſignatos tamen ſanctitati, ac per hoc etiam ſaluti, intelligi volens fidelium filios, ut hujus ſpei pignore matrimoniis, quæ retinenda cenſuerat, patrocinaretur. Alioquin meminerat Dominicæ definitionis: Niſi quis naſcatur ex aqua & ſpiritu, non ibit in regnum Dei, id eſt, non erit ſanctus.*

Ubi

Digitized by Google

Ubi Tertullianus manifeſte declarat eo ſenſu filios fidelium dici vulgo naſci mundos, quod deſignantur ſanctitati, id eſt, ut explicat S. Hieronymus, fidei candidati ſunt, & nullis Idololatriæ ſordibus polluti, quo plane pacto hæc Apoſtoli verba 1. Corinth. 7. *Alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt*, explicat ipſe Tertullianus cum dicit, *deſignatos tamen ſanctitati, ac per hoc etiam ſaluti, intelligi volens fidelium filios, ut hujus ſpei pignore matrimoniis patrocinaretur*.

His adde quæ ſtatim & immediate ſubjungit Tertullianus, aperte ſupponere illum admiſiſſe in filiis etiam fidelium peccati originalis maculam; is quippe baptiſmi neceſſitatem agnoſcit his verbis, *alioquin meminerat dominicæ definitionis, Niſi quis naſcetur ex aqua & ſpiritu, non ibit in regnum Dei*. Et ne quis putet Tertullianum ex alia cauſa quam ex reatu peccati originalis baptiſmi neceſſitatem agnoſcere ſubdit illico: *Ita omnis anima eo uſque in Adam cenſetur, tandiu immunda, quandiu recenſetur; peccatrix autem quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis ſocietate*. Porro ſi omnis caro immunda eſt donec in Chriſto recenſeatur, in Chriſto per baptiſma, infantes ſunt ſimiliter immundi, immundi vero per peccatum, *Peccatrix autem quia immunda*. Sed aliud in infantibus peccatum eſſe non poteſt quam originale peccatum, quo anima in Adam cenſetur: ergo Tertullianus admittebat peccatum originale.

Expenditur ſententia S. Clementis Alexandrini.

OBjicies hæc verba Clementis quæ leguntur Lib. 3. Stromatum p. 468. *dicant ergo nobis ubi fornicatus eſt infans natus? Vel quomodo ſub Adæ cecidit execrationem, qui nihil eſt operatus? Reſtat ergo eis, ut videtur, conſequenter ut dicant malam eſſe generationem, non ſolum eam quæ eſt corporis, ſed etiam quæ eſt animæ, propter quam etiam corpus. Et quando dixit David; In peccatis conceptus ſum, & in iniquitatibus concepit me mater mea; dicit prophetice quidem matrem Evam, ſed Eva fuit mater viventium, & ſi in peccatis fuit conceptus, ſed non ipſe in peccato, neque vero ipſe peccatum. Si autem quicunque etiam a peccato ad fidem convertitur, a peccatoris conſuetudine tanquam a matre convertitur ad vitam, feret mihi teſtimonium unus ex duodecim Prophetis qui dixit: Videam primogenita pro impietate fructum ventris mei pro peccatis animæ meæ: non accuſat eum qui dixit, Creſcite & multiplicamini, ſed primas impulſiones & motus ex generatione, per quos Deum non cognoſcimus, dicit impietates*. Ex quibus ſic argumentum eſt, ille rejicit peccatum originale, qui expreſſe negat infantem ſub Adæ cecidiſſe execrationem, utpote qui nihil eſt operatus: atqui S. Clemens Alexandrinus negat &c. ergo.

Solent reſpondere hæc verba, ex quibus conficitur argumentum non eſſe ipſius Clementis, ſed objectionem quam ſibi proponit, verba nimirum iſta, *dicant ergo nobis* &c. uſque ad alia, *reſtat ergo:* quod quidem ut oſtendant, ſupponunt Clementem Alexandrinum agere contra quoſdam hæreticos qui nuptias docebant eſſe malas, generationem per ſe malam, his ducti Scripturarum locis, *execranda dies, in qua natus ſum, & non ſit optanda*. Jerem. 20. c. *nullus eſt a ſorde mundus, nec ſi ſit quidem una dies vita ejus*. Job 14. quibus locis reſpondet indirecte, non directe argumento, nempe ad hominem ex illis locis ſequi malam eſſe generationem reſpectu animæ, quod quidem adverſabatur illorum hæreticorum principiis, ut pote qui animam contendebant creatam eſſe a bono Deo, & corpus a malo principio; unde dicit Clemens, *Reſtat ergo eis, ut videtur, conſequenter, ut dicant malam eſſe generationem, non ſolum eam quæ eſt corporis, ſed etiam eam quæ eſt animæ*.

Por-

Porro, inquiunt, ſi hac ratione iſtis Hæreticis reſpondet S. Clemens; ſequitur inde reſponſionem incipere ſolum ab iſtis verbis: *Reſtat ergo &c.* Proindeque illa: *dicant ergo nobis*, &c. non eſſe S. Clementis, ſed meram adverſariorum objectionem qui ſic argumentabantur: nuptiæ ſunt malæ, generatio hominis per ſe mala eſt, quandoquidem Jeremias dicit cap. 20. execrandam eſſe diem in qua natus eſt, & Job dicit cap. 14. nullum eſſe a ſorde mundum, nec ſi ſit quidem una dies vita ejus: nam ſi infans unius diei non naſceretur immundus, *dicant ergo nobis, ubi fornicatus eſt infans natus? Vel quomodo cecidit ſub Adæ execrationem?* Quæ verba, ut videre eſt, ſunt Hæreticorum quos diſputantes inducit S. Clemens: & quibus ſic ad hominem reſpondit, *Reſtat ergo, ut dicatis generationem eſſe quoque malam, quoad animam*, quod quidem veſtris principiis manifeſte adverſatur. Et hæc eſt communis ac pervulgata apud Theologos reſponſio, qua uti ſolent ad vindicandam in hac parte fidem S. Clementis Alexandrini.

Verum ut dicam libenter quod ſentio, gratis mihi videtur & ad nutum excogitata hæc ſolutio, apertum eſt enim & unicuique contextum & integram paginam legenti perſpicuum, hæc verba, de quibus quæſtio eſt, eſſe Sancti Clementis Alexandrini, non autem Caſſiani & aliorum Hæreticorum quos hic impugnat: nemo ſcilicet legere poteſt totum hoc teſtimonium cum antecedentibus & conſequentibus, quin ſtatim agnoſcat hæc verba, *dicant ergo nobis &c.* eſſe S. Clementis, nullo etenim vocabulo ſignificavit alios in hac ſua narratione induci loquentes, idem loquitur qui & antea.

Idque inſuper ex eo maxime oſtenditur, quod in eadem diſputatione cum illis in iiſdem Hæreticis inſtituta, quando nonnulla illorum verba aut probationes adducere ſuſcepit, ad ſervandam orationis ſeriem, & ne omnis plane ſenſus interturbetur; id nonnullis interjectis vocabulis ſignificat, pag. 465. *Talibus argumentis*, inquit, *utitur quoque Julianus Caſſianus qui fuit princeps viſionis, in opere certe de continentia his verbis dicit &c.* Et paulo poſt, *propterea dicit Caſſianus &c.* Pag. 466. pergens refellere hunc Caſſianum ſic loquitur, *exiſtimat autem hic vir præclarus*, & paulo poſt referens ejus verba, *quoniam inquit, &c.* Quapropter cum nulla ſimili locutione præfigantur hæc verba, *dicant ergo nobis*, in textu S. Clementis, ſincere fatendum eſt illa non eſſe adverſariorum quos ita loquentes inducat, ſed ipſius Clementis.

Reſpondeo itaque ad propoſitam difficultatem diſtinguendo minor. S. Clemens Alexandrinus negat eo loci infantem cecidiſſe ſub Adæ execrationem, vi ſcilicet generationis quæ per ſe & ex natura ſua ſit mala, C. ex alia cauſa, nempe ex generis humani conditione, & vitio, ut docet Eccleſia Catholica, N. id unum itaque contendit eo loci Clemens Alexandrinus, infantes, qui nihil operati ſunt, non cecidiſſe ſub Adæ execrationem, vi generationis, propter generationem quæ ſit mala & vitioſa per ſe & ex natura ſua; adeoque efficiat ipſa per ſe, ut infantes naſcantur immundi & in peccato. Scilicet agit ibi Clemens Alexandrinus adverſus quosdam Hæreticos, quorum principem appellat pag. 465. Julianum Caſſianum: *Unum quoddam*, inquit, *eſt peccatum, non matrimonium, ſed fornicatio; aut ſi hoc non, generationem quoque dicant peccatum, & ad creatorem generationis. Talibus argumentis utitur quoque Julianus Caſſianus, qui fuit princeps viſionis ſeu phantaſiæ.* Inter alia vero argumenta, quibus ad hunc ſuum errorem propugnandum utebantur iſti Hæretici, hoc potiſſimum deſumebant ex iiſdem Scripturæ locis

Digitized by Google

quæ ad aſſerendam peccati originalis propagationem uſurpare ſolent Catholici, Pelagianorum hac in parte præcurſores: ut enim ſupra oſtendimus, vix & iſti Hæretici intelligere poterant Catholicum de peccato originali Syſtema, niſi nuptiæ conſequenter dicerentur malæ & execrandæ.

Sic itaque nec abſimili modo ratiocinantes Caſſianus & ejus aſſeclæ, ut generationem malam eſſe ex natura ſua, tanquam opus ex malo principio profectum oſtenderent, tria hic aſſumunt Scripturæ loca, quorum primum eſt ex cap. 20. Jeremiæ: *execranda autem dies in qua natus ſum & non ſit optanda*. Secundum ex iſtis verbis Job. 14. cap. *nullus eſt a ſorde mundus, nec ſi ſit quidem una dies vita ejus*. Tertium denique ex eo quod dicit David Pſ. 50. *in peccatis conceptus ſum, & in iniquitatibus concepit me mater mea*. Ex quibus locis putabant merito colligi poſſe generationem eſſe malam.

Quid ad hæc S. Clemens Alexandrinus, quid vero ad hunc ſecundum locum e cap. 14. Job deprompṭum? Reſpondere quidem potuiſſet infantem unius diei naſci immundum & ſub Adæ execrationem cecidiſſe; ita ut tamen id in ipſam generationem refundi non debeat; quemadmodum poſtea Pelagianis eandem objectionem proponentibus reſpondit S. Auguſtinus; ſed Clemens abſolute negat infantem cecidiſſe ſub Adæ execrationem, intellige tamen ad ſenſum illorum Hæreticorum; ita ut vi generationis per ſe & ex natura ſua malæ ſic immundus fuerit infans a nativitate; non autem quaſi nullo ſenſu infans naſcatur immundus, & Adæ peccatum non incurrat, ex alia ſcilicet cauſa quam ex ipſa generatione; neque enim id tribui debet Clementi Alexandrino.

Et ratio eſt, quia ſatis eſt ad mentem alicujus ſcriptoris aſſequendam, ſi hoc pacto exponantur ejus verba, ut inde ſuos adverſarios ſufficienter confutaverit; atqui S. Clemens Alexandrinus præſuppoſita hac noſtra interpretatione abunde confutavit Hæreticos quibuſcum de generatione & matrimonio diſputabat; falſum eſt enim quod iſti dicebant, infantem cecidiſſe ſub Adæ execrationem, vi ſcilicet generationis; ita ut generatio ipſa ſit ejuſmodi labis originalis cauſa: quid enim ulterius reponere poterant illi Hæretici, plane non video. Si enim dixiſſent, At vos Catholici fatemini infantes cecidiſſe ſub Adæ execrationem, admittitis enim peccatum originale: reſpondiſſet Clemens Alexandrinus, Id utique docemus & contendimus infantes vel etiam unius diei cadere ſub Adæ execrationem; ſed illud non fit propter generationem & vi ipſius generationis, recte vero propter ipſius Adami peccatum & inobedientiam: non alia itaque fuit mens Clementis, cum dixit infantes non cecidiſſe ſub Adæ execrationem.

Hunc porro eſſe Clementis Alexandrini ſenſum ſatis aperte declarat his verbis immediate ſequentibus: *Reſtat ergo eis, ut videtur, conſequenter ut dicant malam eſſe generationem, non ſolum eam quæ eſt corporis, ſed etiam quæ eſt animæ propter quam etiam corpus*. Quod quidem argumentum non immerito urget adverſus illos Hæreticos præſuppoſita noſtra interpretatione, quaſi nempe dicat: Si generatio eſt mala, quia legitur apud Job, *nullum eſſe a ſorde mundum, nec ſi ſit quidem una dies vita ejus*. Tum vero ſi infans qui nihil opertus eſt, ſub Adæ cecidit execrationem, vi ſcilicet ipſius generationis, reſtat, & legitima eſt conſequentia, ut dicatis malam eſſe generationem, non tantum quæ eſt corporis, ſed etiam quæ eſt animæ: quod poſtremum cum veſtris principiis minime conſentit, quandoquidem contenditis ſolum corpus eſſe malum & a malo principio profectum, animam vero eſſe a bono Deo: ne

Digitized by Google

ne dicatis ergo infantem cecidiſſe ſub Adæ execrationem, vi ſcilicet generationis quæ per ſe ipſam mala ſit.

Atque in hac reſponſione, qua locum cap. 14. Job. adverſariis non favere oſtendit, mentem Clementis non fuiſſe negare abſolute & in quocunque ſenſu infantes cecidiſſe ſub Adæ execrationem, manifeſte liquet ex reſponſione qua paulo poſt objectionem diluit petitam e Pſal. 50. ait enim hæc verba, *in peccatis conceptus ſum, & in iniquitatibus concepit me mater mea*, dicta eſſe prophetice de Eva, non de propria matre Davidis, *dicit prophetice quidem matrem Evam; ſed Eva fuit mater viventium; etſi in peccatis fuit conceptus, ſed non ipſe in peccato*. Intellige per generationem, vi generationis, vi matrimonii ex quo natus eſt: ſed iſtud profecto de Eva non explicuiſſet Clemens, niſi admiſiſſet peccatum originale: ergo.

Inſtabis, ſi ea tum fuiſſet omnium Chriſtianorum ipſiuſque Clementis Alexandrini ſententia, omnes & ſingulos homines contrahere peccatum originale, dubio procul non ita affirmative, non ita abſolute & ſine ulla reſtrictione dicere potuiſſet infantes non cecidiſſe ſub Adæ execrationem; fateri potius debuit infantes cadere ſub Adæ execrationem, ſed iſtud generationi ipſi non eſſe tribuendum: ergo revera exiſtimabat Clemens nullum eſſe in infantibus peccatum originis.

Nego ant. ſic enim ut mox a nobis obſervatum eſt, loquitur Clemens Alexandrinus, quia non ignorabat hac reſponſione dilutam eſſe adverſariorum objectionem, nimirum propter rationes ſuperius adductas. Neque timendi locus erat, ne ſcribere quidquam cenſeretur adverſus peccati originalis propagationem, quia ſecurius loquebatur nondum litigantibus Pelagianis, aut aliis ejuſdem furfuris hominibus. Nemo neſcit eam eſſe Scriptorum agendi rationem, ut in refutandis erroribus, vel aſſerenda Catholica fide omnem operam collocent, nec tamen ab omni conſequentia, quæ ex illorum verbis in alia materia erui poſſet, caveant ſemper ſcrupuloſius.

Inſtabis; ille rejicit peccatum originale, qui hæc verba Pſalm. 50. *in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*, explicans, docet expreſſe Davidem non fuiſſe conceptum in peccato: atqui S. Clemens præfata Pſalmi verba explicans, docet Davidem non fuiſſe conceptum in peccato, *ſed non ipſe in peccato*: ergo rejicit peccatum originale.

Diſt. min. non fuiſſe conceptum in peccato propriæ matris, quod fuerit ipſius generationis per quam fuit conceptus, C. in peccato originali, in peccato quod traxerit ab Adamo, N. Cum itaque dicit Clemens Davidem non fuiſſe conceptum in peccato, illud intelligit de peccato ipſius matris, quod fuerit veluti generationis fœtus per quam conceptus fuit David, pergit enim ex ſuſcepto conſilio ſuis adverſariis oſtendere, generationem non eſſe per ſe & ex natura ſua malam; ſed non loquitur de peccato originali: quin potius eo loci peccatum originale, ut ſupra diximus, non obſcure agnoſcit, hæc enim verba Pſalmiſtæ revocat ad matrem Evam, ut cæteri pene omnes Catholici Interpretes, qui de peccato originali recte ſentiunt.

Inſtabis: ille non agnoſcit peccatum originale qui non modo hunc Pſalmi locum non explicat de peccato originali, ſed innuere potius videtur, aut ſatis aperte ſcribit ab Eva & Adam tranſiiſſe ad poſteros ſolum libidinem & malam peccandi conſuetudinem, quæ ſola eſt peccatorum mater: atqui Clemens Alexandrinus nequidem innuit peccatum originale, tametſi data occaſione locupletiſſima, cum nempe hunc locum Pſalmi exponit, quin potius a-

perte ſcribit matrem iniquitatis eſſe libidinem & malam peccandi conſuetudinem : *Non accuſat*, inquit, *eum qui dixit, Creſcite & multiplicamini : ſed primas impulſiones*. Ergo Clemens Alexandrinus non agnoſcebat peccatum originale.

Nego maj. & dico neutiquam colligi debere Clementem Alexandrinum ex eo rejeciſſe doctrinam peccati originalis, quod in præſenti occaſione illud diſerte non aſſeruerit, vel ea Scripturæ loca quæ de peccato originali explicari ſolent, alio diverterit. Ratio eſt, quia, ut non ſemel monuimus, rem habebat cum Hæreticis qui hunc ſuum errorem, quo nempe generationem dicebant per ſe & ex natura ſua malam, his ipſis potiſſimum Scripturæ teſtimoniis aſtruebant, quæ ad aſſerendum peccatum originale uſurpare ſolent Catholici; quod ſane indicat ea ſaltem faviſſe in ſpeciem illis Hæreticis. Quare mirum videri non debet, ſi non ita diſerte doctrinam catholicam ibi tradiderit Clemens, ne ſcilicet ea abuterentur præfati Hæretici; quo factum eſt ſimiliter, ut alium tribuerit ſenſum citatis Scripturæ locis, & per matrem hoc in Pſalmo 50. intellexerit malam peccatoris conſuetudinem quæ in hominibus ſcelerum omnium mater eſt & principium.

Quanquam ſatis apte obſervari poſſit ejuſmodi Clementis Alexandrini interpretationem a Catholica de peccato originali fide non multum abeſſe : verum eſt enim omnia peccata actualia refundi poſſe in malam conſuetudinem tanquam in matrem & radicem ; ſed ita ut ipſa peccandi conſuetudo ſit a concupiſcentia, & concupiſcentia a peccato originali, quod ita certe viſum eſt Clementi; neque enim æquum videtur exiſtimare viro in rebus ad Chriſtianam fidem pertinentibus tam alte erudito, ignotum penitus fuiſſe hoc fundatiſſimum Catholicæ religionis dogma.

Hæc porro quæ mox a nobis pro argumenti neceſſitate fuſius expoſita ſunt, inde multum juvari poſſunt, quod in quibuſdam aliis locis peccatum originale agnoſcere videtur Clemens Alexandrinus; ſic enim lib. 4. Stromatum pag. 538. diſſerit : *Hoc enim fuit quod dictum eſt : Niſi converſi effecti fueritis ut pueri, mundi quidem carne, ſancti vero anima, per abſtinentiam a malis operibus ; oſtendens quod nos tales eſſe vult, quales etiam genuit ex matrice aquæ. Generatio enim excipiens generationem vult immortales reddere per profectum*. Ubi cum dicat Clemens Alex. nos fuiſſe genitos ex matrice aquæ, hoc eſt per baptiſmum, vim certe regenerandi tribuit baptiſmo, quod ſupponit agnitionem peccati originalis, cum præſertim loquatur de baptiſmo infantium, ut patet ex illis verbis, *generatio excipiens generationem*.

Item lib. 1. Pædagogi cap. 6. diſerte docet nos per baptiſmum regenerari, *ſtatim itaque*, inquit, *regenerati recipimus perfectionem*. Et paulo poſt, *multis autem modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum, & lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata abſtergimus, gratia autem qua remittuntur pœnæ quæ peccatis debentur*. Denique lib. 3. Stromatum pag. 463. *Sic ergo*, inquit, *nos rurſus converſos vult effici ut pueros, eum qui vere pater eſt agnoſcentes, ut qui ſimus regenerati per aquam, cum hæc ſit alia ſatio in creatione*. Porro non dubitabat Clemens quin & ipſi infantes per baptiſmum regenerentur juxta conſuetam Eccleſiæ praxim; proindeque eos ſupponebat per peccatum originis mortuos.

Expenditur ſententia Origenis.

ORigenis de peccati originalis propagatione puram non eſſe ex omni parte ſententiam, quippe qui multis Scripturarum depravationibus, Pe-

lagia-

lagianorum impietati latiſſimam portam aperuerit, tametſi a catholica fide non diſſentiat : docet Janſenius Iprenſis tom. 1. l. 6. cap. 17. ubi e lib. 5. ejus Commentariorum in Epiſt. ad Romanos hæc ſummatim redarguit capita, quæ & nos relatis ipſius Origenis verbis exſcribemus.

Primum eſt, mundum, in quem peccatum intravit ex Apoſtolo, terrenos eſſe & carnales homines, ſic enim vero ſcribit Origenes pag. 343. col. 2. *Arbitror quod mundum hic terrenos quoſque, & in terrena converſatione permanentes deſignet ; homines vero eos dicat, qui jam ſe incipiunt agnoſcere, & ſcire quod ad imaginem Dei facti ſunt :* ſed ſi per mundum intelligantur terreni quique homines, rebus terrenis dediti, in hoc mundo non continentur infantes : adeoque iſtud ſolum explicat Origenes de peccato actuali.

Secundum eſt, mortem quæ in omnes homines pertranſiit, mortem eſſe animæ non corporis, pag. 344. col. 2. *Supereſt etiam illud, ut pro viribus diſcutiamus quomodo dictum ſit : ſed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccaverunt ...... videtur ergo mihi in his deſcribere Apoſtolus velut tyranni alicujus ingreſſum qui voluerit regnum legitimi Regis invadere ... ille tunc tyrannus, id eſt mors peccati, quæ per prævaricationem primi cuſtodis irrepſerat, regnabat ſuper omnes illos qui ad eum ſimili ut ille prævaricatione declinaverunt*, in quo ſane a mente Apoſtoli, qui de morte corporis loquitur, vehementer diſceſſit Origenes.

Tertium eſt, dixiſſe Origenem mortem illam quæ in omnes ex Apoſtolo pertranſiit, in eos tantum pertranſiiſſe qui nempe actu peccaverunt, qui peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, ſic eadem pag. 344. col. 2. *Regnavit ergo mors ab Adam uſque ad Moyſen ſecundum eam ſpeciem quam ſupra poſuimus, non ſuper omnes, ſed in eos qui peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*. Et pag. 347. col. 1. *Igitur ex uno quidem Adam cœpit in hoc mundo regnare peccatum, & regnavit in eos qui ſecuti ſunt prævaricationis Adæ ſimilitudinem*. Tum vero p. 348. col. 1. *Jam*, inquit, *& ſuperius diximus quod per delictum Adæ velut aditus quidam datus eſt, quo in omnes homines vel peccatum, vel mors peccati, vel condemnatio pertineret*. Quæ quidem interpretatio Pelagianiſmum ſapit.

Quartum eſt, illum affirmaſſe, non omnes homines, ſed multos unius delicto peccatores effectos eſſe ; pag. 348. col. 1. *Poteſt quidem fieri, ut ſecundum ea quæ in ſuperioribus obſervavimus, Paulus volens myſteria ſecretiora contegere, quos alibi omnes dixerat, alibi multos ponat, ne forte ſi dixiſſet, per unius inobedientiam peccatores factos eſſe, & neceſſario ſubjunxiſſet, ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur omnes, videtur ex hujuſmodi promiſſionis ſecuritate reſolvere animos eorum quibus expedit eſſe ſub metu, & ideo nos fidelis & prudentis in verbo Dei diſpenſatoris conſilium ſervantes, pro eo magis ſatisfacere debemus, quomodo per unius inobedientiam non omnes ſunt peccatores facti*. Quo plane pacto locuti ſunt poſtea Pelagiani.

Quintum eſt, eundem Origenem dixiſſe Chriſtum plures ad vitam reduxiſſe, quam Adamum ad mortem, pag. 348. col. 1. *Illud tamen obſervandum eſt, quod non dixit in omnes homines in condemnationem mortis, ſed tantummodo in condemnationem, quo ſcilicet in omnibus probet multo abundantius donum eſſe quam delictum*. Unde ſequitur illum exiſtimaſſe non omnes, & ſingulos homines peccaſſe in Adamo.

Sextum denique objicitur Origeni, quod dixerit Adamum eſſe formam futuri, quia inobedientiæ formam ſequentes, peccatores effecti ſunt: pag. 348. col. 2. *Dedit ergo Adam peccatoribus formam per inobedientiam, Chriſtus vero e contrario*

juſtis

juſtis formam per obedientiam poſuit, ſicut & alibi ſcriptum eſt: obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis: propterea enim & ipſe obediens factus eſt uſque ad mortem, ut qui inobedientiæ formam ſequentes conſtituti ſunt peccatores, obedientiam Chriſti imitantes ſalvi fiant.

Has porro Scripturæ, inquit Janſenius, non tam interpretationes quam depravationes hauſit ex Origene Pelagius, & ad amuſſim expreſſit, defenditque mordicus adverſus Auguſtinum Julianus. Scilicet ingenium Origenis, ut fœcundiſſimum fuit, ita liberum & quaquaverſum in ſpeculationes novas ebulliens, quas cum non veluti dogmata fixaſque ſententias, ſed per modum dubitationum variorum ſenſuum ad oſtendendam Scripturarum ubertatem effunderet, inter multas bonas fruges, infinitam quoque zizaniorum ſegetem protulit.

Sed iſthæc omnia quæ a Janſenio in Origenem proferuntur, ejuſmodi ſunt, ut a ſuſcepta ſententia qua hunc volumus ab errore Pelagiano hac in parte vindicare, diſcedere non cogant, cum videlicet in illis criminationibus nihil aſſeratur quod vehementer urgeat, immo quod per ſe ipſum & ex ipſa Origeniani Commentarii lectione non corruat.

His Janſenii objectionibus, ut reſpondeat doctiſſimus juxta ac illuſtriſſimus Huetius lib. 2. Origenianorum pag. 122. obſervat ante omnia ab Origene hæc ἀλληγορικῶς fuiſſe propoſita, non δογματικῶς definita, ut ipſe ſatis aperte indicat fere ad initium commentarii pag. 342. 1. col. his verbis: *Hæc de ipſius eloquii Apoſtolici continentia dicta ſunt: videamus nunc quid etiam interior habeat intellectus*. Nos autem hujus pereruditi Scriptoris veſtigia calcantes, ad ſingula objectionis capita reſpondemus.

Ad primum quidem dico revera Origenem *Mundum* in Apoſtoli teſtimonio interpretari *terrenos homines & in terrena converſatione permanentes*, ſed inde tamen nihil quicquam ſcripſiſſe adverſus fidei catholicæ dogma, quia nempe ibi loquitur allegorice ex illa ingenii fœcunditate qua plures varioſque Scripturis ſenſus tribuere amabat; idque vel ex eo maxime liquet quod paulo ante, mundum, explicat de loco ubi habitant omnes homines, *Require ſane*, inquit, *quoniam per unum hominem in hunc mundum dicit introiſſe peccatum & certum eſt, quia hic mundum terrenum hunc appellat locum in quo homines habitant*; & paulo poſt, *Mundus autem intelligendus vel locus in quo habitant homines vel terrena & corporalis vita*. Quin potius & paulo infra pag. 344. col. 1. infantes ad mundum pertinere diſſerte aſſerit, *Sed & hoc ipſum quod dicit peccatum erat in hoc mundo, & non dixit in hominibus, cum utique ſint in mundo & pecudes & cætera animalia & arbores, ex quibuſcunque hic mundus conſtat, nec tamen in his creditur eſſe peccatum, quale ſit requiramus. Videtur mihi quod hic homines illos ſentiat qui jam rationis capaces ſunt & naturalibus legibus parent: Illam vero ætatem quæ nondum ad capacitatem rationis acceſſit, non tam homines quam mundum appellaverit.*

Neque plus virium habet quod ſecundo loco objicit Janſenius; tametſi enim mortem, quæ in omnes homines pertranſiiſſe dicitur in hoc Apoſtoli teſtimonio, interpretetur quandoque de morte peccati, allegorice nimirum locutus, tamen & aliquando illam mortem dicit eſſe corporis. Ita v. g. pag. 348. col. 1. his verbis: *Qnomodo ſane, vel quæ condemnatio in omnes homines venerit, videndum eſt, & ſufficere forſitan poteſt ſecundum ſimplicem expoſitionem, ut dicamus condemnationem eſſe delicti communem hanc mortem quæ omnibus venit & veniet, etiam ſi juſti videantur*. Expreſſius vero utrumque diſtinxerat, peccatum

tum videlicet & mortem, quæ proinde eſt corporis pag. 343. col. 2. *ſed & quod peccatum quidem non dixit in omnes homines, ſed in mundum introiſſe; mortem vero non in mundum ſed in omnes homines & non introiſſe ſed pertranſiiſſe, non puto quod fruſtra hac diverſitate uſus ſit Paulus.*

Ad tertium quod ſpectat, dico non ſemel vel etiam in hoc loco ſuper cap. 5. Epiſtolæ ad Rom. diſertis verbis affirmaſſe Origenem omnes homines peccaſſe in Adamo pag. 341. col. 2. *Nec multum intereſſe quod ibi in omnes homines dixerit pertranſiſſe peccatum, hic vero donum & gratiam Jeſu Chriſti in plures abundaſſe, cum & omnes homines plures eſſe intelligantur, & plures homines intelligi non videatur abſurdum, maxime cum in ſubſequentibus dicat apertius: ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ita & per unius juſtitiam in omnes homines ad juſtificationem vitæ. Et ut evidentius oſtenderet omnes homines & multos homines idem eſſe, addit his: ſicut enim per inobedientiam &c.* pag. 345. col. 1. *aut magis ſimpliciter accipiendum videtur, & ſimilitudo prævaricationis Adæ abſque aliqua diſcuſſione recipienda; ut hoc ſermone omnes qui ex Adam prævaricatore nati ſunt, indicari videantur, & habere in ſemetipſis ſimilitudinem prævaricationis ejus non ſolum ex ſemine, ſed ex inſtitutione ſuſcepta.* Ubi 1. manifeſte pronuntiat Origenes omnes ex Adamo natos eſſe prævaricatores, ubi conſequenter involvuntur & infantes, qui aliter prævaricati ſunt quam per imitationem. 2. Duplicem diſtinguit prævaricationis ſimilitudinem, unam quæ ex ſemine & reperitur in omnibus & ſingulis Adami poſteris, vel etiam in infantibus, quandoquidem ex Adami ſemine prognati ſunt; alteram quæ eſt ex inſtitutione ſuſcepta, qualis eſt in adultis, qui peccato originali alia ſuperſtruunt peccata in ſimilitudinem Adæ. Adeo clarum & luculentum eſt hoc Origenis teſtimonium, ut eo uno ſufficienter omnes frangantur Janſenianæ criminationes.

His adde Origenem duo hæc diſtinxiſſe, *peccaſſe & peccatorem eſſe*, unde fatetur omnes in Adamo peccaſſe, & multos non omnes fuiſſe peccatores; ſic pag. 348. col. 1. *Peccatores autem*, inquit, *quomodo multi & non omnes videantur, cum idem Apoſtolus dicat, quod omnes peccaverunt? debemus oſtendere aliud eſſe peccaſſe, aliud peccatorem eſſe... ex quibus omnibus puto ſufficienter oſtendi, quod aliud eſt peccare, aliud peccatorem eſſe. Omnes enim poteſt fieri ut peccaverint, etiamſi ſancti fuerint, quia nemo mundus a ſorde, etſi unius diei fuerit vita ejus.... peccatores autem facti non omnes, ſed multi.*

Ex quibus abunde ſubminiſtratur ſolutio ad quartum objectionis caput, præterquamquod rem ſic explicat pag. 348. col. 1. *Paulus*, inquit, *volens myſteria ſecretiora contegere, quos alibi omnes dixerat, alibi multos ponat, ne forte ſi dixiſſet per unius inobedientiam peccatores factos eſſe omnes, & neceſſario ſubjunxiſſet, ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur omnes, videtur ex hujuſmodi promiſſionis ſecuritate reſolvere animos eorum quibus expedit eſſe ſub metu.*

Ex quinta objectione nihil plane efficitur; Origenes quippe eo ſenſu exiſtimat diei poſſe plures per Chriſtum vita donatos, quam morte affectos per Adamum, quod Adamus homines tantum a ſe oriundos peccato infecit, Chriſtus autem non illos tantum, ſed ipſum etiam Adamum vitæ reddidit. pag. 346. col. 2. *Sic ergo*, inquit, *plures Chriſtus reducit ad vitam, quam Adam ducit ad mortem, quia etiam ipſum Adam, qui cæteris cauſa extitit mortis, Chriſtus revocavit ad vitam.* Quæ profecto interpretatio ſententiæ de peccati originalis propagatione neutiquam adverſatur.

Ad ſextum denique quod objicitur,

jam

jam plene reſpondimus, hæc enim criminatio plane eadem eſt cum tertia, qua dicebatur Origenem affirmaſſe nos nonniſi per imitationem peccatores ab Adamo effectos fuiſſe: ſed qua ratione Adamus fuerit forma futuri, ipſe clariſſime exponit pag. 345. col. 2. his verbis: *Neſcio ſane quomodo quis poſſit & prævaricationem ejus & peccatum, & hoc quod mors per ipſum in omnes homines pertranſit, in forma Chriſti coaptare, niſi forte ex contrariis, ut idem Apoſtolus in ſuperioribus exponit cum dicit: Sicut enim per unum hominem mors, ita & per unum reſurrectio mortuorum.* Et iterum: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.*

His porro reſponſionibus operæ pretium eſt ſubjungere, quod obſervat doctiſſimus Huetius, ſi quid videlicet in præfatis Commentariis ſuper Epiſt. ad Rom. non ita accuratum & fidei Catholicæ conſonum occurret, non tam ipſi Origeni tribuendum eſſe quam Rufino, quem operum Origenianorum hac in parte interpolatorem potius quam interpretem merito quivis crediderit; quandoquidem de peccato originali tam prave ſenſit Rufinus, ut apud Carthaginenſe Concilium publice dixerit Cœleſtius, ſe ab eo accepiſſe, traducem peccati non eſſe, autore S. Auguſtino l. 2. de peccato origin. cap. 3.

Neque opponi hic debet cenſuiſſe Origenem animas ante mundi opificium creatas, tum libero inſtructas fuiſſe arbitrio, quo bene vel male utentes diverſos inde vel gloriæ vel pœnæ gradus conſecutæ ſunt; adeo ut peccata in hoc priori regno ab illis commiſſa, antequam in corpora hominum velut in carceres detruderentur, Baptiſmo Chriſti penitus ablui putaverit; quæ quidem ſententia cum dogmate peccati originalis conſentire vix poſſit, ut ſatis aperte indicat S. Hieronymus, cum in fine l. 3. contra Pelagianos ſic notat Origenem ſub nomine Amaſii: *Quod ſi injuſta vobis videtur*, inquit, *alienorum remiſſio peccatorum, qua non indiget qui peccare non potuit: tranſite ad Amaſium veſtrum qui præterita in cœlis & antiqua delicta ſolvi dicit in baptiſmo: ut cujus in cæteris autoritate ducimini, etiam in hac parte errorem ſequamini*. Quaſi voluerit Origenes non dari baptiſmum in Eccleſia, niſi ut peccata in cœlo olim admiſſa eluantur.

Verum ex illo Origenis falſo dogmate nihil neceſſe eſt, meo quidem judicio, ut inde colligamus eum rejeciſſe doctrinam peccati originalis: ſiquidem & priora illa animarum delicta & peccatum originis ab Adamo derivatum eodem baptiſmo ſimul deleri certo certius exiſtimavit.

Expenditur ſententia S. Optati, S. Hieronymi & Arnobii.

OBjicitur id quod ſcribit Optatus Milevitanus lib. 7. n. 1. *Quamvis*, inquit, *ab ipſis ad vos videatur hæreditaria macula eſſe tranſmiſſa: tamen in hoc titulo non poteſtis rei eſſe cum patribus veſtris ſecundum judicium Dei, qui locutus eſt per Ezechielem Prophetam, dicens; Anima Patris mea eſt; & anima filii mea eſt: anima quæ peccat, ſola punietur: quæ res jam & antiquis ſæculis, in ipſis natalibus mundi probata eſt, dum non pertinuit ad Seth filium Adæ, Patris admiſſum.* Ex quibus ſic confici poteſt argumentum; eo loci docet Optatus hæc Ezechielis Prophetæ verba, *anima quæ peccat, ſola punietur*, in ipſis mundi natalibus probata fuiſſe, quatenus ad Seth filium Adæ non pertinuit ipſius peccatum: negat igitur peccatum Adami filio Seth, adeoque & aliis ejus poſteris nocuiſſe; proindeque non agnoſcebat peccati originalis propagationem.

Diſt. ant. non pertinuit Patris admiſſum, ſumptum pro peccatis actualibus,

Digitized by Google

bus, quæ per totam ſubinde vitam commiſit Adamus, C. ſumptum pro primo peccato Adami quod in nobis originale eſt, N. Hunc igitur Optati locum, etſi nonnihil habebat difficultatis, eo præſertim quod Optatus loquitur in ſingulari, *Patris admiſſum*, nec dicit in plurali *Patris admiſſa*, quod ſubindicare videtur hoc primum peccatum, quod ſimpliciter peccatum appellari ſolet, quia totius generis humani eſt; tamen de peccatis actualibus demum intelligi debere, duobus oſtenditur momentis luculentiſſimis.

Primum petitur ex ipſius Optati propoſito; certum eſt enim ibi ſermonem eſſe de peccatis actualibus, videlicet de peccatis traditorum, de crimine traditionis, quod quidem a parentibus in filios non tranſire docet Optatus, ut manifeſte liquet ex eodem contextu; nam paulo ante verba objecta ſic loquitur: *Non ſicut vos*, inquit, *quos non ſine voluntate Dei adductos eſſe conſtat, ut rediretis unde erraveratis (quamvis adhuc erretis) ſi ad Catholicam, ut dixi, ſponte veniſſent, quia traditores fuerant: de talibus recipiendis dubitarent forſitan noſtri majores: ſed nobis lætandum eſt, quod tales uſque ad noſtra tempora minime duraverunt. Ergo hodie negotium novum eſt, dum vobiſcum res, non cum illis agenda eſt. Quamvis ab ipſis &c.* Clarius vero paulo infra: *Igitur quia tradere peccatum eſt, videant parentes veſtri, quid in judicio Dei reſpondeant, veſtrum tamen, quia aliis temporibus eſtis, peccatum eſſe non poteſt.* Quapropter, cum Optatus id demonſtraturus, in exemplum ſumit peccatum Adæ, quod dicit ad Seth non pertinuiſſe; dubio procul intelligi ſolum debet de peccatis actualibus & propriis, non de primo quod fuit originale.

Secundum momentum ex eo petitur, quod aperte ſatis peccatum originale aſtruit Optatus lib. 4. num. 6. his verbis: *Nam neminem fugit, quod omnis homo qui naſcitur, quamvis de parentibus Chriſtianis naſcatur, ſine ſpiritu immundo eſſe non poſſit, quem neceſſe ſit ante ſalutare lavacrum, ab homine excludi & ſeparari. Hoc exorciſmus operatur, per quem ſpiritus immundus depellitur, & in loca deſerta fugatur.* Si omnis homo naſcitur immundus, ea nempe fœditate quam depellit baptiſmi lavacrum; neceſſe eſt ut in ipſis quoque infantibus ſit peccatum; quod quidem aliud eſſe non poteſt quam originale.

Objiciebant Pelagiani autoritatem S. Hieronymi, aut ſaltem hujus pereruditi viri teſtimonia laudari a Catholicis in confirmationem peccati originalis ægre ferebant, ut conſtat ex his verbis S. Auguſtini lib. 2. contra Julian. cap. 10. *Propter quam Catholicam veritatem ſancti ac beati & in divinorum eloquiorum pertractatione clariſſimi ſacerdotes Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambroſius, Gregorius, Innocentius, Joannes, Baſilius, quibus addo presbyterum velis nolis Hieronymum &c.* Quoniam porro D. Hieronymi loco Pelagiani uterentur, apud S. Auguſtinum non legimus, ſed eos conjicit Maldonatus hoc forte uſos fuiſſe teſtimonio quod eſt in Epitaphio Paulæ ad Euſtochium cap. 12. Ubi cuidam proponenti quæſtionem, cur infans a Dæmone corripiretur, quippe qui peccata non habuit, non reſpondit propter peccatum originale, verum ad inſcrutabilia Dei judicia confugit. *Porro*, inquit, *ſi quæris cur infans a Dæmone corripiatur qui peccata non habuit: aut in qua ætate reſurrecturi ſimus cum diverſa ætate moriamur: ingratis ſuſcipies (judicia Dei abyſſus multa. Et o altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!)* Quaſi dicat, quamvis infantes non corripiantur propter nullum peccatum, eos tamen corripi poſſe propter alias cauſas nobis ignotas.

Verum nihil neceſſe eſt in hac objectio-

ctione diſjicienda diutius immorari; apertum eſt enim hanc quæſtionem, cui reſpondet Hieronymus, non eſſe inſtitutam de exiſtentia peccati originalis, aut ſaltem huic quæſtioni veluti hoc pacto propoſitæ non reſpondeſe S. Hieronymum; ait enim, *ſi quæris, cur infans a dæmone corripiatur, qui peccata non habuit*. Non reſpondens dubitanti, utrum infans plectatur qui peccata, propria videlicet, non habuit; ſed ſciſcitanti cur iſtud ita fiat quaſi de juſtitia divina hac in parte dubitans: quo fit ut aliter reponere non potuerit D. Hieronymus, quam confugiendo ad inſcrutabilia Dei judicia.

Quibus accedit teſtari S. Hieronymum ejuſmodi quæſtionem ab aliquo Hæretico matronæ Paulæ propoſitam fuiſſe, cap. 11. hujus Epiſtolæ. *Tanquam ergo breviter*, inquit, *quomodo Hæreticorum cœnoſos devitaverit lacus & eos inſtar habuerit ethnicorum*. *Quidam veterator callidus, atque, ut ſibi videbatur, doctus & ſciolus, me neſciente cœpit ei proponere quæſtiones & dicere: quid peccavit infans, ut a Dæmone corripiatur?* Unde ſequitur ejuſmodi propoſitionem ſpectatam ab Hieronymo ut hæreticam.

Id vero & abunde confirmatur ex ejuſdem teſtimoniis, quæ ſuperius a nobis adducta ſunt ex ejus comment. in cap. 3. Jonæ; & alio in cap. 2. Micheæ; quibus & ſubjungere poſſumus aliud ex lib. 2. contra Jovinianum cap. 1. his verbis: *Tenemur rei in ſimilitudinem prævaricationis Adam. Unde & David, Ecce, ait, in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis concepit me mater mea*. Et aliud ex quæſtionibus hebraicis in lib. 2. Reg. cap. 17. *Naas*, inquit, *interpretatur coluber, idcirco coluber, quia nullum admiſiſſe mortiferum prohibetur peccatum, niſi id quod originaliter de ſerpente antiquo contraxit*.

Non moror quod in Commentariis ſuper Epiſt. S. Pauli ad Rom. qui vulgo tribuuntur Hieronymo, multa paſſim legantur quæ manifeſte Pelagianiſmum redolent; conſtat quippe inter omnes eruditos hunc Commentarium non eſſe genuinum S. Hieronymi opus, ſed cujuſdam Pelagiani qui aperto marte nefandum hoc dogma propugnat.

Objicies hæc Arnobii junioris verba e Commentario in Pſal. 50. in Bibliot. PP. tom. 15. p. 417. *Non enim dixit cum iniquitatibus, aut cum peccatis genuit me mater mea, ſed in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis genuit me mater mea. Dicendo enim matrem in ſuis iniquitatibus eum concepiſſe & in peccatis ſæculi peperiſſe, ſignavit, quia omne peccatum corde concipitur & ore conſummatur. Hic autem qui naſcitur ſententiam Adæ habet, peccatum vero ſuum non habet*. Ubi agnoſcere videtur Arnobius, naſci equidem homines pœnis & maledicto Adæ obnoxios, non autem peccato.

Verum non eſt quod in hac objectione refutanda pluribus laborem, vixit enim hic Arnobius poſt ætatem S. Auguſtini, ut volunt plerique omnes eruditi, neque enim confundi debet cum Arnobio ſeniore Lactantii præceptore, qui circa initium quarti ſæculi adverſus gentiles pro Chriſtiana Religione ſcripſit. Siquidem de libero arbitrio & prædeſtinatione ſcribit iſte adverſus S. Auguſtini Diſcipulos: non curamus autem quid de peccato originali ſenſerint auctores, qui poſt illa tempora & apertam Eccleſiæ univerſæ definitionem ſcripſerunt; id unum cordi eſt oſtendere non ab Auguſtino tantum, ſed ab omnibus aliis antiquioribus Patribus conſpiranti velut autoritate traditam fuiſſe hanc doctrinam.

Contendunt alii Arnobium iſtum Pelagianum hominem fuiſſe, ut facile animadverti poteſt ex multis eorumdem Commentariorum teſtimoniis, quale eſt id quod legitur in Pſal 91. ubi prædeſtinationis myſterium evertit his verbis, *nunquam probatis Deum per electionem*

per-

perſonæ unum velle, recuſare alium. Quibus & alia plane ſimilia legere eſt in Pſal. 103. 108. 120. & 126. Quo ſit, inquiunt, ut nulla ſit iſtius ſcriptoris autoritas. Hujus rei, cujus accurata diſcuſſio non eſt præſentis operis nec otii, examen ad alios remittimus: ſatis ſit noſtræ reſponſioni nunc immorari.

Expenditur ſententia Sancli Athanaſii, S. Baſilii, S. Gregorii Nyſſeni.

HOrum Patrum nonnulla expendemus teſtimonia, quantumvis non niſi levem ſuper iſta re difficultatem create poſſint, ut eorum videlicet vel etiam Catholicorum qui aut male aut tenuiter de peccato originali locutos fuiſſe Græcos dixerunt, tandem conticeſcat audacia.

Objicies, S. Athanaſius oratione 4. contra Arianos agnoſcere videtur ab Adamo in ejus poſteros pertranſiiſſe pœnas, miſerias omnes & mortem ipſam corporis, neutiquam vero peccatum, ſic enim loquitur: *Nam tametſi paulisper quaſi datis feriis interquieviſſent, peccatum tamen & corruptio æque ita in homine remanſiſſet, quemadmodum in primis hominibus vim ſuam & tenorem retinuit, eaque res ita demonſtrari poteſt. Permulti ſuere viri ſancli puri omnes criminis. Siquidem Jeremias ex utero ſanctificatus fuit; & Joannes dum adhuc a gravida matre geſtaretur, exultavit in gaudio ad vocem Deiparæ Virginis, mors tamen æque regnavit ab Adam uſque ad Moyſem, & in eos qui non peccaverant ad ſimilitudinem prævaricationis Adæ. Atque ita manſerunt homines nihilominus mortales & corruptibiles, capaces iterum affectionum naturæ*. Ubi non dicit Athanaſius homines per peccatum Adæ peccato quoque manifeſte obnoxios, ſed tantum mortales & corruptibiles effectos. Quo plane modo loquitur liber de Incarnatione Chriſti: *Ceterum mors*, inquit, *invidia Diaboli mundum invaſit excogitato inobedientiæ invento, atque ita ex inobedientia præcepti divini factus eſt homo capax ſuperſeminationis Diaboli, ac peccatum jam inde in natura receptum ad omnem concupiſcentiam ſtimulabat; non tamen ut Diabolus eam ſanaturam finxerit, abſit, nunquam enim Diabolus naturæ opifex (ut Manichæorum impietas cenſet) ſed naturæ perverſio ex prævaricatione id efficit, & ita mors tyrannidem habuit in omnes homines*.

Reſpondeo ex neutro illo S. Athanaſii teſtimonio colligi merito poſſe hunc ſanctum Doctorem non admiſiſſe veram peccati originalis propagationem: quia non cenſetur aliquis ſcriptor peccati originalis doctrinam rejicere, qui affirmate pronunciat ex Adam in alios homines tranſiiſſe mortem & alios peccati effectus, nulla facta mentione explicita ipſius peccati: ejuſmodi argumentum, quod negativum appellant, nihil omnino probat, non enim omnia ubique commemorant autores: unde & familiare fuit ipſi S. Auguſtino, ut, cum effectus inobedientiæ Adami recenſebat concupiſcentiam, ignorantiam, miſerias, & mortem: vel etiam unum aut alterum ex illis peccati effectibus commemoraret, nulla facta mentione peccati originalis.

Atque id mirum in modum ex eo confirmatur, quod non uno in loco doctrinam peccati originalis tradit S. Athanaſius; ita nempe oratione 4. contra Arianos paulo poſt verba quæ mox objecta ſunt. *Non enim*, inquit, *ulterius ſecundum priorem originem Adæ intermorimur, ſed deinceps noſtra origine cum omni carnali infirmitate in morbum tranſlata e terra excitamur diſſoluto peccati piaculo per eum qui in nobis piaculum factus eſt. Ac non immerito: quemadmodum enim in Adam ex terra derivati morimur, ita denuo ex aqua & Spiritu ſancto regenerati in Chriſto omnes vivificamur*. Ubi aperte docet Athanaſius nos in Adam

H 2

dam eſſe mortuos, morte ſcilicet peccati, nam ſtatim ſubjungit, nos per baptiſmum in Chriſto regeneratos; regeneratio enim ſupponit mortem in eo genere in quo fit regeneratio. Et iterum vel clarius orat. 2. *Sicuti enim*, inquit, *prævaricante Adamo in omnes homines peccatum dimanavit, ita quoque Domino homine jam facto, & ſerpentem evertente, in omnes homines iſtiuſmodi vigor tranſmeavit*.

Objiciebant Pelagiani nonnulla S. Baſilii teſtimonia, ut colligimus ex S. Aug. lib. 1. contra Julian. cap. 5. Hunc locum proferebat Julianus ex quodam libro contra Manichæos qui non extat, quamtumvis dicat Maldonatus hac in parte deceptus, hunc librum eſſe homiliam, cui nunc eſt titulus apud Baſilium, *quod Deus non ſit autor malorum*. Dicit ergo: *Si eveniſſet malum, ita ut non valeret alterius a voluntate removeri, id eſt, quamvis accidiſſet, ſi ita accidiſſet, ut ſeparari ulterius a voluntate non valeret, merito dici poſſet, ſubſtantiale quidem malum non eſſe, ſed ipſam ſubſtantiam ſine malitia quæ accidit, jam eſſe non poſſe. Si autem acceſſit, & principium acceſſionis non ſubſtantiam habuit ſed voluntatem, facile poteſt malum a ſubſtantia ſeparari, ut & ſubjecta voluntati ſubſtantia munda poſſit per omnia poſſideri, ita ut nullius mali vel ſigna remaneant*. Ex quo inferebant Pelagiani: ſi malum non eſt ſubſtantiale, id eſt naturale, non poteſt eſſe peccatum originale, namque iſtud naturale eſt.

Cui S. Baſilii teſtimonio reſpondet Auguſtinus his verbis: *Iſta ita recte dixit Sanctus Baſilius, ut etiam de ipſo malo, quod per Adam intravit in mundum & per omnes homines pertranſiit, bene poſſit intelligi, quia & ipſum acceſſit naturæ humanæ. Non enim ſic erat primitus condita, & principium acceſſionis non ſubſtantiam habuit ſed voluntatem*. Ibi quippe teſte eodem S. Auguſtino oſtendebat S. Baſilius, malum non eſſe aliquid ſubſtantiale, habens ſuam quamdam materiam, ſicut ſapiebant Manichæi, loquebatur autem de malo univerſim ſumpto.

Alterum locum ex eodem Baſilii libro petitum profert ibidem S. Auguſtinus his verbis conceptum. *Si caſtitas virtus eſt, corpus vero ſubſtantialiter malum eſſet, impoſſibile erat caſtum corpus inveniri, quia corpus turpitudinis, virtutis non fieret corpus; cum autem ſanctificatur, virtutis efficitur; & ita communicat virtus corpori: corpuſque virtuti, per quam & templum efficitur Dei. Unde ſi omne corpus fornicationis eſſet, impoſſibile utique erat caſtitatem in corporibus inveniri: tumque demum naturæ corporum poſſemus malum ſubſtantiale deputare*. At, inquiebant Pelagiani, ſi quod eſſet peccatum originale, omne corpus fornicationis eſſet, adeoque nullum locum habere poſſet caſtitas.

Reſpondet S. Auguſtinus corpus naturaliter non eſſe corpus fornicationis, quia tale primitus conditum non fuit. Quapropter cum peccatum originale dicimus naturale, hoc intelligitur eo ſenſu quod una cum natura trahatur ab hominibus; non autem eo ſenſu quod ad naturam hominum pertineat. His adde teſtimonia luculentiſſima, quibus peccati originalis propaginem aſſerit S. Baſilius, ut videre eſt ſupra.

Objicitur inſuper autoritas S. Gregorii Niſſeni, qui orat. de infantibus qui præmature abripiuntur, de peccato originali male ſenſiſſe videtur, ſic enim loquitur circa medium: *At puellus infans ſimplex, omniſque malitiæ expers, nullo etiam nunc oculorum animi morbo participatione lucis officiente in eo quod naturale eſt verſatur, ſanitate, quæ per purgationem contingit non indigens, quippe qui nec ab initio quidem prorſus in animum morbum admiſit*.

Verum ibi S. Gregorium Niſſenum de peccato actuali quod infans propria voluntate commiſerit, verba facere cuivis.

vis legenti ſatis deprehenditur; hæc enim peccatum actuale deſignant, *malitiæ expers, morbum non admiſit*. Præterquamquod peccati originalis propagationem diſertiſſime aſtruit hic Sanctus Doctor, ut manifeſte liquet ex teſtimoniis ſuperius adductis; expreſſa ſunt hæc verba orat. in diem natalem Chriſti: *Nunc per totum orbem una voce feſtum celebrantium clamor exauditur. Per hominèm mors, & per hominem ſalus. Primus in peccatum lapſus eſt. Jacentem ſecundus ſuſcitavit. A muliere mulier defenſa eſt. Prima pe cato aditum patefacit. Hæc ut juſtitiæ pateret aditus, minijtra fuit. Illa ſerpentis conſilium eſt ſecuta, hæc ſerpentis interfectorem exhibuit, & lucis autorem in lucem edidit. Illa per lignum induxit peccatum, hæc per lignum gratiam intulit.*

Expenditur ſententia Sancti Chryſoſtomi.

OBjicies: ſic loquitur S. Chryſoſt. in homilia ad Neophitos, *Benedictus Deus, qui fecit mirabilia ſolus, qui fecit univerſa & convertit univerſa. Ecce libertatis ſerenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo ante captivi, & cives Eccleſiæ ſunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; & juſtitiæ in ſorte verſantur, qui fuerunt in confuſione peccati, non enim tantum ſunt liberi, ſed & ſancti; non tantum ſancti, ſed & juſti; non ſolum juſti, ſed & filii; non ſolum filii, ſed & hæredes; non ſolum hæredes, ſed & fratres Chriſti; non tantum fratres Chriſti, ſed & cohæredes; non ſolum cohæredes, ſed & membra; non tantum membra, ſed & templum; non tantum templum, ſed & organa ſpiritus. Vides quot ſunt baptiſmatis largitates, & nonnulli deputant cœleſtem gratiam in peccatorum tantum remiſſione conſiſtere. Nos autem honores computavimus decem. Hac de cauſa etiam infantes baptizamus, cum non ſint coinquinati peccato, ut eis detur vel adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, ut ejus membra ſint*. Ex quibus ſic confici poteſt argumentum: diſerte docet S. Chryſoſtomus infantes non eſſe coinquinatos peccato: ergo rejicit peccatum originale.

Diſt. ant. coinquinatos peccato actuali, C. peccato originali, N. hanc autem fuiſſe S. Chryſoſtomi mentem conſtat.

Primo, quia non ſcripſerat S Chryſoſtomus infantes qui baptizantur nullo infectos eſſe peccato, videlicet in ſingulari, ſed in plurali, nullis coinquinatos peccatis, quod procul dubio peccata actualia manifeſte deſignat. Id porro dicimus ex S. Auguſtino qui lib. 1. contra Julianum cap. 6. ad iſtum Chryſoſtomi locum ab eodem Juliano ſibi objectum reſpondens, hujus interpolationis conqueritur his verbis: *Ibi quippe unum nonniſi delictum vult intelligi, quo nolens credi parvulos inquinatos non eos peccata non habere, quod ait Joannes, ne intelligatur propria, vel peccatis, ſicut habet in aliis codicibus eadem interpretatio (ſed peccatos non inquinatos) dicere maluiſtis, ut unum primi hominis peccatum veniret in mentem. Sed ſuſpicionibus non agamus, & hic vel ſcriptoris error vel varietas putetur interpretis. Ego ipſa verba græca que a Joanne dicta ſunt, ponam*, διὰ τῦτο ϗ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καίτοι ἁμαρτήματα ὐκ ἔχοντα; *quod eſt latine, ideo & infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes. Vides certe non ab eo dictum eſſe parvulos non coinquinatos eſſe peccato, ſive peccatis, non habere peccata, intellige propria, & nulla contentio eſt*. His poſitis jam nulla ſupereſſe videtur difficultas, nil vetat enim quominus dicat S. Chryſoſtomus nulla eſſe peccata in infantibus, tametſi in iis admittat peccatum originale.

Secundo, quia ut idem teſtatur ibidem S. Auguſtinus, id moris eſt apud

Scri-

Scriptores, ut innocentes & ſine peccatis dicantur eſſe infantes, eo præciſe quod in iis nullum eſt peccatum actuale: *Peccata dixit parvulos non habere: ſed propria. Unde illos innocentes merito nuncupamus, ſecundum id quod ait Apoſtolus, nondum natos nihil egiſſe boni ſive mali: non ſecundum id quod ait, per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi.*

Tertio, id colligitur ex ſcopo Sancti Chryſoſtomi, qui hac in homilia adverſus nonnullos diſputat, qui dicebant non aliud eſſe baptiſmatis beneficium quam remiſſionem peccatorum, *& nonnulli deputant cæleſtem gratiam in peccatorum tantum remiſſione conſiſtere.* Cum autem id de peccatis actualibus intelligerent, adeoque de ejuſmodi tantum peccatis inſtituta eſſet quæſtio, mirum profecto videri non debet, ſi hæc Sancti Chryſoſtomi verba quæ in objectione proponuntur, de peccatis actualibus interpretemur, aliter enim non ad rem, ſed extra propoſitum reſpondiſſet Sanctus Doctor.

His adde tam clara & liquida eſſe ad aſſerendam peccati originalis propaginem, quæ ex eodem Chryſoſtomo a nobis ſuperius exſcripta ſunt, ut, niſi Pelagianum errorem de induſtria huic S. Doctori velimus impingere, præfatum locum aliter explicare non poſſimus.

At, inquies, ſi ea tum fuit communis & totius Eccleſiæ doctrina, in infantibus eſſe peccatum originale, profecto, cum dixit Chryſoſtomus in infantibus qui baptizantur nulla eſſe peccata, addere debuit *propria*, ne ſcilicet velut hæreticus & peccati originalis dogma impetens audiret; qui enim ferret catholicum ſic de infantibus loquentem, ut eos diceret nulla habere peccata, niſi ſtatim adderet *propria* vel *actualia?* Mens itaque Chryſoſtomi fuit in infantibus nullum eſſe omnino peccatum, nequidem originale.

Huic objectioni præclare omnino reſpondet S. Auguſtinus his verbis: *At inquies, cur non ipſe addidit propria? Cur putamus, niſi quia diſputans in Catholica Eccleſia, non ſe aliter intelligi arbitrabatur, tali quæſtione nullius pulſabatur, vobis nondum litigantibus ſecurius loquebatur.* Hæc porro methodus, dixerim obiter, quam in explicandis S. Chryſoſtomi verbis uſurpat Auguſtinus, ſatis laudari non poteſt a Theologo; neque enim in rigore metaphyſico ſemper accipi debent SS. Patrum teſtimonia, ſed quantum res ſinit & poſtulat, commodis expoſitionibus leniri, quarum iſta non infimum locum tenet, qua dicitur ſcriptor aliquis non ita accurate, non ita caute locutus de aliqua materia, priuſquam de ea mota eſſet quæſtio, quo plane modo obſervavimus olim ante Nicænos Patres non ita caute de Verbi divinitate locutos, nondum ſcilicet litigantibus Arianis.

Inſtabis: ea reſponſio vana eſt omnino & futilis, qua ſuppoſita peſſime argumentatur S. Chryſoſtomus: atqui, cum dicit infantes non eſſe coinquinatos peccatis, ſi hoc intelligit de peccatis propriis & actualibus, & aliunde exiſtimaverit in iiſdem infantibus eſſe peccatum originale, hac in diſputatione peſſime argumentatur: ut enim ſuis oſtendat adverſariis baptiſma non dari in remiſſionem peccatorum, profert exemplum infantium qui baptizantur in Eccleſia, quantumvis non ſint coinquinati peccatis: ſed præſuppoſita peccati originalis doctrina, peſſima fuiſſet ejuſmodi ratiocinatio: ſiquidem promptum & facile tum fuiſſet ejus adverſariis reponere, extra rem & abſurde proferri exemplum infantium, quandoquidem baptizantur in remiſſionem peccati originalis: aut igitur ſupponi debet Sanctum Chryſoſtomum non admiſiſſe peccatum originale, aut peſſime in hac homilia argumentatum fuiſſe.

Nego

Nego min. ad cujus probation. nego pariter minorem ; & dico jure merito reſpondere non potuiſſe adverſarios Sancti Chryſoſtomi extra rem & abſurde ab eo prolatum fuiſſe exemplum infantium , quia videlicet appoſitum & ad rem maxime accommodatum erat iſtud exemplum ; quum enim quæſtio inter eos mota eſſet de peccatis actualibus , & dixiſſent illi quos impugnat S. Chryſoſtomus , baptiſma dari ſolum in remiſſionem peccatorum , ſcilicet actualium , recte id redarguit ſanctus Doctor duplici ex capite ; primo, quia baptizantur infantes , in quibus nulla ſunt peccata actualia ; ſecundo, quia datur baptiſmus non modo in remiſſionem peccatorum , ſed ut addatur ſanctitas , juſtitia , adoptio &c. Quo fit , ut maxime appoſitum ſit argumentum Sancti Chryſoſtomi petitum ex infantium exemplo .

Inſtabis : ille cenſet non eſſe peccatum originale in infantibus , qui dicit baptiſmum conferri , ut eis addatur ſanctitas , hoc enim verbum , *addatur* , jam in iis eſſe ſanctitatem ſupponit : atqui &c. Ergo .

Diſtin. min. ut eis addatur ſanctitas remiſſioni peccatorum , C. ſanctitas ſanctitati , N. ſcilicet, quoniam eos impugnat , qui gratiam baptiſmi dicebant in ſola peccatorum remiſſione conſiſtere , præclare quidem arguit dicens non tantum dari baptiſma in remiſſionem peccatorum , ſed & ut addatur ſanctitas , nimirum remiſſioni peccatorum ; quam illi ultro baptiſmati aſcribebant ; adeoque cenſet Chryſoſtomus infantibus quoque addi ſanctitatem remiſſioni peccati originalis . His adde in pleriſque editis codicibus haberi , *ut detur vel addatur ſanctitas* .

Inſtabis : incredibile eſt exiſtimaſſe S. Chryſoſtomum per baptiſma deleri peccatum originale , & tamen iſtud ſilentio prætermiſiſſe , ubi dedita opera ſingulos baptiſmi effectus recenſet ; ergo .

Nego ant. ibi quippe agebatur de aliis baptiſmi donis & largitatibus propter remiſſionem peccatorum ; unde mirum videri non debet , ſi de peccati originalis remiſſione nullam faciat mentionem S. Doctor . Quid quod in eadem homilia ad Neophitos hæc leguntur , *venit ſemel Chriſtus , invenit noſtrum chirographum paternum quod ſcripſit Adam : ille initium induxit debiti , nos fœnus auximus poſterioribus peccatis* . Si autem unuſquiſque noſtrum ſuis poſterioribus peccatis fœnus auget , ſi paternum chirographum noſtrum eſt , nemo ſane non contaminatur peccato originali .

Objicies aliud teſtimonium S. Chryſoſtomi ex homil. 10. in cap. 5. Epiſt. ad Romanos petitum : *ac videtur* , inquit in hæc verba , *ſicut enim per inobedientiam* &c. *Quæſtionem non puſillam habere quod dictum eſt , ſed ſi quis accurate attenderit , & hoc quoque perfacile ſolvetur . Quænam igitur quæſtio fuerit ? dicere videlicet multos ob unius inobedientiam peccatores extitiſſe . Illo enim peccante ac mortali effecto , & qui ex eo orti ſint , eos tales eſſe , nihil abſurdum . At ex illius inobedientia alterum peccatorum extitiſſe , id vero quam (obſecro) congruentiam & conſequentiam habeat ? invenietur enim ſic nec pœnas quidem debere qui talis fuerit , ſiquidem non ex ſe ipſe peccator extiterit . Quid igitur hoc loco , verbum hoc , peccatores , ſignificat ? mihi videtur tantumdem ſignificare , quantum illud ſupplicio obnoxii ac mortis rei* . Idem dixerat ſub initio ejuſdem homiliæ : *Quid porro* , inquit , *ſibi illud vult , quatenus omnes peccavimus ? illo lapſo , & ii item qui de ligno non comederunt , effecti ſunt ex illo tempore omnes mortales* . Ex quibus ſic confici poteſt argumentum . Ille rejicit peccatum originale qui ſcribit , nihil quidem abſurdi eſſe , ſi dicatur ex uno homine mortali alios qui ex eo orti ſunt , mortales effectos , ſed nullam

Digitized by Google

lam eſſe conſequentiam uno peccante alios fieri peccatores : atqui hæc ſcribit S. Chryſoſtomus: ergo.

Diſtin. min. & illa verba non ſunt S. Chryſoſtomi, ſed objectionem quam ſibi proponit, ipſa continent, C. ſunt revera ipſius S. Chryſoſtomi, N. Eſt igitur diligentiſſime obſervandum hæc verba locum tenere objectionis in contextu S. Chryſoſtomi, ut ex eorum ſerie ſatis deprehenditur, quaſi nempe dicat explicans hunc verſiculum, *ſicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores multi effecti ſunt, ſic per unius obedientiam multi efficientur juſti*. Statim ſubjungit, *ac videtur quidem quæſtionem non puſillam habere;* & poſtea, *dicere videlicet &c.* Quibus verbis ſibi proponit difficultatem, uſque ad illa, *quid igitur hoc loco verbum hoc peccatores ſignificat?* Adeoque ex iſtis non conficitur S. Chryſoſtomum, velut abſurdam ſententiam, rejeciſſe peccatum originale.

Inſtabis: ſaltem ex reſponſione qua hanc objectionem diluit S. Chryſoſtomus, non immerito colligitur eum non admiſiſſe pecatum originale. Is enim non admittit peccatum originale, qui hanc vocem *peccatores*, tantumdem ſignificare ait, quantum illud ſupplicio obnoxii ac mortis rei, præſertim cum & illa verſiculi 12. verba, *in quo omnes peccaverunt*, eodem plane modo interpretetur: atqui S. Chryſoſt. &c. ergo.

Solent reſpondere revera S. Chryſoſtomum nomine peccatorum intellexiſſe ſupplicio obnoxios ac mortis reos, ut inde oſtenderet evidentius fuiſſe argumentum S. Pauli adverſus Judæos, quia ipſis notius erat omnes homines propter Adami peccatum effectos fuiſſe mortales quam peccatores; unde, inquiunt iſti Theologi, in eo ſtetiſſe Apoſtolum ait S. Chryſoſtomus, nec de cauſa iſtius debiti, ſcilicet de peccato locutum, quia id non erat neceſſe ad refellendos Judæos, ut conſtat ex iſtis S. Chryſoſtomi verbis: *Quod autem in quæſtionem cadit, eſt, qua id de cauſa factum eſt? ſed nondum hoc addit, neque enim ad præſens conducit. Nam adverſus Judæum conſtituta pugna eſt ambigentem ac deridentem quam per unum juſtitiam factam eſſe vult: idcirco cum oſtendit & ſupplicium ex uno in omnes derivatum fuiſſe, qua id de cauſa acciderit, nondum addidit. Neque enim ſupervacaneus eſt, ſed ea tantum perſequitur, quæ neceſſaria ſunt. Hoc enim jam non ipſum magis quam Judæum cogebat certaminum lex dicere, quapropter inſolutum reliquit*. Sed non ideo, inquiunt, negat S. Chryſoſtomus peccatum originale, quod tam perſpicuis verbis aſſeruit. Ita Natalis Alexander in hiſt. 5. ſæc. diſſert. 1.

Verum iſti, ut equidem opinor, mentem Chryſoſtomi aſſecuti non ſunt. 1. quia, ut mox dicturi ſumus, non ait S. Chryſoſtomus *peccatores* in textu Apoſtoli idem ſignificare ac *mortales*, ſed *tantumdem ſignificare*, quæ duo vehementer differunt. 2. quia violenta nimis fuiſſet iſta interpretatio, ſi eam uſurpaſſet S. Chryſoſtomus, immo & manifeſte falſa; nemo enim unquam dixerit peccatores idem ſignificare ac mortales, nec iſta duo ſine abſurditate promiſcue ſumi poſſunt. 3. quia ſimiliter falſum eſt S. Paulum in hac Epiſtola ad Romanos, ut ſuum argumentum redderet evidentius contra Judæos, ex morte quam contraximus ab Adamo tanquam notiore Judæis, non ex peccato diſputaſſe. Utrumque enim docet Paulus, & per unum hominem peccatum intraſſe, & per peccatum mortem, unde & poſt S. Paulum utrumque etiam commemorat in hac homilia S. Chryſoſtomus: quamobrem puto huic difficultati aliam demum quærendam eſſe ſolutionem.

Nego ſubſ. ad cujus probat. diſtin. minor. S. Chryſoſtomus hanc vocem

peccatores, tantumdem ſignificare ait, quantum illud ſupplicio obnoxii ac mortis rei, id eſt ejuſdem eſſe roboris ad pugnandos Judæos, C. quaſi eadem plane ſit ſignificatio utriuſque vocis *peccatores* & *mortales*, N. Huic igitur objectioni fuſius ſibi propoſitæ reſpondens S. Chryſoſtomus, ait hanc vocem *peccatores* in textu Apoſtoli, tantumdem ſignificare, quantum *mortales*, id eſt ejuſdem eſſe roboris ad impugnandam Judæorum incredulitatem, ejuſdem eſſe extenſionis in quantum omnes Adæ poſteri per ipſius inobedientiam facti ſunt peccatores, uti & mortales; ſed non ait Chryſoſtomus hanc vocem *peccatores* tantumdem ſignificare, quantum *mortales* eo ſenſu quod utriuſque vocis eadem plane ſit ſignificatio, quaſi, cum dixit Apoſtolus nos per unius Adami inobedientiam factos eſſe peccatores, id unum velit nos eſſe factos mortales per excluſionem peccati; proindeque aperte docet ab Adamo in ejus poſteros tranſiiſſe pœnam non culpam, ut multi pertendunt: hanc autem eſſe mentem S. Chryſoſtomi manifeſte liquet.

Primo, quia non ait *peccatores* in textu D. Pauli idem ſignificare, ac *mortales*, ſed *tantumdem ſignificare*, id eſt tantam habere vim in argumento D. Pauli contra Judæos, ſi ſpectetur nempe ipſius propoſitum. Scilicet, ut teſtatur S. Chryſoſtomus, diſputabat Apoſtolus adverſus Judæos, qui omnes & ſingulos homines per unius Chriſti merita ſalvari poſſe acriter negabant: id autem ut oſtenderet Paulus, adducit in probationem *per unius hominis inobedientiam peccatores multos eſſe conſtitutos*. Sed ſi reponas, inquit S. Chryſoſtomus, nemini perſuaſum eſſe poſſe per unius peccatum multos extitiſſe peccatores, licet facile credatur uno effecto mortali alios proinde eſſe mortales. Reſpondeo peccatores hic tantumdem ſignificare, quantum mortales, hoc eſt, utrumque aſſumi poſſe tanquam medium aptiſſimum ad confutandos Judæos; verum eſt enim Adam mortuo nos omnes mortales effectos eſſe. Ubi certe non cenſet Chryſoſtomus hanc vocem *peccatores*, idem ſignificare ac *mortales*, quaſi velit nos tantum mortis debitum contraxiſſe ab Adamo, non ipſum peccatum.

Quin potius, quoniam diſerte affirmat S. Chryſoſtomus, *peccatores* tantumdem ſignificare, quantum *mortales*, id eſt æque patere ac *mortales*, quatenus tot ſunt peccatores effecti per unius Adami inobedientiam, quot effecti ſunt mortales, certe non potuit expreſſius peccati originalis doctrinam tradere.

Sed inſuper hanc vocem *peccatores* non idem ſignificare ac *mortales*, quaſi fateri videatur S. Chryſoſtomus nonniſi de morte tanquam pœna peccati, non autem de peccato locutum fuiſſe S. Paulum, ſatis aperte declarat, cum in eadem homilia non ſemel teſtatur peccatum ſimul & mortem ab Adamo in cæteros homines derivari; ſic enim prope initium: *Unde liquet, quod non ipſum peccatum, quod a legis tranſgreſſione ortum eſt, ſed illud quod ab Adam inobedientia: ipſum illud, inquam, peccatum erat, quod omnia perdebat*. Et paulo poſt: *Ut quum tibi Judæus dixerit, quo pacto uno recte agente Chriſto univerſus orbis ſalvus factus eſt, poſſis illi reſpondere, quo pacto uno non obediente Adam, univerſus orbis condemnatus eſt, quanquam nihil ſimile inter ſe habent peccatum & gratia, mors & vita*. Porro ex duplici illa antitheſi, manifeſtum eſt S. Chryſoſtomum cenſuiſſe non modo mortem, ſed etiam peccatum ab Adamo traxiſſe homines, quod ipſum aſſerit paulo poſt hæc verba Apoſtoli, *non ſicut delictum, ita & donum* explicans, *qui tandem*, inquit, *hoc dictum ſibi vult? nempe quod & mortem & condemnationem, unum quidem peccatum afferre potuit, gratia autem non illud*

modo peccatum ſubſtulit , ſed & quæ poſt illud ſupervenere . Eo loci condemnatio & mors idem plane ſunt ac peccatum & mors , ut antea dixerat . Unde & pagina ſequenti iterum baptiſmi dotes enumerans , inter eas recenſet regenerationem : *Nam & ſupplicio liberati ſumus* , inquit , *& vitioſitatem omnem depoſuimus , & de integro regenerati ſumus & reſurreximus ſepulto vetere homine , & redempti ſumus & ſanctificati &c.* At regenerationem conſtat ſupponere peccatum : cenſet igitur Sanctus Chryſoſtomus non modo mortem ſed & peccatum , non modo pœnam ſed & culpam ab Adamo manaſſe in cæteros homines.

At, inquies, ſaltem hæc reſponſio accommodari non poteſt cum iis S. Chryſoſtomi verbis quæ initio homiliæ objiciuntur, hæc enim Apoſtoli , *quatenus omnes peccavimus* , explicat de morte.

Reſpondeo nec debere præfatam reſponſionem huic difficultati accommodari , ſiquidem hic S. Chryſoſtomus peccatores non cenſet idem eſſe ac mortales ; cum enim ait : *Quid porro ſibi illud vult , quatenus omnes peccavimus ? illo lapſo & ii item qui de ligno non comederunt ? effecti ſunt ex illo tempore omnes mortales* . Huic quæſtioni ſibi propoſitæ , *quid ſibi vult quatenus omnes peccavimus ?* Non reſpondet his ſequentibus verbis, *illo lapſo &c.* Tum quia frivola omnino fuiſſet ejuſmodi reſponſio , ut enim ſupra dictum eſt , vox *peccatores* nuſpiam confundi poteſt cum voce *mortales* , tum quia paulo poſt , quaſi difficultate nondum ſoluta , iterum quærit , *quodnam igitur tum peccatum extitit ?* Unde peccatum non confundit cum morte , ſed de utroque agit , quid ſit utrumque exquirit , ut videlicet mentem divi Pauli aſſequatur qui Chriſti juſtitiam in omnes & ſingulos homines derivatam oſtenderat , & ex peccato & ex morte, *aſtruit deinceps* , inquit initio ejuſdem homiliæ , *& aliunde quæ per hæc demonſtrata ſunt , propoſitum vel a contrariis fulciens , hoc eſt tum a morte , tum a peccato , qui id & quomodo* . Ex quibus colligitur hæc S. Chryſoſtomi teſtimonia prima fronte nonnihil difficultatis habere , excuſſa tamen vix ullius eſſe momenti.

Inſtabis : is non cenſet peccatum ab Adamo derivatum , qui paulo poſt diſerte aſſerit nihil nocumenti nos accepiſſe ab hujuſmodi morte & condemnatione : atqui S. Chryſoſtomus expreſſe id affirmat : *Quod ſi quis veſtrum quærat dicere , id dicemus , quod non ſolum nihil nocumenti accepimus a morte hujuſmodi & condemnatione , ſi ſapuerimus , ſed mortales effecti lucrum etiam fecimus* . Ergo .

Diſting. min. nihil nocumenti accepimus propter infinitam & ſuperabundantem Chriſti ſatisfactionem , C. eo quod nullam contraxerimus culpam originalem , N. id unum itaque obſervat ibi S. Chryſoſtomus , ex Adami peccato nihil nocumenti nos accepiſſe , ſi ſapuerimus ; ſed etiam & inde lucrum nos feciſſe , nimirum propter infinitam Chriſti juſtitiam , quæ occaſione illius univerſæ condemnationis hominibus acceſſit ; explicat enim ibi S. Doctor hunc divi Pauli verſiculum , *non ſicut delictum ita & donum* ; unde ſic habet : *Cum hiſce autem , ſeu potius ante hæc ipſa , & plura alia attulit bona . Hinc enim tum Martyrum corona , tum Apoſtolorum præmia . Ita Abel juſtificatus eſt , ita Abraham mactato filio , ita Joannes propter Chriſtum interemptus , ita pueri tres , ita Daniel : ſi enim voluerimus , non modo mors , ſed ne ipſe quidem Diabolus nocumento eſſe nobis potuerit* . Quæ profecto adeo peccati originalis propagationi non adverſantur , ut eam potius manifeſte ſupponant , in quem plane ſenſum canit Eccleſia , *felix Adæ culpa* .

Objicies inſuper hæc verba ejuſdem S. Chryſoſt. in homil. 17. in 1. Epiſt. ad

Digitized by Google

ad Cor. *Quid ergo*, inquit, *faciam ego? propter illum pereo, certe non propter illum. Neque enim tu manſiſti non peccans, ſed ſi non idem peccatum, alterum certe admiſiſti. Alioqui autem neque a ſupplicio accepiſti damnum, ſed lucrum.* Unde ſic licet argumentari, docet S. Chryſoſtomus hominem non perire propter Adamum: ergo non agnoſcit peccatum originale.

Diſting. ant. hominem baptizatum, C. non baptizatum, N. ſcilicet eo loci S. Chryſoſtomus quorumdam præoccupat objectionem, qui forte putaſſent hominem peccato Adami reum & mortalem effectum neceſſario perire; contra vero S. Doctor ait eos qui pereunt, propter ſua propria peccata perire, non propter Adamum: *Neque enim*, inquit, *tu manſiſti non peccans*. Quin potius, *a ſupplicio non accepiſti damnum, ſed lucrum.* Et poſtea: *Vis ſcire quod corpus effectum mortale non ſolum non læſit, ſed etiam juvit? Audi quantum ex eo lucreris ſi ſis ſobrius?* Ubi certe loquitur S. Chryſoſtomus de homine baptizato, quem vere dixeris non propter Adamum, ſed propter propria peccata perire.

Objicies id quod ſcribit homil. 39. in 1. Epiſt. ad Corint. explicans hæc verba, *Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*, ſic habet: *Quid, omnes ne, dic quæſo, mortui ſunt in Adam morte peccati? Quomodo ergo Noe juſtus in generatione ſua? Quomodo Abraham? Quomodo Job? Quomodo alii omnes? Quid vero dic rogo, omnes-ne vivificabuntur in Chriſto? Et ubi ſunt qui abducuntur in gehennam? Nam ſi hoc quidem dictum eſt de corpore, ſtat quod dicitur. Sin autem de juſtitia & peccato nequaquam.* Unde ſic colligitur argumentum: S. Chryſoſtomus negat expreſſe omnes eſſe mortuos in Adam morte peccati, docetque iſtam propoſitionem Apoſtoli, *in Adam omnes moriuntur*, non eſſe veram, ſi intelligatur de morte peccati, bene vero ſi de morte corporis: ergo non agnoſcebat peccatum originale.

Diſt. ant. negat omnes eſſe mortuos in Adam morte peccati quæ ſit irreparabilis atque æternum duratura, C. mortuos abſolute in Adam per peccatum ſcilicet originale; N. hanc fuiſſe mentem S. Chryſoſtomi conſtat. 1. quia nimirum ex eo maxime probat non omnes mortuos eſſe in Adam, quod Noe, Abraham & Job fuerint juſti: ſed ſi de peccato originali loqueretur S. Doctor, quando negat omnes mortuos eſſe in Adam, vanum foret ac futile ejuſmodi ratiocinium, quod tamen legitimum eſt, ſi loquatur de morte peccati, ſeu impœnitentia finali; potuerunt enim Noe, Abraham, & Job juſti merito appellari, tametſi contraxerint peccatum originale, poſtquam ſcilicet in iis deletum eſt. Aliunde vero ut oſtenderet non omnes mortuos eſſe in Adam morte peccati, non debuiſſet quoſdam juſtos in exemplum adducere, ſed in univerſum pronuntiare nullos homines mortuos eſſe in Adam morte peccati: ſequitur ergo ut hæc Chryſoſtomi verba interpretemur de morte peccati finali & irreparabili, quo poſito recte dicit hanc Apoſtoli propoſitionem, *in Adam omnes moriuntur*, de morte peccati non eſſe intelligendam; non omnes etenim propter peccatum Adæ damnationem incurrunt, ex Scripturis multi ſunt juſti ut Noe, Abraham, Job & alii.

Inſtabis: S. Chryſoſtomus non modo negat omnes mortuos in Adam morte peccati, ſed & iſtam Apoſtoli propoſitionem, *in Adam omnes moriuntur*, vult de corpore tantum accipiendam; *Nam ſi hoc quidem dictum eſt de corpore, ſtat quod dicitur, ſin autem de juſtitia & peccato, nequaquam.* Ergo non agnoſcebat peccatum originale.

Nego conſeq. quando enim S. Chryſoſtomus hanc divi Pauli ſententiam juxta unum explicat ſenſum, non ideo alium quemvis excludit, de morte cor-

Digitized by Google

poris in Adam & de reſurrectione per Chriſtum id exponit, neque tamen obſtat, quominus de peccato originali per Adamum propagato, & de juſtitia per Chriſtum data etiam in ejus mente intelligi poſſit: Sic vero de morte corporis hunc locum interpretari viſum eſt Chryſoſtomo, quia rem habebat contra Manichæos qui, quoniam corporum negabant reſurrectionem, de ſpiritali reſurrectione a peccato per gratiam explicant, quæcunque Epiſtola ad Corinthios manifeſtiſſima ſcribit Apoſtolus de reſurrectione corporum, quale eſt iſtud, *ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*, a ſuſcepto conſilio non diſcedens, de morte corporis, non de morte peccati explicat. Eoque lubentius, qui ibi luculentiſſimum nactus eſt momentum adverſus illos hæreticos; certum eſt etiam hanc Apoſtoli ſententiam, ut univerſalis eſt, non poſſe ex utraque parte veram eſſe, niſi de morte corporis & reſurrectione intelligatur; quandoquidem non omnes in Adam mortui ſunt morte peccati finali; vel etiamſi, intellecta hac propoſitione de morte peccati per Adam, peccati nempe originalis, altera propoſitio non erit generaliter vera; non enim omnes per gratiam vivificantur in Chriſto: cum contra utraque propoſitio ſit in univerſum vera, ſi de corpore intelligantur.

Non alia porro ex cauſa ad iſtam interpretationem confugiſſe S. Chryſoſt. non modo ex illius propoſito compertum eſt, ſed & ex ipſius oratione, paulo enim ſupra explicans, quamobrem Apoſtolus in nonnullis teſtimoniis loquitur de corpore, ſic habet, *vide autem ejus ſolertiam qui etiam aliter orationem efficit neceſſariam*.

Inſtabis. Si mens fuiſſet S. Chryſoſtomi oſtendere Manichæis omnes in Chriſto reſurrecturos, ex eo quod omnes in Adam moriuntur, non debuit ad alium & plane extraneum ſenſum transferre hanc Apoſtoli ſententiam, explicans illam de corpore, quin potius veriſſima fuiſſet de peccato originali, ſi nempe ea tum fuiſſet omnium doctrina omnes in Adamo peccaſſe, nec video quid reſpondere potuiſſent Manichæi: ergo manifeſtum eſt ex illa interpretatione S. Chryſoſtomum non cognoviſſe peccatum originale.

Nego ant. hunc enim Apoſtoli locum de morte corporis voluit exponere Chryſoſtomus; & quia, ut modo dictum eſt, utramque propoſitionem voluit univerſaliter veram oſtendere; non foret autem vera, niſi de corpore acciperetur; tum quia ex notiori argumentabatur contra Manichæos, eſt autem longe notius omnes in Adamo eſſe mortuos morte corporis, quam morte peccati, ſaltem ubi inſtituta eſt diſputatio adverſus hæreticos peccatum originale negantes.

Inſtabis. Probat eo loci S. Chryſoſtomus non omnes eſſe mortuos morte peccati ex eo quod *Noe fuit juſtus in generatione ſua;* non ait ex eo quod juſtus fuit vel in morte vel per totam vitam: aperte igitur rejicit peccatum originale.

Diſt. ant. in generatione ſua, id eſt in filiis ſuis, C. id eſt in ortu & nativitate ſua, N. veriſimile eſt igitur ibi per generationem non intelligi ortum & nativitatem, quia nempe idem pronuntiat de Abraham qui natus eſt Chaldæus, & de Job quem non ignorabat Chryſoſtomus dixiſſe, *neminem mundum eſſe a ſorde, etiamſi ſit infans unius diei*.

Objici ſolet inſuper hic S. Chryſoſtomi locus homil. 24. in Epiſt. ad Epheſ. *In corpus quidem noſtrum cadit corruptio, ſed in animam non cadit. Num autem ipſam quoque corrumpimus? hoc fecit prius peccatum, quod eſt autem poſt lavacrum, poteſt enim animam corrumpere, & efficere ut facile capi poſſit a vermi immortali;* Quaſi dicat primi hominis peccatum.

tum ſoli corpori nocuiſſe, non animæ, quatenus in animam non cadit corruptio.

Verum meo quidem judicio, nec vel minima occurrit in illo loco difficultas, diſerte enim ibidem affirmat Chryſoſtomus per prius peccatum corrumpi animam, *num autem ipſam quoque corrumpimus? hoc fecit prius peccatum*. Deinde ſi hoc prius peccatum, in ejus mente peccatum eſt originale, profecto nihil luculentius afferre potuit S. Chryſoſtomus ad aſtruendam peccati originalis fidem.

Examinatur ſententia Theodoreti.

Cum Theodoretus nonniſi poſt aſſertam in univerſa Eccleſia de peccato originali fidem ſcripſerit, ejus ſententiæ ſuper iſto negotio examen prætermittere poſſemus; ſed quia nolim tam atro calculo notari doctrinam hujus præſtantiſſimi viri, quam ut in re tanti momenti ab omnibus Catholicis diſceſſiſſe dicatur, in excutiendis illius teſtimoniis paululum immorari non pigebit, ut inde certo fides ejus vindicetur, ſi modo æquiori animo expendantur ejus verba.

Objiciuntur 1. quæ ſcribit Theodoretus in Pſal. 50. *Olim ait, & a principio peccatum in naturam imperium obtinuit, quia mandati tranſgreſſio Evæ conceptionem præceſſit, poſt tranſgreſſionem enim divinamque ſententiam & paradiſi privationem, cognovit Adam uxorem ſuam Evam, & cum concepiſſet, peperit Cain. Hoc igitur vult dicere quod cum peccatum majores noſtros invaſiſſet, viam quandam & tramitem per progeniem effecit; hoc & Beatus ait Paulus, quoniam enim per hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccaverunt. Hoc etiam univerſorum Deus admirabili Noe dixit mentem hominis in malum ab adoleſcentia ſua omnibus diebus vehementer vergere. Cæterum per hæc omnia diſcimus non peccati naturalem vim eſſe; nam ſi ita ſe haberet, a ſupplicio liberi eſſemus, ſed naturam ad peccatum eſſe proclivem ab affectionibus turbatam: vincit tamen ratio laborum auxilio ſubnixa. Non igitur ut quidam ſuſpicati ſunt, nuptias accuſat, & matrimonium iniquitatem vocat, ſicut nonnulli ſtulte putarunt, ſic illud intelligentes (in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea) ſed tranſgreſſionem principio a primis parentibus patratam in medium profert, & illam harum undarum fontem fuiſſe dicit. Si enim illi, inquit, non peccaſſent, pœnam peccati mortem non accepiſſent. Si autem mortales non eſſent, corruptione ſuperiores fuiſſent, & cum incorruptione conjuncta omnino perturbationum vacuitas foret. Sed quoniam peccaverunt, interitui traditi ſunt, mortales vero facti, tales procrearunt filios; taleſque illos concupiſcentiæ & timores & voluptates & mœrores & ira & invidia ſecutæ ſunt.* Ex quibus ſic argumentatur, ait Theodoretus vim peccati naturalem non eſſe, quaſi dicat non neceſſario, ſed ex libero voluntatis actu in nobis eſſe peccatum, alioquin a ſupplicio liberi eſſemus: ergo certe non agnoſcebat peccatum originale; ejuſmodi enim eſt iſtud peccatum, ut vis ejus ſit naturalis, & neceſſario ab Adam in ejus poſteros dimanaverit, & tamen a ſupplicio non ſint liberi.

Diſt. ant. vim peccati naturalem non eſſe, id eſt, peccatum non eſſe cum natura hominis ut natura eſt conjunctum, C. id eſt non eſſe in ſingulis Adæ poſteris vel in ipſo ortu & conceptione tanquam naturæ vitium, N. Non aliam eſſe Theodoreti mentem ex eodem loco ſatis ſuperque colligitur, hunc enim Pſalmiſtæ verſiculum, *Ecce in iniquitatibus &c.* explicans, nonnullos obiter perſtringit, qui matrimonium de ſe malum & iniquum ſtulte putabant, unde contra peccati vim naturalem non eſſe pro-

fite-

fitetur , hoc eſt , vim peccati a natura ipſa , a nuptiis , a matrimonio non oriri ; quod ut evincat , quam diſertiſſime aſtruit peccatum originale , velut libidinis , quam appellat vim peccati , & aliarum perturbationum fontem ; ait enim a principio mundi peccatum in naturam regnaſſe , ſed propter mandati transgreſſionem : inſuper peccatum majores noſtros invaſiſſe , per progeniem probat ex cap. 5. Epiſtolæ ad Rom. ac demum ex cap. 6. Geneſeos , quod de peccato originali exponere ſolent Catholici . Perperam igitur iſte Theodoreti locus objicitur adverſus peccati originalis fidem .

Inſtabis : ille non agnoſcit peccatum originale , qui homines docet nonniſi pœnam ab Adamo trahere : atqui Theodoretus id profitetur eo loci ; ait enim primos parentes fuiſſe mortales , quia peccaverant ; nos vero mortales , quia ab illis parentibus mortales procreati ſumus , unde & aliæ fluxerunt miſeriæ : ergo .

Nego min. loquitur enim de peccato , non autem ſolummodo de pœna peccati : cum dicit *peccatum majores noſtros invaſiſſe , & inde viam quandam & tramitem per progeniem effeciſſe ;* idque probat ex illis divi Pauli verbis , *per unum hominem peccatum intravit in mundum , & per peccatum mors , in quo omnes peccaverunt .* Hæc enim verba non modo pœnam , ſed & culpam aperte ſignificant .

Quod autem addit Theodoretus eatenus nos eſſe mortales , quatenus a primis parentibus mortalibus procreati ſumus , nihil eſt ſane quod ibi reprehenſione dignum ſit : quemadmodum enim in Adamo peccavimus omnes , ita in Adamo mortali ſumus & nos mortales ; hæc certe loquendi ratio peccati originalis fidem non evertit , præſertim cum aperte profeſſus fuerit Theodoretus peccatum quoque a primis parentibus in totum genus humanum pervaſiſſe .

His adde quæ ſcribit in aliis locis ſuper iſto negotio maxime catholica , lib. 5. hæreticarum fabularum cap. 11. ad illa divi Pauli verba *ſed non ſicut delictum , ita & donum* , ſic habet , *ſuperat* , inquit , *benignitatis munificentia juſtitiam . Juſtitiæ namque decretum , cum unus peccaſſet , univerſum genus morti tradidit ; divina autem miſericordia , cum omnes homines eſſent ſub maledicto & peccati laqueis eſſent irretiti , per unius juſtitiam dedit omnibus ſalutem . . . . quando* , inquit , *unus peccavit , omnes condemnati ſunt : nunc autem , cum omnes peccaverint , omnibus volentibus ſalus propoſita eſt per fidem . Cum ſic oſtendiſſet unius juſtitiam communis peccati remedium oſtendiſſe , oſtendit per ipſum mortis quoque peractam deſtructionem . . . lex enim juſtitiæ omnes ad ſupplicium ducebat , omnes enim peccatores conſtituti ſumus .*

Inſigne vero præ cæteris eſt ejuſdem Theodoreti teſtimonium , quod petitur e Commentario in Epiſt. ad Rom. ubi ad caput 5. ſic habet ; *Dicit itaque divinus Apoſtolus , quod cum Adam peccaviſſet , & mortalis propter peccatum factus eſſet , utrumque ad genus pervenit . Ad omnes enim homines mors pervaſit , quatenus omnes peccaverunt , Non enim propter primi parentis peccatum , ſed propter ſuum , unuſquiſque mortis decretum ſuſcepit .* Ubi diſerte teſtatur Theodoretus non modo mortem , ſed & peccatum ab Adamo in cæteros homines pertranſiiſſe , quod ſane de peccato actuali exponi non poteſt , docet enim cum Apoſtolo omnes peccaviſſe , peccatum ad univerſum genus perveniſſe ; certum eſt autem actuale peccatum non eſſe in infantibus . Quare mirum eſt nonnullos ex hoc ipſo teſtimonio fidem Theodoreti ſuſpectam habere , eo quippe haud ſcio an gravius ullum eſſe poſſit ad peccati originalis dogma aſtruendum .

Quod enim ibidem ait unumquemque non propter primi parentis peccatum ,

ſed

ſed propter ſuum, mortis decretum ſuſcepiſſe; id unum profectò contendit homines non propter Adami peccatum extrinſecus duntaxat imputatum, ſed propter idem peccatum, vera propagatione proprium uniuſcujuſque factum, *ad omnes enim*, inquit, *homines mors pervaſit*, *quatenus omnes peccaverunt*.

Ex quibus mirum in modum hæc alia exponuntur quæ ex eodem Theodoreti commentario objiei ſolent, *in pœna inquit Dominus Deus juſtitiæ decretum ſervavit*, *& cum Adam peccaſſet*, *& morti eſſet traditus*, *univerſum genus eſt conſecutum*. Et poſtea, *ſuperat inquit gratiæ munificentia juſtitiæ decretum*. *Tunc enim cum homo peccaſſet*, *totum genus pœnas luit*. Quaſi velit ſolam pœnam non culpam trahere homines ab Adamo. Quominus enim ex iſtis poſterioribus locis aliiſque ſimilibus, quæ quidem, ut lubens confiteor, frequentiſſima reperias apud Theodoretum, nihil quidquam colligas veræ fidei contrarium, obſtant maxime priora in quibus aperte teſtatur nos omnes peccaviſſe in Adamo, peccatum Adami factum eſſe noſtrum, ac mortem demùm in unoquoque ſui peccati pœnam eſſe.

Neque etiam opponi debent quæ paulo poſt ſequuntur, ubi hæc Apoſtoli verba, *ſicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi*, *ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur multi*, ſic explicat: *Exactè hic*, inquit, *& in Adam & in gratia poſuit illud* (multi), *nam & in illis invenimus aliquos*, *qui a majoribus peccatis alieni fuerunt*, *ut Abel*, *& Enoch*, *& Noe*, *& Melchiſedech*, *& Patriarchas*, *& eos etiam qui in lege clari inſignesque fuere*, *& poſt gratiam*, *multi vitam injuſtam & ſceleratam amplectuntur*. Quaſi nempe velit Theodoretus hac voce (*multi*) conſueto uſum eſſe divinum Paulum, quod non omnes & ſinguli peccaverint in Adamo, quemadmodum non omnes ſalvantur per Chriſtum. Conſtat quippe non inde peccati originalis fidem evertere Theodoretum, quod illam S. Pauli comparationem in eo conſtituat, quod ſicut non omnes majoribus, id eſt, graviſſimis peccatis obſtricti fuerunt, quandoquidem multi fuerunt juſti, Abel, Enoch, Noe &c. Ita non omnes ſalvabuntur per Chriſtum, quatenus multi ſceleratam vitam amplectuntur, inde enim non ſequitur multos tantum, non omnes peccaſſe in Adamo.

Objiciunt denique hæc Theodoreti verba e lib. 3. hæreticarum fabular. cap. 18. *Non enim*, inquit, *ut amentes putant Meſſaliani novaculam tantum imitatur baptiſmus præcedentia auferens peccata*, *hoc enim ex ſuperabundanti largitur*. *Si enim hoc ſolum opus erat baptiſmatis*, *quorſum infantes baptizamus*, *qui peccatum nondum guſtarunt?* Si autem infantes peccatum nondum guſtarunt, profectò in iis nullum eſt peccatum originale: ergo.

Diſt. ant. Infantes peccatum nondum guſtarunt, actuale & propria voluntate admiſſum, C. peccatum originale, N. Conſuli poſſunt quæ ſupra diximus ſancti Chryſoſtomi homiliam ad Neophytos explicando, par enim & eadem eſt utriusque teſtimonii difficultas. Scilicet eo loci rem habet Theodoretus cum Meſſalianis qui, cum dicebant baptiſmum inſtar novaculæ peccata præterita auferre; certo certius de peccatis actualibus loquebantur, ut ex illis Theodoreti verbis, tum vero ex lib. 4. cap. 11. ſatis deprehenditur. Quare cum ſermo haberetur de peccatis actualibus, mirum profectò videri non debet, ſi tam affirmate dicat baptizari infantes, quantumvis nullum guſtaverint peccatum, id enim intelligit de peccato actuali, de quo ibi quæſtio eſt. Favet nonnihil vox illa *guſtarunt*, quæ actionem magis proprie ſignificat.

At, inquies, abſurda omnino fuiſſet illa Theodoreti ratiocinatio, ſi aliunde agnoviſſet peccatum originale, & ſi ea tum fuiſſet Eccleſiæ doctrina & conſuetudo, ut ad remiſſionem peccati originalis infantibus baptiſma conferretur. Illico enim reſpondere potuiſſent Meſſaliani,

Digitized by Google

ni, ad peccatum originale delendum baptizari infantes, tametſi nullum actuale commiſerint.

Reſpondeo, nec abſurdum fuiſſe Theodoreti hocce ratiocinium, nec falſitatis argui merito potuiſſe a Meſſalianis, quia nemo cum inter illos ageretur de peccato actuali aliter & in alio ſenſu, capere non potuerunt Theodoreti propoſitionem: ſimilem difficultatem ſolutam habes, ubi Tertulliani, & S. Chryſoſtomi mentem mox expendimus.

An peccatum originale ſit verum & proprie dictum peccatum.

POſtquam fundatiſſimum Eccleſiæ Catholicæ dogma de originalis peccati exiſtentia & propagatione fuſe ſatis, ut opinor, adverſus Hæreticos aſtruximus; ſequitur ut in nonnullos quoque doctores animadvertamus, meo quidem judicio, acrius hac in parte notandos, qui nimirum peccatum originale dicunt non eſſe peccatum veri nominis, peccatum proprie, ſed metonymice, id eſt, pœnam peccati, vel debitum, ſeu obligationem pœnæ.

In illa ſententia verſatos fuiſſe S. Chryſoſtomum, Theodoretum, & quoſdam alios græcos putat Maldonatus opuſculo de peccato origin. quæſt. 3. ſed immerito; ut enim ſuperius a nobis oſtenſum eſt, ita pœnam a culpa, peccatum a morte aliiſque pœnis diſtinxerunt iſti veteres, ut ſcilicet utrumque ab Adamo in ejus poſteros dimanaſſe non ſemel docuerint: legi poteſt ſuper ea re Sixtus Senenſis lib. 6. Bibl. annor. 236. ubi S. Chryſoſtomum & alios ab illa calumnia vindicat.

Nonnullorum opinionem refert Magiſter Sententiar. lib. 2. diſtinct. qui varie de natura peccati ſenſerunt: *De hoc*, inquit, *ſancti Doctores ſub obſcuritate locuti ſunt, atque Scholaſtici Doctores varie ſenſerunt. Quidam enim putant originale peccatum eſſe reatum pœnæ pro peccato primi hominis, id eſt, debitum vel obnoxietatem, qua obnoxii & addicti ſumus pœnæ temporali & æternæ pro primi hominis actuali peccato, quia pro illo (ut aiunt) omnibus debetur pœna æterna, niſi per gratiam liberentur. Juxta horum ſententiam oportet dici, originale peccatum nec culpam eſſe, nec pœnam. Culpam non eſſe ipſi fatentur, pœna quoque ſecundum eos eſſe non poteſt, quia ſi debitum pœnæ originale peccatum eſt, cum debitum pœnæ non ſit pœna, nec originale peccatum eſt pœna. Quod etiam quidam eorum admittunt, dicentes in Scriptura originale peccatum ſæpe nominari reatum, & reatum ibi intelligunt, ut dictum eſt, obnoxietatem pœnæ, & ea ratione aſſerunt peccatum originale dici eſſe in parvulis, quia parvuli pro illo primo peccato rei ſunt pœnæ, ſicut pro peccato iniqui parentis aliquando exulant filii ſecundum juſtitiam.* Eoſdem indigitare videtur, quos diſerte refutat Hugo de S. Victore Summæ Sentent. Tract. 3. cap. 11.

Si fides adhibeatur Vaſquezio, conſtanter affirmat Durandus lib. 2. diſt. 30. qu. 2. nihil eſſe in parvulo recens nato, quod propriam habeat rationem culpæ aut peccati moralis: in quo tamen, ut puto, hallucinatur Vaſquezius; id unum quippe contendit Durandus, peccatum originale non eſſe culpam in parvulo actualem & perſonalem, quod neutiquam erroneum eſt: *Patet ergo*, inquit, *quod peccatum originale non eſt in parvulo voluntarium perſonali voluntate parvuli, quemadmodum peccatum actuale eſt voluntarium propria & perſonali voluntate peccantis actualiter, & ideo non eſt illo modo proprie peccatum, vel proprie culpa, & ſic intellexi, ubicumque alias ſive aſſerendo, ſive recitando, ſive abſolute, ſive ſub conditione dixi vel ſcripſi peccatum originale non eſſe proprie peccatum vel culpam.* Unde ſic in aſſertione locutus fuerat Durandus: *Quantum ad primum tenendum eſt indubitanter, quod in nobis eſt per originem aliquod peccatum ſeu aliqua culpa, & dicere oppoſitum, eſt error Pelagii & Juliani hæreticorum.* Unus e noſtris acutiſſimus alioquin Scripturarum interpres Faber

ber Stapulenſis in eadem verſabatur opinione, is enim Comment. in cap. 5. Epiſt. ad Rom. affirmat pueros ſolum naſci pœnæ mortis obnoxios; quam ſimiliter ſententiam tribuit Chryſoſtomo.

Docet Tapperus Lovanienſis Academiæ Doctor & Cancellarius, peccatum originale non eſſe proprie peccatum: *Et hanc eandem ſententiam*, inquit, art. 2. ex his, *quod peccatum originale non eſt proprie peccatum, clare docet Concil. Arauſicanum cap. 2. Quod ad verbum ſecutum eſt Conc. Trident. explicant enim & interpretantur peccatum originis eſſe mortem animæ; cum tamen peccatum proprie dictum potius ſit mortis cauſa, quodque unicuique eſt proprium*.

Hic porro inter eos, quibuſcum in præſenti controverſia rem habemus, non annumeramus Tapperum, quia nempe illius ſententia ex ſola peccati definitione religata pendet, cum in eodem paragrapho doceat aperte non modo parvulos ob Adæ peccatum effectos pœnæ debitores, ſed vere peccatores, non modo eos damnari propter Adæ peccatum, ſed propter ſuum, & alia id genus.

Atque id ſummopere obſervandum eſt in hac quæſtione: ſunt enim, ut poſtea dicemus, variæ Theologorum opiniones de natura peccati originalis. Quidam reponunt peccatum originale in concupiſcentia, alii in privatione juſtitiæ originalis, alii in ipſo Adæ peccato, alii demum in morte animæ; eos omnes qui minus accurate hac in parte loquuntur, & quos idcirco in ſequenti diſputatione debellabimus, hic non impugnamus, quasi negent peccatum originale eſſe proprie peccatum, ſi nimirum alunde non modo pœnam, ſed & culpam veram parvulis aſcripſerint. Quæſtio igitur in eos duntaxat movetur qui dicunt pœnam non culpam, effectus peccati Adæ non ipſum peccatum in cæteros homines pertranſiviſſe, idque peccati genus non eſſe proprie peccatum.

CONCLUSIO.

Peccatum originale quod omnes & ſinguli homines ab Adamo traxerunt, veri nominis peccatum eſt.

Id primum ex eo invicte colligitur, quod cum dicit Apoſtolus ad Rom. cap. 5. per hominem peccatum introiiſſe in mundum, & per peccatum mortem, manifeſtum eſt eum diſtinguere peccatum a pœna peccati, id eſt a morte corporis: cum præſertim addat, *& ita in omnes homines mors pertranſiit in quo omnes peccaverunt:* inde enim ſignificat culpam, quæ pervaſit in omnes, cauſam fuiſſe cur ipſi morerentur: ergo aperte declarat non ſolum pœnam, ſed & culpam ab Adamo trahere homines.

Eandem veritatem confirmant adducta ſuperius SS. Patrum teſtimonia, ex iis quippe fere nullum eſt in quo diſerte & expreſſe non legatur peccatum ab Adamo derivatum præter pœnas, id eſt ignorantiam, concupiſcentiam, mortalitatem aliaſque vitæ calamitates quibus in hac vita mancipati ſumus.

His adde canones Conciliorum, in quibus Doctrina Eccleſiæ clarius deſignari ſolet, ſic Arauſicanum II. can. 2. *Si quis ſoli Adæ prævaricationem ſuam, non & ejus propagini aſſerit nocuiſſe; aut certe mortem tantum corporis quæ pœna peccati eſt, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, per unum hominem in omne genus humanum tranſiiſſe teſtatur, injuſtitiam Deo dabit, contradicens Apoſtolo dicenti, per unum hominem peccatum &c.* Ubi licet definiant ſolummodo Patres Arauſicani per Adamum introiſſe in omnes homines mortem animæ, quæ non niſi peccati pœna videtur eſſe, de ipſa tamen loquuntur, ut de vera peccati ratione, quam morti corporis, ut peccati pœnæ opponunt.

Et inſuper Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. can. 5. his verbis: *Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum origina-*

lis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet; ſed illud dicit tantum radi aut non imputari, anathema ſit. Ubi manifeſte ſupponit Concilium ante baptiſmum aliquid eſſe in anima, quod veram & propriam peccati rationem habet; unde ſequitur peccatum originale, neque enim aliud peccatum eſſe poteſt in infantibus, eſſe proprie non metonymice peccatum.

Accedit ratio, eo enim pacto peccatum originale ſemper confeſſi ſunt Catholici, ut unumquemque dicerent ſuum habere peccatum, atque ita peccato ut pœnis eſſe obnoxium: atqui vere & proprie pœnis peccati ſumus obnoxii; vera eſt in hominibus ignorantia, vera concupiſcentia, non ſunt iſta in hominibus improprie & metonymice: ergo ſimiliter nec peccatum.

Et iterum, ex Divo Paulo peccatum per unum hominem introivit in mundum, ſicut juſtitia per Chriſtum: atqui vera & proprie dicta juſtitia tranſiit a Chriſto in homines; igitur & ab Adamo peccatum quod tranſiit, fuit veri nominis peccatum; multa porro ad hanc rem accommodata dicemus proxime ſequenti diſputatione, ubi naturam peccati originalis examinaturi ſumus.

Objicies: peccatum quandoque accipitur in ſacris litteris non pro culpa, ſed pro pœna peccati. Dicit enim Deus, Exodi cap. 20. *ſe viſitare iniquitates patrum in filiis*, id eſt de filiis pœnas ſumere quas debebant patres luere, ut apud Ezechielem cap. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris*, id eſt, pro patre pœnas non dabit. Inſuper 3. Reg. cap. 1. 21. ait Bethſabee ad David, *Eritque cum dormierit Dominus meus Rex cum Patribus ſuis, erimus ego & filius meus Salomon peccatores*, id eſt, multis vitæ ærumnis obnoxii. 1. Petri cap. 2. 24 *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*, id eſt pœnas peccatorum, nam ſine culpa ipſe fuit: ergo nil vetat quominus & ea Scripturæ loca, in quibus peccatum originale deſignatur, de peccato metonymice ſumpto intelligantur; ita ut peccatum non pro culpa, ſed pro pœna peccati accipiatur.

Nego conſeq. Ratio diſcriminis eſt, quia nihil eſt quod cogat nos aliter præfata Scripturæ loca interpretari, quin potius hunc eſſe eorum ſenſum ex nuda & ſimplici textus lectione ſatis deprehenditur; cum ex alia parte in hoc divi Pauli teſtimonio, *per unum hominem peccatum intravit in mundum &c.* peccatum multiplici ex cauſa ſumi non poſſit figurate & pro pœna peccati. Primo, quia, quæ figurata ſunt in Scipturis, nonniſi ſemel & veluti obiter dicuntur: at dicit Apoſtolus *peccatum* intraſſe in mundum, & poſtea iſtud repetit in eodem verſiculo, *in quo omnes peccaverunt*; & iterum in verſ. 19. dicit homines conſtitutos fuiſſe *peccatores*: frequens hæc repetitio clare indicat nomen peccati non eſſe metonymice accipiendum. Secundo, ibidem Apoſtolus manifeſte diſtinguit peccatum a pœna peccati, id eſt a morte, nec ſolum mortem introiſſe in mundum dicit, ſed & peccatum ipſum. Tertio, quia ut mox oſtendimus, & Patres & Concilia hoc Apoſtoli teſtimonium explicuerunt de vero peccato, & docuerunt non ſolum pœnam, ſed & culpam ab Adamo pertranſiiſſe in homines.

Objicies: eſt de ratione peccati quod ſit voluntarium ei, cui eſt peccatum; atqui originale peccatum non eſt infantibus voluntarium; quia quod eſt uni voluntarium, non eſt proinde alteri voluntarium: quod ſi aliquando voluntas aut factum alterius cenſetur proprium, hoc ſolum contingit, quando quis aliquid agendum alteri committit: atqui hoc modo non potuit voluntas primi parentis cenſeri voluntas parvulorum, quia ipſi nihil voluntati illius commiſerunt: ergo voluntas primi parentis non debuit cenſeri propria cujuslibet hominis, ut peccatum ab illa commiſſum veram habeat in ſingulis rationem peccati.

Digitized by Google

cati. Eſto quod pro ſuprema ſua poteſtate ita res ordinaverit Deus, ut ſortes omnium hominum voluerit eſſe in manibus primi parentis, quatenus iſte acceperat pro ſingulis gratiam & juſtitiam originalem, eamque ſibi & toti poſteritati amiſit, quo factum ſit ut pro Adami peccato juſte plecti potuerint cæteri homines, quicquid in contrarium efferant Pelagiani: tamen inde non ſequitur peccatum originale in ſingulis eſſe proprie voluntarium, ad ſummum in illis eſt voluntarium quod vocant interpretativum, quod non ſufficit ad rationem peccati proprie dicti.

Diſt. min. originale peccatum non eſt infantibus voluntarium, per actualem & perſonalem eorum voluntatis actum, C. per actum voluntatis Adami qui fuit cæterorum hominum proprius actus, N. hæc certe objectio, ut lubens confiteor, non niſi difficillime ſolvi poteſt in ſententia plurimorum Theologorum, quorum alii naturam peccati originalis reponunt in concupiſcentia, alii in privatione juſtitiæ originalis, alii in morte animæ; cum enim ithæc omnia non deſignent actum voluntatis, ad rationem vero peccati maxime pertineat, ut ſit aliquid voluntarium ei cui peccatum eſt, vix intelligitur quo tandem pacto dici poſſit vel concupiſcentiam, vel privationem juſtitiæ originalis, vel mortem animæ veram peccati proprie dicti rationem habere; hæc enim, ut per ſe patet, totidem ſunt peccati effectus, adeoque ipſa non nonniſi metonymice peccata dicuntur.

Verum in noſtra ſententia vix ullius eſt momenti eadem objectio: ſi enim ut in proxime ſequenti diſputatione oſtenſuri ſumus, peccatum originale ſit ipſum Adæ peccatum actuale prout nobis imputatum, & eatenus noſtrum quatenus in eo & cum eo omnes unus homo fuimus, ut cum aliis Patribus loquitur S. Auguſtinus: facile intelligitur, admiſſo principio, quo dicitur omne peccatum eſſe voluntarium, quomodo peccatum originale ſit voluntarium etiam in infantibus, ſcilicet voluntarium eſt per actum voluntatis Adami, in quo tanquam humani generis capite omnes peccaverunt.

At, inquis, factum unius nuſpiam cenſetur proprium alterius, niſi ipſi aliquid agendum commiſerit: ſed nihil agendum Adamo commiſerunt homines: ergo.

Diſt. ant. Si ſermo ſit de rebus humanis, ſi res æſtimetur juxta legem ordinariam, C. Si juxta divinæ voluntatis inſtitutionem, quæ nempe in Scripturis revelata eſt, N. ſic reſpondemus, quia hæc objectio non niſi ab hæreticis proponi poteſt, quicquid ſit enim peccatum originale, quod mox ſumus examinaturi, id tanquam certiſſimum tenendum eſt illud veri nominis eſſe peccatum, non metonymice, ſed proprie peccatum, videlicet propter momenta ex divo Paulo, SS. Patribus, & Conciliis ſuperius adducta. Quare mirum eſt a quibuſdam Doctoribus Catholicis hic proponi autoritatem Ariſtotelis, qui lib. 3. Ethic. cap. 5. ait per ea quæ nobis natura inſunt, non laudari nos aut vituperari: *Nemo namque*, inquit, *exprobabit cuiquam ſi ſit aut natura, aut ægritudine, aut vulnere cæcus: quod ſi ebrietate, aut aliquo flagitio captus ſit oculis, omnes utique carpent, ac increpabunt: vitia igitur corporis, ea quidem quæ in noſtra ſunt poteſtate, reprehenduntur; ea vero quæ non ſunt, non increpantur*. Sic enim loquitur Philoſophus, qui ſola ratione naturali ductus nullum noverat peccatum in nobis generatione contractum.

Quid ſit Peccatum originale.

Quanquam ejuſmodi ſit peccatum originale, ut teſte S. Auguſtino lib. 1. de moribus Eccleſiæ cap. 22. *eo nihil ſit ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum ſecretius*: eſt tamen in more poſitum apud Theologos, ut de ejus

natura & eſſentia penitus inquirant.

Sed quoniam hæc quæſtio pertinaciſſimis diſceptata contentionibus non modo Catholicos exercuit ſciditque in partes, ſed etiam Hæreticos noſtros, qui aliunde peccati originalis propagationem agnoſcere ſe profitentur, paulo accuratius tractanda eſt. Id ut fiat majori cum perſpicuitate, varias ac præcipuas illorum omnium opiniones diſtinguimus.

Prima ſententia eſt Matthiæ Illyrici Lutherani & præcipui ex Centuriatoribus Magdeburgenſibus, qui docuit peccatum originale malam quandam eſſe ſubſtantiam a Diabolo productam, ita ut homo per peccatum originale fuerit ſubſtantialiter mutatus.

Secunda ſententia eſt aliorum communiter Proteſtantium, qui dicunt peccatum originale conſiſtere in integra humanæ naturæ corruptione.

Tertia eſt aliorum, qui putant eſſentiam peccati originalis poſitam eſſe in vitioſa quadam, & ut aiunt, morbida qualitate quæ poſitiva eſt.

Quarta ſententia eorum eſt, qui docent peccatum originale eſſe concupiſcentiam quoad materiale, & reatum quoad formale.

Quinta eorum eſt, qui exiſtimant peccati originalis eſſentiam conſiſtere in privatione juſtitiæ originalis.

Sexta denique eſt eorum, qui dicunt peccatum originale eſſe ipſum Adæ peccatum ſingulis hominibus imputatum: quonam vero ſenſu hæc ſententia ſit falſa, quonam autem ſit vera, nos infra declarabimus.

An Peccatum originale ſit aliqua ſubſtantia.

INſanam Manichæorum doctrinam hac in parte pene renovans Illyricus, docuit in libello de eſſentia juſtitiæ & injuſtitiæ originalis, & in alio tractatu adjuncto diſputationi quam habuit cum Victorino Strigetio Vivariæ, peccatum originale non eſſe aliquod accidens, ſed novam quandam ſubſtantiam malam & corruptam a Dæmone factam, quæ ſit ipſius Dæmonis viva & eſſentialis imago. Scilicet putat hominem, qui factus fuerat eſſentialiter in ſimilitudinem Dei, peccando corruptum fuiſſe ſubſtantialiter, & in formam Dæmonis etiam ſubſtantialem transformatum, quæ quidem forma in poſteros Adæ, generationem transfuſa ipſum eſt peccatum originale; quibus porro momentis hocce commentum aſtruat Illyricus, videbitur in objectionibus.

CONCLUSIO.

Peccatum originale non eſt mala quædam ſubſtantia.

Id primum colligitur ex Scripturis. Nam Joan. 1. 3. vera rerum omnium efficientia verbo Dei tribuitur, *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Quod ſaltem de omni ſubſtantia vere exiſtente, ſin minus de omni defectu, ſaltem de omni effectu intelligi debet: ſed ſine manifeſta impietate in iiſdem Scripturis condemnata dici nequit Deum eſſe peccati cauſam; ut infra oſtendemus: ergo peccatum originale non eſt aliqua ſubſtantia.

Neque eſt quod dicat Illyricus, pari ratione probari poſſe actum ipſum, quo aliquis legem tranſgreditur, non eſſe peccatum: ſiquidem conſtat illum, ut res quædam eſt, fieri a Deo; qua ex cauſa volunt omnes fere Theologi peccatum formaliter ſumptum conſiſtere in aliquo mere privativo, malitiam peccati, quæ prout talis Deo nunquam aſcribi poteſt, in mera privatione rectitudinis debitæ poſitam.

Atque hæc portentoſa Illyrici doctrina ex eo maxime refellitur, quod ipſiſſima ſit Manichæorum deliratio, qui volebant, teſte Sancto Auguſtino, malum eſſe aliquam naturam, aliquam ſubſtantiam naturæ noſtræ admixtam; quod quidem eo nomine tanquam abſurdiſſimum, cum Scriptura & ratione

pug-

Digitized by Google

pugnans ubique paſſim rejicit S. Doctor. *Bonus eſt Deus*, inquit, l. 6. contra Jul. cap. 1. *juſtus eſt Deus*, *extranea prorſus mali eſt nulla natura*, *quæ noſtra natura ſecundum Manichæos credatur admixta*. Et in Pſal. 68. Serm. 1. n. 5. *Porro autem quia per iniquitatem homo lapſus eſt a ſubſtantia in qua factus eſt*, (*iniquitas quippe ipſa non eſt ſubſtantia; non enim iniquitas eſt natura quam formavit Deus; ſed iniquitas eſt perverſitas quam fecit homo*) *venit Filius Dei* ... (*omnia per ipſum facta ſunt*, *& ſine ipſo factum eſt nihil*) *naturæ omnes per ipſum factæ ſunt*, *iniquitas per ipſum facta non eſt*, *quia facta non eſt*.

Eodem pertinent quæ ſcribit idem S. Doctor tractatu 4. in 1. Epiſt. Joan. explicans illud, *qui facit peccatum de Diabolo eſt*, ſic enim habet: *Noſtis quid dicat*, *imitando Diabolum*. *Nam neminem fecit Diabolus*, *neminem genuit*, *neminem creavit*: *ſed quicunque fuerit imitatus Diabolum*, *quaſi de illo natus*, *fit filius Diaboli imitando*, *non proprie naſcendo*. Abſurdum itaque quod de ſubſtantiali hominis transformatione opificio Dæmonis facta commentus eſt Illyricus.

Fruſtra vero hic Hæreticus, ne iſta Manichæiſmi nota inuratur, declarat ſe nuſquam docuiſſe ſubſtantiam hominis a Dæmone tanquam a malo principio creatam, ut volebant Manichæi, ſed tantum affirmare ſe illam artibus Dæmonis ex bona malam prodiiſſe: *Sicut*, inquit, *variis artibus videmus plerumque ſubſtantiam unam in aliam transformari*, *ut ex lacte fit caſeus*, *& ex luto lateres*, *& ex aliis alia*. Siquidem Manichæi non ſolum in eo errabant, quod ſubſtantias malas malo principio ut autori tribuerent, ſed quod aliquam per ſe malam naturam & ſubſtantiam admitterent; quod idem plane ſentit Illyricus.

Pugnat etiam aperte hæc ſententia cum Canone quinto Seſſ. Concilii Tridentini jam citato, ubi nempe definitur, in baptiſmate tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet: atqui certum eſt nihil tolli ſubſtantiæ, eandem remanere ſubſtantiam, homo etenim manet in eadem ſpecie, quando per gratiam baptiſmi renovatur; quemadmodum per peccatum mutata non fuerat ſubſtantialiter & ſpecifice ejus natura, quæ nimirum poſita eſt in eo quod ſit animal rationale: igitur fictitia eſt illa ſubſtantialis transformatio per Adami inobedientiam producta, ratione cujus peccatum originale in ſingulis Adæ poſteris ſit aliqua ſubſtantia.

Reſpondet Illyricus hominem conſiderari poſſe dupliciter, ſcilicet Phyſice & Theologice. *Quamvis autem*, inquit, *homo peccato corruptus ejuſdem ſpeciei ſit phyſice*, *cujus erat ante corruptionem*, *tamen ſecundum optimam partem ſuæ eſſentiæ*, *ut Theologice conſideratur*, *corruptus & mortuus eſt*, *ſicut corpus ſenile*, *tametſi ejuſdem ſpeciei cum juvenili*: *atque adeo idem numero in eodem homine*, *tamen adeo differt a juvenili*, *ut non immerito ſecundum optimam partem ſubſtantiæ ſuæ corruptum & mortuum cenſeatur*, *ſicut*, *hac ratione Scriptura Sacra corpus emortuum appellat*. Unde ait, *eam fuiſſe vim illius comminationis divinæ* (*In quacunque die comederis*, *morte morieris*.)

At nos dicimus ex illis ipſis verbis manifeſtæ falſitatis redargui ſententiam Illyrici; ejuſmodi enim corruptio quæ ſit in rebus manente eadem eſſentia ſpecifica, non cenſetur eſſe niſi ſecundum qualitates accidentales, vel forte ſecundum aliquas particulas ſubſtantiæ ad individuum pertinentis; quapropter idem plane eſt homo & ſpecie & numero qui olim fuit juvenis, nunc ſenex. Neque hæc verba comminationis divinæ, *in quacunque die comederis*, *morte morieris*, ſignificant hominem ſecundum optimam eſſentiæ ſuæ partem corruptum, & mortuum; ea quippe ad ſolam corporis mortem, cui per peccatum obnoxius ex eo die declaratur Adam, referri debent.

Obji-

Objicit Illyricus, ubicunque Scriptura deſcribit hominem peccato corruptum, vocabulis utitur ſubſtantiam maxime ſignificantibus, ut cum appellat illum ſemen ſerpentis, carnem, cor induratum, lapideum, hominem veterem, Adamum terrenum, & ex patre Diabolo, genimen viperarum, natum ex carne, natura filium iræ &c. Ergo revera peccatum aliqua eſt ſubſtantia.

Diſt. ant. quæ vocabula ſumi debent metaphorice, C. in ſenſu litterali, N. Hæc igitur nomina, quæ peccatoribus paſſim tribuuntur in ſacris Litteris, metaphorice, non autem literaliter eſſe accipienda duplici ratione oſtenditur. 1. Quia id ipſum per ſe ſolæ indicant præfatæ Scripturarum locutiones; nam per ſe patet hominem quando peccavit non eſſe in ſenſu litterali ſemen ſerpentis, cor non habere lapideum, non veterem hominem, non genimen viperarum. Quapropter ejuſmodi ſententiarum ſenſus eſt, hominem per peccatum & peccato mortali ſemel infectum gratiæ divinæ tam obfirmate reſiſtare ac ſi eſſet lapideus; ita in vitiis & concupiſcentiis totam vitam agere, ac ſi ab ipſo Dæmone genitus eſſet, &c. 2. Quia non magis iſta debent accipi litteraliter, quaſi mutationem ſubſtantialem denotent, quam alia oppoſita vocabula, quibus ſignificatur hominis ſanctificatio, ſed vocabula, quibus ſignificatur hominis ſanctificatio, ut cum v. g. dicitur homo novus, homo cœleſtis &c. mutationem ſubſtantialem non denotant, ſed novos duntaxat affectus: ergo.

At inquit Illyricus, expreſſiſſimum eſt hoc divi Pauli teſtimonium, Rom. 6. verſ. 6. *Hoc ſcientes quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati.*

Reſpondeo & iſtam vocem *corpus*, accipiendam metaphorice. Corpus peccati, inquiunt Sancti Patres, eſt multorum peccatorum maſſa & congeries, quæ velut corpus quoddam efficit, quod quidem deſtruitur per gratiæ divinæ adjectionem, non per ſubſtantiæ transformationem, ut recte explicat Tertullianus lib. de reſurrectione carnis c. 47. his verbis, *Uti evacuetur corpus delinquentiæ, per emendationem vitæ, non per interitum ſubſtantiæ.*

Objicit iterum Illyricus, quando in Scripturis aliqua crimina coarguit Deus, radicem ipſam perſequitur & damnat, nempe ipſam naturam & cor hominis Theologici, tanquam id ex quo cætera peccata ut rami procedunt: ergo peccatum eſt ipſa ſubſtantia.

Nego conſeq. hanc enim radicem omnium ſcelerum quæ ab hominibus committuntur, conſtat ipſam eſſe concupiſcentiam, in quam inſurgit Deus velut in malorum omnium fontem & cauſam; ſed concupiſcentia profecto non eſt ſubſtantia, eſt ad ſummum mala quædam propenſio per modum habitus ſubſtantiæ hominis ſuccreſcens, igitur.

Objicit inſuper, quod eſt divinæ legi repugnans & contrarium, id veriſſime peccatum eſt: ſed natura noſtra corrupta, ut generatione illam accipimus, per ſe divinæ legi repugnat; ergo per ſe ipſa peccatum eſt.

Diſt. min. natura noſtra legi divinæ repugnat propter peccatum adjectum, propter vitium ipſi annexum, C. per ſe ipſam, N. ſolutio patet ex dictis.

Objicies: ſubſtantia hominis creata fuit imago Dei: ſed peccatum originale deſtruxit imaginem Dei: ergo deſtruxit ſubſtantiam, adeoque ipſum eſt aliquid ſubſtantiale, eſt aliqua ſubſtantia.

Diſt. min. deſtruxit imaginem Dei quoad perfectiones, & dotes, C. quoad ſubſtantiam, N. Duplici titulo homo dicitur formatus ad imaginem Dei, quoad ſubſtantiam videlicet, idque in eo poſitum eſt quod homo ſit quoad animam ſubſtantia ſpiritalis & intellectu ac voluntate præditus ſicut & ipſe Deus; vel imago Dei eſt quoad dotes & perfectiones nonnullas, per quas videbatur in ſtatu innocentiæ Deo magis aſſimilari, majuſque cum eo habere conſortium;

talis

Digitized by Google

talis erat juſtitia & ſanctitas originalis quæ quidem in accidentali quadam gratia naturæ ſuperaddita conſiſtebat. Jam vero peccatum originale deſtruxit quidem in homine imaginem Dei quoad dotes nonnullas, puta quoad juſtitiam & ſanctitatem originalem, non autem quoad ſubſtantiam; homo enim, ut per ſe patet, remanſit poſt peccatum ſubſtantia ſpiritalis, intellectu & voluntate prædita.

An Peccatum originale ſit integra naturæ humanæ corruptio.

DOcent Proteſtantes, nimirum & Lutherani & Calviniſtæ, peccatum originis hæreditariam quandam eſſe naturæ noſtræ corruptionem, & generalem quandam pravitatem, in omnes animæ partes diffuſam, quæ primum nos iræ divinæ & damnationis æternæ reos facit; tum vero cauſa & origo eſt reliquorum omnium ſcelerum, quæ inde emergunt. Id colligitur ex confeſſione Auguſtana art. 2. ubi ſic habetur: *Intelligimus autem peccatum originis, quod ſic vocant SS. Patres & omnes orthodoxi & pie eruditi in Eccleſia, videlicet reatum, quo naſcentes propter Adæ lapſum rei ſunt Dei & mortis æternæ, & ipſam corruptionem humanæ naturæ propagatam ab Adam. Et hæc natura humana corruptio, defectus juſtitiæ, ſeu integritatis, ſive obedientiæ originalis & concupiſcentiam complectitur.*

Non abſimili modo loquitur Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 1. num. 8. *Videtur ergo*, inquit, *peccatum originale hæreditaria naturæ noſtræ pravitas & corruptio in omnes animæ partes diffuſa, quæ primum facit reos iræ Dei, tum etiam opera in nobis profert, quæ Scriptura vocat opera carnis, atque id eſt proprie quod a Paulo ſæpius peccatum nominatur.*

Hæc porro Hæreticorum doctrina duplici ex cauſa a multis Catholicis non falſitatis modo, ſed & erroris nota inuri ſolet. 1. Quia non parum affinis videtur ſententiæ Illyrici, quam mox confutavimus; quatenus nempe dicunt totum hominem a capite ad pedes vitio hoc originali infectum & corruptum. 2. Quia manifeſte docent concupiſcentiam illam ſeu fœdam animi pravitatem non modo ad ſcelera quæque hominem allicere, ſed ipſam peccatum eſſe.

Verum quoad primum caput, ut dicam quod res eſt, ab inſana Illyrici doctrina vehementer iſti diſſentiunt; neque enim pravitatem hanc & corruptionem naturæ docent in aliqua ſubſtantia vel forma ſubſtantiali poſitam, ſed potius naturæ noſtræ adventitiam eſſe, ut conſtat ex his verbis Confeſſionis Auguſtanæ: *Et hæc natura humana corruptio, defectus juſtitiæ, ſeu integritatis, ſive obedientiæ originalis & concupiſcentiam complectitur. Eſtque defectus, horribilis cæcitas & inobedientia, ſcilicet carere illa luce ac notitia Dei quæ fuerat futura in natura integra.* Ubi naturæ humanæ corruptio, dicitur eſſe privatio juſtitiæ originalis cum concupiſcentia; ſic vero & mentem ſuam ſuper ea re explicat, *naturali hominem vitioſitate corruptum, ſed quæ a natura non fluxerit. A natura fluxiſſe negamus, ut ſignificemus adventitiam magis eſſe qualitatem quæ homini acciderit, quam ſubſtantialem proprietatem quæ ab initio indita fuerit.*

Quoad ſecundum vero caput, in quo dicimus errare iſtos Hæreticos, quod nempe hanc concupiſcentiam ſeu naturæ corruptionem peccatum eſſe dicant, res videtur eſſe majoris momenti & fuſiori explicatione digna; volunt enim Lutherani, quando docent peccatum originis in hac naturæ corruptione conſiſtere, ſe hac in parte doctrinam omnium veterum Theologorum amplecti, qui nempe communiter docere ſolent peccatum originis eſſe privationem juſtitiæ originalis, ita Melancthon in Apologia confeſſionis Auguſtanæ. Verum ut cuiquam manifeſte pateat, quantum iſtorum error a ſana Theologorum doctrina diſcrepet.

Ob-

Digitized by Google

Obſervandum eſt concupiſcenriam duplicem diſtingui poſſe; aliam actualem, quæ nihil eſt aliud quam actus ipſe inordinatus concupiſcentiæ habitualis; aliam vero habitualem, quæ recte definitur habitualis quædam propenſio ad bonum contrarium rectæ rationi. Cum porro dicunt hæretici in concupiſcentia conſiſtere formaliter peccatum originale, id intelligunt de concupiſcentia habituali, quam putant per ſe & ſecundum ſe malam non modo ad ſenſum Eccleſiæ Catholicæ, quæ docet concupiſcentiam eſſe malam, ut quamdam propenſionem quæ ad peccatum excitat & allicit, ſed in ſenſu plane hæretico, quem mox impugnaturi ſumus, quod nimirum hæc pravitas & corruptio naturæ noſtræ, hic morbus, hoc vitium origine propagatum, ſit per ſe proprie & formaliter peccatum.

Addimus *formaliter* nec immerito, ut enim poſtea dicetur contendunt multi Catholici peccatum originale materialiter eſſe concupiſcentiam, formaliter vero eſſe reatum concupiſcentiæ; ita ut concupiſcentia per ſe & ſecundum ſe non ſit peccatum.

Jam vero hanc naturæ corruptionem, hanc concupiſcentiam per ſe ipſam vere & proprie peccatum eſſe ſentiunt dubio procul præfati hæretici. Sic enim inter alios Georgius Mylius nobilis Lutheranus in explicatione Auguſtanæ Confeſſionis articulum ſecundum, qui eſt de peccato originali, explanans, *ex hac quæſtione*, inquit, *acris exorta eſt ſuperioribus temporibus inter Lutherum & Pontificios controverſia. Cum enim concupiſcentiam in renatis remanere utrinque in confeſſo fuerit, diſputari cœpit an ea peccati rationem proprie habeat in renatis necne; affirmantem partem Luthero, negantem Pontificiis acriter tuentibus; ſic enim habet Decretum quintæ ſeſſionis in Synodo Tridentina: Si quis per Jeſu-Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, aſſerit non tolli totum id quod veram & propriam rationem peccati habet: ſed illud dicit tantum non imputari, anathema ſit. Luthero manifeſte patrocinatur τὸ ῥητὸν Scripturarum, in primis Apoſtoli, qui concupiſcentiam ita diſerte peccatum appellat, ut ne id quidem Pontificii auſi ſint ire inficias. Nihilominus quamvis hoc ita ſit, Tridentina tamen Synodus decrevit, Catholicos numquam intellexiſſe peccatum appellari concupiſcentiam ab Apoſtolo, quod vere & proprie in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt & ad peccatum inclinat.* Quod idem docent Kemnitius in examine Conc. Trident. & Melancton in Apolog. Confeſſ. Auguſtanæ.

Sic vero, quanquam minus aperte Calvinus loco jam citato: *Videtur ergo peccatum originale hæreditaria naturæ noſtræ pravitas & corruptio, in omnes animæ partes diffuſa, quæ primum facit reos iræ Dei, tum etiam opera in nobis profert, quæ Scriptura vocat opera carnis. Atque id eſt prope quod a Paulo ſæpius peccatum nominatur.* Lege inſuper lib. 3. Inſt. cap. 3. num. 10. & hæc eſt doctrina quam in præſenti controverſia carpimus ut manifeſte hæreticam, quocirca ſit

CONCLUSIO.

Peccatum originale non eſt formaliter concupiſcentia habitualis ad ſenſum Novatorum.

Id primum evidenter colligitur ex innumeris Scripturæ locis, quæ manifeſte declarant peccata ſæpius ita remitti hominibus ſeu per baptiſmum ſeu per pœnitentiam, ut illa non modo non imputentur, ſed & penitus deleantur, nec amplius ſint in homine, Pſalmo 50. *Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor, lavabis me & ſuper nivem dealbabor.* Iſayæ 27. 9. *Idcirco ſuper hoc dimittetur iniquitas domui Jacob, & iſte omnis fructus ut auferatur ejus.* Joann. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ad Rom. capit. 5. 19. *Sicut enim per unius inobedientiam pec-*

Digitized by Google

peccatores conſtituti ſunt multi , ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur multi . Et iterum , *ubi abundavit deli-ctum , ſuperabundavit gratia* quæ proinde delictum omnino delevit ; aliter dici potius debet peccatum ſuperabundaviſſe .

Inſigne vero eſt ad hujus veritatis confirmationem teſtimonium ejuſdem Apoſtoli cap. 8. 1. *nihil ergo damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu* , id eſt , nullum damnabile peccatum iis qui in Chriſto per baptiſmum inſiti ſunt ; unde perperam hæreticis explicantur hæc verba de imputatione ; ait enim Apoſtolus nihil eſſe ; non ait , nihil amplius imputari ; quæ quidem duo vehementer differunt : atqui certum eſt poſt baptiſma & pœnitentiam remanere in homine juſtificato habitualem concupiſcentiam ; poſitam nempe in propenſione ad peccatum : igitur ratio formalis conſtitutiva peccati originalis non conſiſtit in concupiſcentia .

Atque hinc PP. Tridentini Seſſ. 5. *Si quis per Jeſu-Chriſti Domini noſtri gratiam , quæ in baptiſmate confertur , reatum originalis peccati remitti negat : aut etiam aſſerit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet , ſed illud dicit tantum radi , aut non imputari , anathema ſit ; in renatis enim nihil odit Deus , quia nihil eſt damnationis iis qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem ; qui non ſecundum carnem ambulant , ſed veterem hominem exuentes , & novum qui ſecundum Deum creatus eſt , induentes , innocentes , immaculati , puri innoxii ac Deo dilecti effecti ſunt . . . hanc concupiſcentiam , quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat , ſancta Synodus declarat , Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari , quod vere & proprie renatis peccatum ſit , ſed quia ex peccato eſt , & ad peccatum inclinat* . Ubi hæc aperte definit ſancta Synodus , 1. totum id tolli in baptiſmo , quod veram peccati rationem habet : concupiſcentia autem ſeu integra naturæ noſtræ corruptio in baptiſmo non tollitur . 2. Hominem recens baptizatum eſſe novum hominem , innocentem , immaculatum , purum , & innoxium , unde ſequitur eum eſſe ſine peccato , quanquam certum ſit remanere concupiſcentiam . 3. denique , hanc concupiſcentiam in baptizatis non appellari peccatum , niſi quia ex peccato eſt , & ad peccatum inclinat .

Fuit autem & iſtud dogma traditum a S. Auguſtino , quem ſibi hac in parte contrarium fatetur Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 3. num. 10. quatenus nempe concupiſcentiam tunc ſolum fieri peccatum docet S. Auguſtinus , ubi conſenſus pravæ appetitioni accedit ; Calvinus vero contendit ipſam pravitatem , quæ ejuſmodi cupiditates generat , eſſe peccatum . Is ergo ſic loquitur lib. 1. de nupt. & concup. cap. 23. *Nam ipſa quidem concupiſcentia jam non eſt peccatum in regeneratis , quando illi ad illicita opera non conſentitur , atque ut ea perpetrent a regina mente membra non dantur : ut ſi non ſit quod ſcriptum eſt , non concupiſcas , fiat ſaltem quod alibi legitur (poſt concupiſcentias tuas non eas) ſed quia modo quodam loquendi peccatum vocatur quod & peccato facta eſt , & peccatum ſi vicerit facit , reatus ejus valet in generato : quem reatum Chriſti gratia per remiſſionem omnium peccatorum in regenerato , ſi ad mala opera ei quodammodo jubenti non obediat , valere non ſinit . Sic autem vocatur peccatum , quia peccato facta eſt cum jam in regeneratis non ſit ipſa peccatum ; ſicut vocatur lingua locutio , quam facit lingua ; & manus vocatur Scriptura , quam facit manus . Itemque ſic vocatur peccatum , quia peccatum ſi vincit facit ; ſicut vocatur frigus pigrum , non quod a pigris fiat , ſed quod pigros faciat* .

Similia docet Sanctus Doctor lib. 6. contra Julian. cap. 17. & alibi paſſim adver-

adverſus Pelagianos ; ubi hæc de concupiſcentia profert tanquam certiſſima ; 1. Concupiſcentiam ex naturali hominis conditione non profluere, ut volebant Pelagiani, utpote quæ ab felici primorum hominum ſtatu abfuit. 2. Hanc concupiſcentiam, ſeu difficultatem boni, ingentis mali loco habendam, quod nempe ſit omnium peccatorum radix & parens. 3. Aliter ſe habere eandem concupiſcentiam in hominibus non baptizatis, & in aliis baptizatis: ſic vero peccatum in utriſque appellari, ut in hominibus non baptizatis cum reatu conjuncta ſit & vere peccatum: in hominibus vero baptizatis remaneat ſoluto reatu, nec amplius vere & proprie peccatum ſit, niſi ejus pravæ appetitioni voluntatis acceſſerit conſenſus.

Quam vero doctrinam tradunt contra hæretici noſtri, qui peccatum originale docent in concupiſcentia formaliter, & in integra naturæ noſtræ pravitate poſitum, eo acrius notari & condemnari debet, quod ex illa alii permulti errores pernicioſiſſimi velut religati pendent; hinc enim in baptizatis peccatum originis remanere ſequitur, quatenus nempe manet in illis integræ juſtitiæ defectus. Hinc etiam docent optima quæque piorum hominum opera infici & inquinari; quoniam ſcilicet a natura depravata proficiſcuntur. Hinc denique abſurdum illud dogma juſtitiæ imputativæ Chriſti excogitarunt, quaſi aliter in eorum doctrina homo juſtificari non poſſit, cum per ſe ſit ſemper obſtrictus peccato.

Objiciunt nonnulla Scripturæ loca, in quibus ſic naturæ humanæ pravitas deſcribitur, ut veriſſime illa peccatum eſſe dicatur, Geneſ. 6. 5. *Videns autem Deus quod cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore*. Ad Rom. 3. cap. cum generatim affirmaſſet Apoſtolus omnes & Judæos & Græcos ſub peccato fuiſſe, ex variis Pſalmiſtæ locis id exponit: *Sicut ſcriptum eſt*, inquit, *quia non eſt juſtus quiſquam. Non eſt intelligens, non eſt requirens Deum. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Sepulchrum patens guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant. Venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt. Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum. Et viam pacis non cognoverunt. Non eſt timor Dei ante oculos eorum*.

Reſpondeo ex iſtis & aliis ſimilibus Scripturæ locis colligi tantum poſſe, maximam eſſe naturæ humanæ pravitatem, maximam ad peccandum propenſionem; quandoquidem innumera inde proficiſcuntur peccata, quippe quæ ſibi conjunctas habet tenebras in intellectu, averſionem a bono in voluntate, contumaciam in corde; ſed non inde ſequitur ejuſmodi propenſionem per ſe ipſam peccatum eſſe. Nam quod ſpectat locum Geneſ. 6. ſatis apparet ibi ſermonem eſſe dumtaxat de hominibus generationis illius, quos Deus de diluvio delevit, dixit enim ad Noe cap. 7. 1. *Te vidi juſtum coram me in generatione hac*. Neque alius eſt ſenſus verborum Davidis quæ loco citato congerit Apoſtolus.

Objiciunt iterum: diligenter monet Apoſtolus etiam renatos, ne patiantur in ſe regnare peccatum; *Non ergo*, inquit ad Rom. cap. 6. 12. *regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus*; quæ admonitiones ſupponunt in renatis etiam ſupereſſe aliquod peccatum, a cujus dominatione & imperio oporteat ipſos ſibi cavere. Item cap. 7. ejuſdem Epiſtolæ de ſe ipſo loquitur Apoſtolus, verſ. 17. *habitat in me peccatum*. Verſ. 23. *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati quæ eſt in mem-*

membris meis. Denique Epiſt. ad Hebr. cap. 12. 1. ait peccatum eſſe circumſtans, *deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum*. Eſt igitur ſemper aliquod peccatum in unoquoque noſtrum hærens; quod aliud quid eſſe non poteſt quam concupiſcentia, quæ proinde per ſe formaliter peccatum eſt.

Reſpondeo in his locis concupiſcentiam appellari peccatum, eo ſenſu quod a peccato profecta ſit, & ad peccatum ipſa quoque excitet, ut fuſe ſatis mox oſtendimus tum ex ipſis Scripturis, tum ex S. Auguſtino, tum ex autoritate Concilii Tridentini. Quin potius cum hominem juſtum monet Apoſtolus, ne patiatur in ſe regnare peccatum, ſatis indicat poſſe quemvis ſaltem gratiæ divinæ beneficio cavere a peccato, & non obedire concupiſcentiis. Lex porro membrorum, eſt concupiſcentia quæ ut proclivitas ad peccatum in ſingulis reſidet etiam juſtis, ſed quæ ipſa peccatum non eſt. Denique peccatum dicit Apoſtolus nos circumſtans, ut ſignificet concupiſcentiam, quæ veluti murus nos cingit, viam virtutis obſtruens.

Objiciunt autoritatem S. Auguſtini lib. 1. de nuptiis & concupiſc. cap. 25. ſic loquentis: *Si autem quæritur quomodo iſta concupiſcentia carnis maneat in regenerato, in quo univerſorum facta eſt remiſſio peccatorum .... ad hæc reſpondetur dimitti concupiſcentiam carnis in baptiſmo non ut non ſit, ſed ut in peccatum non imputetur*. Id eſt, inquiunt, non ut non ſit peccatum, ſed ut ob illud reatus non damnetur: ergo cenſuit S. Auguſt. concupiſcentiam eſſe peccatum.

At nos mirari ſatis non poſſumus hæreticorum audaciam, qui hoc Sancti Auguſtini teſtimonium in ſui ſyſtematis præſidium proferre non verentur, eo quippe non puto quidquam expreſſius deſiderari poſſe ad aſſerendam hac in parte fidem Catholicam; docet enim concupiſcentiam dimitti in baptiſmo, *non ut non ſit; ut in peccatum non imputetur*, id eſt, ut non remaneat in baptizato quoad reatum, quoad culpam, ut reatus ipſi conjunctus vere ſolvatur, quemadmodum ex verbis immediate ſequentibus liquido conſtat, *quamvis autem reatu ſuo jam ſoluto manet tamen donec ſanetur &c.* Et poſtea cap. 26. *In eis ergo qui regenerantur in Chriſto, cum remiſſionem accipiunt prorſus omnium peccatorum, utique neceſſe eſt, ut reatus etiam hujus licet adhuc manentis concupiſcentiæ remittatur, ut in peccatum, ſicut dixi, non imputetur*. Igitur in mente Sancti Auguſtini concupiſcentia in regeneratis peccatum non eſt.

Inſtabis, ex S. Auguſtino ibidem, ſe habet reatus concupiſcentiæ ad concupiſcentiam, ſicut reatus adulterii ad actum adulterii: atqui actus adulterii nunquam eſt ſine reatu: ergo, concupiſcentia non eſt ſine reatu, ſine peccato, aut ipſa eſt concupiſcentia.

Diſt. maj. ſe habet quoad aliqua, C. quoad omnia, N. ſcilicet in eo ſtat illa comparatio in mente S. Auguſtini, quod concupiſcentiæ reatus diſtinguatur a concupiſcentia, ſicut reatus adulterii diſtinguitur ab actu adulterii, quod veriſſimum eſt: ſed in eo poſita non eſt comparatio quod ſit ſemper reatus concupiſcentiæ in eo in quo eſt concupiſcentia; ſicut in eo reatus eſt adulterii, in quo eſt adulterium, id facile intelligitur ex ſola verborum lectione. *Nam ſicut eorum peccatorum, quæ manere non poſſunt; quoniam cum fiunt, prætereunt, reatus tamen manet, & niſi remittatur, in æternum tamen manebit: ſic illius* (concupiſcentiæ) *quando remittitur, reatus aufertur. Hoc eſt enim non habere peccatum, reum non eſſe peccati. Nam ſi quiſquam v. g. fecerit adulterium, etiamſi nunquam deinceps faciat, reus eſt adulterii, donec reatus ipſius indulgentia re-*

L 2 mit-

mittatur . . . Manent ergo , niſi remittantur ; ſed quomodo manent ſi præterita ſunt , niſi quia præterierunt actu , manent reatu ? Sic itaque fieri e contrario poteſt ? ut etiam maneat illud actu , prætereat reatu . Scilicet dedita opera hic conatur oſtendere S. Auguſtinus in baptizatis concupiſcentiam manere actu & præterire reatu , ut patet ex poſtremis verbis; cenſet aliunde eum proprie non habere peccatum qui non eſt reus peccati , *hoc eſt enim* , inquit , *non habere peccatum , reum non eſſe peccati* . Nec adhibet præfatam comparationem ex adulterio petitam , niſi ut oſtendat reatum ab actu ſeparari ; perperam igitur hunc locum objiciunt hæretici .

Quin potius alia eſt omnino conditio reatus concupiſcentiæ ; & reatus adulterii : reatus concupiſcentiæ non ille eſt quem efficit concupiſcentia , ſed a quo potius efficitur concupiſcentia ; reatus autem adulterii ille eſt quem ipſum efficit adulterium : quapropter hoc ipſo quo quis eſt adulter , fit reus , non item hoc ipſo quo quis habet concupiſcentiam , reus fit , alioquin & poſt baptiſmum in culpa forent homines .

Neque ad præſentis difficultatis intelligentiam neceſſaria eſt anxia diſputatio, an S. Auguſt. præter reatum pœnæ , alium agnoverit reatum culpæ; tametſi enim peccati omnis reatus generatim conſiſteret in dubio pœnæ, non idcirco concupiſcentia formaliter habenda eſſet originale peccatum ; plane enim differret iſte reatus pœnæ a concupiſcentia , de illo enim non ſecus ac de reatu culpæ quivis ratiocinari poſſet , & dicere ſoluto reatu pœnæ manere concupiſcentiam , non ſecus ac ſoluto reatu culpæ dicimus eandem ſupereſſe .

Inſtar vero Kemnitius in examine Seſſ. 5. Concil. Trident. Cum Auguſt. antea diſputaſſet concupiſcentiam in renatis non eſſe peccatum , ſed tantum pœnam peccati ; atque hanc illius doctrinam corripuiſſet Julianus , eam aperte retractavit Auguſt. lib. 5. contra Julcap. 3. reſpondens fieri poſſe , ut unum & idem peccatum ſimul ſit & pœna peccati , qualis eſt v.g. mentis cæcitas : *Et ſicut cæcitas cordis* , inquit , *quam ſolus removet illuminator Deus , peccatum eſt quo in Deum non creditur ; pœna peccati qua cor ſuperbum digna animadverſione punitur , & cauſa peccati , cum mali aliquid cæci cordis errore committitur : ita concupiſcentia carnis , adverſus quam bonus concupiſcit ſpiritus , & peccatum eſt , quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis ; & pœna peccati eſt , quia reddita eſt meritis inobedientis : & cauſa peccati eſt defectione conſentientis , vel contagione naſcentis* . Ergo cenſuit Auguſtin. concupiſcentiam per ſe formaliter eſſe peccatum .

Neg. ant. & dico S. Auguſt. nuſpiam retractaſſe quod dixerat l. 1. de Nuptiis, concupiſcentiam de ſe formaliter non eſſe peccatum . Scilicet quæſtio erat S. Auguſtinum inter & Julianum , an concupiſcentia ſit mala , ut volebat Auguſtinus , eo videlicet ſenſu quod ſit cauſa peccati ; vel utrum ſit bona & laudabilis , ut contendebat Julianus , idque potiſſimum ex eo quod dixerat Auguſtinus illam eſſe pœnam peccati ; ſic enim argumentabatur Julianus ; dicis concupiſcentiam eſſe pœnam peccati : ſed pœna peccati non eſt peccatum ; eſt enim a Deo qui ejuſmodi pœnam infligit : ergo concupiſcentia non eſt mala , nec ullo ſenſu dici debet peccatum .

Huic argumento poterat quidem reſpondere S. Auguſtinus , inde ſolum colligi poſſe concupiſcentiam , quæ pœna eſt peccati , non eſſe peccatum proprie per ſe & formaliter ſeorſim a conſenſu voluntatis ; quod frequentiſſime declaraverat in aliis locis ; ſed quia videt manifeſte falſum eſſe pœnam peccati non eſſe peccatum, quia multa peccata quæ committuntur ab hominibus , ſunt pœnæ præcedentium , id unum oſtendere cona-

conatur & Scripturis & variis exemplis unum & idem aliquando pœnam peccati ſimul eſſe & peccatum. Sed non idcirco retractat quod dixerat lib. 1. de Nuptiis, concupiſcentiam non eſſe peccatum; quin potius pergit loco citato contra Julianum eandem tradere doctrinam de concupiſcentia, docere videlicet eam eſſe malam non laudabilem, tametſi pœna ſit peccati; imo eam eſſe peccatum ſi accedat voluntatis conſenſus, *& peccatum eſt*, inquit, *quia ineſt illi inobedientia contra dominium meritis*. Ubi, cum dicat ideo concupiſcentiam eſſe peccatum, quia dominatur menti, non ſubjicitur menti, hoc eſt, rectæ rationi, certe ſupponit illam non eſſe peccatum, quando non adeſt voluntatis conſenſus.

Objicies: Quod divinæ legi contrarium eſt, quod eſt quiddam a lege Dei deſciſcens, peccatum eſt: atqui concupiſcentia prout nempe integra eſt naturæ noſtræ corruptio, divinæ legi contraria eſt, tunc enim juſtitia caret: ergo peccatum eſt ſaltem originis, hic etenim defectus generatione contrahitur.

Diſt. min. Concupiſcentia repugnat divinæ legi tanquam defectus, tanquam morbus & languor, C. tanquam peccatum & culpa, N. vel ut dicunt alii, repugnat legi effective, quatenus ſæpe ſæpius eſt cauſa peccati, C. formaliter quaſi ſit ipſa per ſe peccatum, N. ſiquidem perfectio integræ juſtitiæ, cui opponitur concupiſcentia, non eſt in ſe præcepta; tum vero, ut & peccata vitemus in hac vita, non eſt nobis neceſſaria hæc juſtitia integra, ſed gratia illa ſufficit, qua natura noſtra ad agendum perficitur & roboratur.

Hanc porro Hæreticorum ſententiam non tradidit Hugo de S. Victore, cum Summæ Sentent. Tract. 3. cap. 11. ſic habet: *His itaque omnibus dici poteſt quod originale peccatum eſt concupiſcentia mali & ignorantia boni*. Id quippe nonniſi Catholice dictum paulo poſt ſignificat his verbis: *Item opponitur, in baptiſmo remittitur peccatum originale, ſed poſt baptiſmum remanet concupiſcentia mali . . . ſed ut dicit Auguſtinus, licet remaneat concupiſcentia poſt baptiſmum, non tamen ad reatum, quia his qui renati ſunt non imputatur, ſed hoc eſt remitti peccatum originale, non imputari*. Et lib. 1. de Sacramentis caput 16. *Per baptiſmum reatus dimittitur, pœna autem pro peccato inflicta non tollitur*. In quem ſenſum ait Magiſter Sentent. lib. 2. diſt. 31. concupiſcentiam eſſe peccatum.

An Peccatum originale ſit prava & morbida quadam qualitas.

Docent nonnulli vel antiquiores Scholaſtici eſſentiam peccati originalis poſitam eſſe in prava quadam, &, ut aiunt, morbida qualitate quæ fit ex infectione carnis ad animam ipſam derivata; ſcilicet dicunt per peccatum corpus primi hominis fuiſſe infectum: *Caro autem ſic infecta*, inquit Henricus a Gandavo lib. 2. quæſt. 11. *cum virtute ſua ſemen informare debuit ad procreationem prolis, morbidam qualitatem ſuam ei impreſſit, quæ ſemper in ea remanſit. Cumque complete diſpoſitum eſſet & organizatum ad animam rationalem & ei infundebatur, ex ipſius animæ rationalis connexione cum tali carne in ipſa ſtatim pronitatem ad conſentiendum carni in peccatum concepit, qua parvulus ſtatim aptus erat ad concupiſcendum, & factus adultus actu concupiſcit, & talis diſpoſitio pronitatis ad peccatum nonniſi culpa eſt, in ea enim conſiſtit ratio formalis omnis culpæ tam actualis quam originalis*. Idem docet Gabriel q. 2. art. 1. & 2.

Eandem vitioſam qualitatem admittit Gregorius Ariminenſis in 2. diſt. 30. q. 2. art. 1. eamque ait in carne Adami ortam eſſe a cibo vetito tanquam ab aliquo veneno, vel potius ab ipſo afflatu venenoſo ſerpentis, ſub cujus forma

Digitized by Google

ma Diabolus primos parentes tentavit.

Quin & iſta opinio a nonnullis tribuitur Magiſtro Sententiarum, qui nempe lib. 2. diſt. 31. docet peccatum originale non ſecundum animam, ſed ſecundum carnem ſolam, trahi a parentibus; ita ut per corruptionem carnis in animam tranſeat. Verum meo quidem judicio iſtam aliorum Theologorum opinionem non tradiderat Lombardus, non videtur enim per illam corruptionem originalem aliud quid intelligere quam concupiſcentiam, quæ, quoniam ad mala & illicita deſideria hominem excitat, morbidus dicitur affectus, lex membrorum vel carnis, & per carnem traduci, ſi ſermo ſit de modo quo propagatur a patribus in filios, quatenus hoc ipſo quod anima infunditur carni, ipſa contrahit peccatum originale; ſed non videtur exiſtimaſſe idcirco animam ex carne maculari peccato, quod ex ipſa carne in animam derivata ſit morbida quædam qualitas & affectio; quapropter in aliorum ſententiam ſuperius expoſitam ſit.

Conclusio.

In hujuſmodi qualitate morbida ſita non eſt peccati originalis eſſentia.

Primo, quia ſine ullo plane fundamento admittitur ejuſmodi qualitas; ejus, inquam, nullum extat fundamentum vel in Scripturis vel in SS. PP. Quod enim præfati autores hanc ſuam ſtabiliunt opinionem autoritate S. Aug. l. 1. de Nupt. & concup. c. 25. hæc ſcribentis, *Non enim ſubſtantialiter manet* peccatum originale, *ſicut aliquod corpus, aut ſpiritus, ſed affectio eſt quædam malæ qualitatis ſicut languor.* Graviter ſane hallucinantur, per hanc enim malam qualitatem intellexit Auguſtinus concupiſcentiam, quam putat remanere in baptizatis ut morbum & languorem, non ut peccatum; quemadmodum fuse a nobis oſtenſum eſt præcedenti diſputatione.

Secundo, quia vix illa ſententia explicari, vix intelligi poteſt; ſcilicet explicari non poteſt quomodo ejuſmodi qualitas per peccatum Adami producta fuerit in ejus ſemine & carne, & inde alia derivata fuerit in ejus animam; vel enim id factum eſt naturaliter, quaſi peccatum Adami vim hanc naturalem habuerit; vel ſupernaturaliter, quaſi ex ſola Dei voluntate factum fuerit; atqui neutrum dici poteſt: non primum, alioquin omne peccatum vim eandem haberet in omnibus hominibus; cum præterea edere de ligno vetito de ſe non poſſit & ex natura ſua id præſtare: non ſecundum, quia Deus ſolus in illa hypotheſi produceret ejuſmodi qualitatem morbidam, qui proinde ſolus foret autor peccati originalis, quod valde abſurdum eſt: igitur &c.

Tertio, quia ad hæreticorum doctrinam mox confutatam proxime accedit iſthæc Theologorum opinio, qui nec Concilii Tridentini definientis, *id totum in baptiſmo tolli, quod habet veram ac propriam peccati rationem*, anathema effugere non poſſunt; manet enim poſt baptiſmum prava quædam proclivitas ad peccatum, quam dicunt hi autores morbida illa qualitate contineri: unde conſequenter negare coactus eſt Gregorius Arim. art. 4. eſſentiam ipſam peccati originalis tolli per baptiſmum; dicit vero tolli ipſus reatum, quæ ſententia tolerari non poteſt: ſi enim tollitur id totum, quod habet veram ac propriam peccati rationem, tollatur certe peccati originalis eſſentia neceſſe eſt.

Quarto demum, quia, tametſi ſupponeremus qualitatem illam morbidam in carne Adami per primum peccatum productam, & aliam inde in ejus animam fuiſſe derivatam; ejuſmodi qualitas ad ſummum eſſet peccati effectus, non pecatum; quo quidem argumento utimur ad refellendam eorum opinionem, qui dicunt eſſentiam peccati originalis

poſi-

Digitized by Google

poſitam eſſe in concupiſcentia. Hæc enim non poteſt aliud quicquam eſſe quam effectus peccati, cum ſit veluti morbus & languor poſt peccatum commiſſum reſiduus, quod idem plane ſentias de qualitate morbida.

Nec moror quod nonnunquam dicat S. Auguſtinus, ut lib. 5. contra Jul. cap. 3. peccatum originale a patribus in filios propagari, quatenus anima in corpore tanquam in vitiato vaſe corrumpitur; quaſi videlicet inde agnoſcat contagium hujuſce qualitatis morbidæ ex carne in animam ſeſe diffundentis; ſic enim locutus eſt Sanctus Doctor, non quia exiſtimabat ex carne qualitatem in animam derivari, ſed ut ſignificet animam, ſtatim atque unitur corpori, contrahere peccatum originale.

An Peccatum originale ſit concupiſcentia quoad materiale, & reatus quoad formale.

Eſt iſta ſententia plurimorum Theologorum qui in eam deſcendiſſe videntur, ducti potiſſimum auctoritate S. Thomæ, qui quidem, ut putant, mentem & doctrinam S. Auguſtini hac in parte ſecutus eſt.

Hanc fuiſſe S. Thomæ ſententiam negare non poſſumus, nam 1. 2. qu. 82. art. 3. quæſtione propoſita, *Utrum originale peccatum ſit concupiſcentia*, reſpondet, peccatum originale materialiter eſſe concupiſcentiam, formaliter vero defectum juſtitiæ originalis. *Oppoſitorum*, inquit, *oppoſitæ ſunt cauſæ; eſt igitur attendenda cauſa originalis peccati ex cauſa originalis juſtitiæ quæ ei opponitur; tota autem ordinatio originalis juſtitiæ ex hoc eſt, quod voluntas hominis erat Deo ſubjecta, quæ quidem ſubjectio primo & principaliter erat per voluntatem, cujus eſt movere omnes alias partes in finem, ut ſupra dictum eſt. Unde ex averſione voluntatis a Deo conſecuta eſt inordinatio in omnibus aliis animæ viribus. Sic ergo privatio originalis juſtitiæ, per quam voluntas ſubdebatur Deo, eſt formale in peccato originali: omnis autem alia inordinatio virium animæ ſe habet in peccato originali ſicut quiddam materiale, inordinatio autem aliarum virium animæ præcipue in hoc attenditur, quod inordinate convertuntur ad bonum commutabile, quæ quidem inordinatio communi nomine poteſt dici concupiſcentia. Et ita peccatum originale materialiter quidem eſt concupiſcentia, formaliter vero eſt defectus originalis juſtitiæ.*

An vero hæc eadem fuerit S. Auguſtini ſententia de natura peccati originalis, & quo ſenſu in multis locis docuit peccatum originale eſſe concupiſcentiam non ſecundum ſe, ſed ratione reatus qui ſolvitur per baptiſmum manente concupiſcentia, mox ſumus examinaturi ſolvendo objectiones.

Jam redeo ad Scholaſticos qui hanc opinionem tenent de eſſentia peccati originalis. Cum enim prima fronte eo nomine rejicienda videatur, quod naturam & quidditatem peccati originalis explicat per concupiſcentiam & reatum, quæ quidem ambo manifeſte intelliguntur non habere rationem peccati, ſed tantum effectus peccati: mirum eſt profecto quot genera diſtinctionum & diviſionum adhibeant illi Theologi, ut hanc ſuam opinionem propugnare poſſint tanquam veriſſimam, hæc paucis ſigillatim tamen referemus, ut clarius inde pateſiat, eam merito nobis improbari ut minus accuratam.

Primum itaque duo diſtinguunt in peccato originali, materiale ſcilicet & formale, & dicunt concupiſcentiam quæ remanet etiam poſt baptiſmum eſſe materiale pecccati originalis, reatum vero qui ſolvitur, qui deletur in baptiſmo, eſſe formale peccati.

Quærunt deinde quid ſit hæc concupiſcentia, & quanam ratione intelligendum eam dici materiale originalis peccati.

cati. Atque adeo obſervant aliquid dici poſſe materiale peccati duobus modis, 1. quia eſt ſubjectum deformitatis, quæ eſt ratio formalis peccati, quemadmodum in pecato actuali actio phyſica ejus materiale dicitur. 2. Quia eſt aliquid conſequens ad rationem formalem peccati tanquam materialis effectus ejus, & hoc modo actus exterior dicitur eſſe materiale reſpectu interioris.

Obſervant inſuper concupiſcentiam ſumi poſſe duobus modis. 1. Strictius pro inordinatione membrorum corporis vel ipſius animæ, qua vitioſe propenſa ſunt ad voluptates carnis quæ ex tactu percipiuntur. 2. Latius pro qualibet inordinatione virium animæ qua propellimur ad peccatum, ſeu peccati deſiderium.

His præmiſſis, concupiſcentiam dicunt eſſe materiale peccati originalis, ſi nempe latius ſumatur concupiſcentia; quia, inquiunt, & S. Auguſtinus & S. Thomas ſic illam acipiunt pro quadam inordinatione, qua vires animæ averſa a Deo voluntate convertuntur ad bonum commutabile. Addunt vero concupiſcentiam non eſſe materiale peccati, ſi materiale peccati accipiatur priori ſenſu pro ſubjecto deformitatis; quia formale peccati originalis non eſt in concupiſcentia, ſed in eſſentia animæ cui juſtitia originalis inhærebat; rectius vero ſi materiale peccati ſumatur poſteriori modo; quia, inquint, concupiſcentia ſe habet ad formale peccati originalis, quod nihil eſt aliud quam averſio voluntatis a Deo, ſicut materialis effectus conſequens; ex eo quod enim inordinata ſit voluntas per averſionem a Deo cui ſubjici debeat, inordinationes aliæ conſequuntur tum voluntatis, tum appetitus ſenſitivi per converſionem ad bonum commutabile. Hactenus de concupiſcentia quæ ab iſtis Theologis dicitur materiale peccati originalis.

Sic vero differunt de reatu, quem dicunt formale peccati originalis: nomine reatus, inquiunt, duo poſſunt intelligi; primum obligatio ad pœnam, quæ quidem conſequens eſt ad peccatum ſeu reatum culpæ: ſecundum ipſamet culpa nondum remiſſa, quæ fundamentum eſt ejuſmodi obligationis ad pœnam.

At cum inquirunt in quo reatu conſiſtat formaliter peccatum originale, non una eorum eſt ſuper ea re opinio; multi enim contendunt reatum in quo poſitum eſt formale peccati originalis, eſſe reatum pœnæ ſeu debitum mortis æternæ; volunt plerique alii reatum eſſe culpæ. Ubi acriter inter ſe diſputant de mente S. Auguſtini, an videlicet per illum reatum, de quo tam frequenter loquitur, reatum pœnæ intelligat, an vero reatum culpæ.

Dato vero quod reatus ille, in quo conſiſtit formaliter peccatum originale, ſit reatus culpæ, gravis iterum inter eos naſcitur contentio, quid ſit ejuſmodi reatus culpæ; atque, ut video, qui ex illis Theologis peritiſſimi habentur, docent hunc reatum culpæ formaliter conſiſtere in privatione juſtitiæ originalis, quantum videlicet ad primarium ejus effectum. Quod quidem ut facilius intelligatur;

Obſervant primum Adamo ut totius generis humani capiti datam fuiſſe juſtitiam originalem, quam in cæteros homines transfudiſſet, ſi mandatum Dei non violaſſet.

Obſervant ſecundo juſtitiæ originalis varios fuiſſe effectus; primus erat ſubjicere ſeu habitualiter illam convertere ad finem ſuum ſupernaturalem per gratiam & caritatem. Secundus, vires inferiores appetitus ſenſitivi ſubjicere rationi. Tertius, totum animæ ſubdere, ita ut anima numquam per ægritudinem aut laſſitudinem corporis aliamve infirmitatem impediretur a ſuis operationibus obeundis.

Obſervant denique nomen peccati ſumi poſſe dupliciter. 1. pro ipſa actione libera, qua fit legis transgreſſio. 2. pro

eo

Digitized by Google

eo quod remanet in anima peccatoris, poſtquam commiſſum eſt peccatum, quando nondum remiſſum eſt. His poſitis,

Certum eſt primo, inquiunt, peccati originalis reatum non eſſem ipſam Adami tranſgreſſionem actualem, quia nempe in ejuſmodi ſententia vero & proprie dicto peccato non inficeretur homines, ſed per ſolam denominationem extrinſecam dicerentur peccatores, quod manifeſte adverſatur doctrinæ Concilii Tridentini.

Certum eſt ſecundo, peccatum originale non eſſe privationem juſtitiæ originalis adæquate ſpectatæ & quatenus fundit ſimul tres præfatos effectus; privatio enim tolli non poteſt, quin reſtituatur forma cujus eſt privatio: atqui in baptiſmo non reſtituitur juſtitia originalis ſecundum tres illius effectus enumeratos.

Quamobrem dicunt reatum culpæ ſeu peccatum originale formaliter conſiſtere in privatione juſtitiæ originalis, quantum ad primarium ejus effectum, quo nempe juſtitia originalis hominem deberet ſubjicere Deo per gratiam & charitatem. Siquidem, inquiunt illi, privatio juſtitiæ originalis quoad primarium ejuſmodi effectum primo & per ſe tollitur in baptiſmo.

Et hæc eſt ſententia quam fuse ſatis explicatam animus eſt nunc impugnare; idque ad majorem rei elucidationem aſſertione duplici.

Prima Conclusio.

Minus proprie, minus accurate dicitur peccatum originale eſſe concupiſcentiam quoad materiale peccati.

Siquidem illud minus proprie dicitur peccatum originale quoad materiale, quod eſt effectus conſequens peccatum originale; quicquid enim loco materialis eſt in qualibet re, hoc non poteſt eſſe re illa poſterius, & conſequenter ejus effectus: atqui concupiſcentia eſt effectus peccati originalis; tum quia ab omnibus Theologis poſt S. Auguſtinum deſignatur ut morbus quidam & languor a peccato originali productus; tum quia, ut ſupra oſtendimus, ita peccati pœna eſt, ut ipſa non ſit peccatum, quo fit ut remaneat in baptizatis ſoluto reatu: igitur concupiſcentia effectus eſt peccati originalis, adeoque dici non poteſt materiale peccati originalis.

Scio quidem fateri adverſarios concupiſcentiam eſſe effectum peccati originalis, & ab illis non dici materiale hujuſce peccati, niſi quatenus eſt aliquid conſequens ad rationem formalem peccati; quemadmodum in peccato actuali actus exterior loco materialis eſt reſpectu interioris, licet exterior ſit interioris effectus. Verum in hoc etiam minus accurate loquuntur, a nemine enim dici poteſt rei cujuſpiam effectum ab ea veluti rivum a fonte ſcaturientem, in ejus eſſentia conſtituenda loco materialis eſſe.

Nec juvat exemplum quod ab iſtis Theologis uſurpatur, nam materiale actus interioris mali non eſt actus exterior, ſed voluntatis actio phyſica, quæ veluti præmittitur ac ſubjicitur privationi rectitudinis debitæ, in qua privatione dicemus poſtea poſitum eſſe formale peccati; ſic, inquam, & a Philoſophis & a Theologis explicari ſolent materiale & formale peccati actualis.

Ratio eſt inſuper, quia ejuſmodi ſententia pugnat cum Scripturis & Conciliis, ex quibus colligitur nihil peccati remanere in baptizatis. Apoſtolus quidem id ſcribit ad Rom. cap. 8. 1. *nihil ergo nunc damnationis eſt in iis qui ſunt in Chriſto Jeſu*. Et Concilium Trid. ſeſſ. 5. can. 5. *Si quis per Jeſu-Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, anathema ſit*. Atqui certum eſt concupiſcentiam remanere in baptizatis.

zatis: ergo in iſta ſententia aliquid peccati remanet in baptizatis; proindeque vix conſentire poteſt cum Apoſtoli & Concilii Tridentini doctrina.

Reſpondent adverſarii remanere quidem concupiſcentiam in baptizatis de ſe quatenus concupiſcentia eſt; ſed eatenus non habere rationem peccati, quæ nimirum peccatum non eſt niſi quoad reatum. Sed contra, in iſta ſententia per baptiſmum tollitur ſolum reatus peccati, ſeu formale, non tollitur concupiſcentia ſeu materiale: atqui vix iſtud conciliari poteſt cum iſto Synodi Tridentinæ canone, quo definitur totum id, quod veram peccati rationem habet, deleri per baptiſmum; nemo enim dixerit totum rei cujuſpiam tolli & deleri, quando manet ejus materiale. Non video itaque quo tandem pacto dici poſſit ejuſmodi ſententiam non pugnare cum Scripturis & Concilio Tridentino.

Objicies: non videtur Theologus poſſe vel latum unguem ſuper hoc negotio diſcedere a ſententia S. Auguſtini: atqui veriſſimum eſt docuiſſe Auguſtinum peccatum originale eſſe concupiſcentiam, hoc enim ubique paſſim declarat in libris adverſus Pelagianos exaratis, ut v. g. lib. 1. de Nupt. & Concup. cap. 25. *Ad hæc reſpondetur dimitti concupiſcentiam carnis in baptiſmo, non ut non ſit, ſed ut in peccatum non imputetur. Quamvis autem reatu ſuo jam ſoluto, manet tamen donec ſanetur omnis infirmitas noſtra.* Ubi nempe concupiſcentia ſtabilitur tanquam materiale peccati, & reatus tanquam formale. Lib. 2. contra Jul. cap. 10. *Non eſt hoc malum nuptiarum, ſed primorum hominum peccatum in poſteros propagatione trajectum.* Lib. 3. cap. 21. de eadem concupiſcentia differens, *Malum originale dixi, cujus motibus mecum repugnas, & cujus contra me laudibus pugnas. Non eſt malum quod natus es, ſed cum quo natus es & contra quod ſpiritualiter dimicas quia renatus es. Quod natus es, pertinet ad Dei conditionem & parentum fœcunditatem, contra quod autem dimicas, quia renatus es, pertinet ad prævaricationem.* Lib. 6. cap. 15. *Tale porro ac tam magnum malum tantum quia ineſt, quomodo non teneret in morte & pertraheret in ultimam mortem, niſi & ejus vinculum in illa quæ fit in baptiſmo remiſſione peccatorum omnium ſolveretur?* Cujuſmodi teſtimonia plane innumera proferri poſſent: ergo revera peccatum originale eſt concupiſcentia ſaltem quoad materiale.

Diſt. min. peccatum originale eſſe concupiſcentiam, ſumendo peccatum late & improprie, C. ſumendo nomen peccati proprie, N. non diffitemur S. Auguſtin. quibuſdam in locis affirmare concupiſcentiam eſſe peccatum, ſed certo certius eſt illum ſumere peccatum late & improprie, vel quatenus eſt effectus peccati, vel quatenus eſt cauſa excitans ad peccatum, vel quia aliquando conjuncta eſt cum peccato, non autem proprie & ſtricte ad ſenſum quo inquiritur a Scholaſticis, in quo præciſe poſita ſit natura peccati originalis, & qoid preciſe & accurate loquendo ſit materiale, & formale, genus & differentia peccati originalis, id colligimus.

Primo, quia frequentiſſime docet S. Auguſtinus concupiſcentiam remanere in nobis poſt peccatum originale remiſſum & deletum, lib. 2. de peccatorum meritis cap. 4. *Concupiſcentia*, inquit, *tanquam lex peccati manens in membris corporis mortis hujus, cum parvulis naſcitur, in parvulis baptizatis a reatu ſolvitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nulla damnatione perſequitur, parvulos non baptizatos reos innectit, & tanquam iræ filios, etiamſi parvuli moriantur, ad condemnationem trahit. In grandibus autem baptizatis, in quibus jam ratione utentibus quidquid eidem concupiſcentiæ mens ad peccandum conſentit, propriæ voluntatis eſt, deletis pec-*

peccatis omnibus, *ſoluto etiam reatu quo vinclos originaliter detinebat*, *ad agonem interim manet*, *non ſibi ad illicita conſentientibus nihil omnino nocitura*, *donec abſorbeatur mors in victoriam*. Ubi, cum dicit concupiſcentiam parvulos non baptizatos reos innectere & ad condemnationem trahere, id intelligit ratione peccati originalis, quod ſibi adjunctum habet concupiſcentia in iis qui nondum baptizati ſunt, non autem eo ſenſu quod ipſa per ſe proprie ſit illud peccatum originale quod reos tenet homines ante peccatum: eodem modo enim loquitur de eadem concupiſcentia quæ remanet in baptizatis; ait nempe illam ad illicita non conſentientibus nihil omnino nocituram, ſed ſibi conſentientes ad illicita reos tenere, *conſentientes autem ſibi ad illicita reos tenet*, *& niſi per medicinam pœnitentiæ ... ad ſecundam mortem damnationemque perducit*. At certe non putavit Auguſtinus, concupiſcentiam per ſe reos facere baptizatos, & ad mortem æternam perducere; ſeu ſolummodo quatenus in illis hominibus ad illicita conſentientibus conjuncta eſt cum peccato actuali: ergo mirum videri non debet, ſi dicat Sanctus Doctor concupiſcentiam reos tenere parvulos non baptizatos, id videlicet intelligit de concupiſcentia quatenus cum peccato originali conjuncta, non autem per ſe ipſam quaſi ſit ipſius peccati originalis materiale, neque enim loco materialis eſt in peccato actuali.

Secundo id ex eo colligitur quod rationem reddens S. Auguſtinus cur ipſe concupiſcentiam vocet aliquando peccatum, expreſſe teſtatur id ſe de peccato late & improprie intelligere, lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. ubi loquens de ignorantia, & concupiſcentia ſic habet: *Ideo dicuntur peccata quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt*, *illud enim præcedens meruit iſta ſequentia*. *Nam ſicut linguam dicimus non ſolum membrum quod movemus in ore dum loquimur*, *ſed etiam illud quod hujus membri motum conſequitur*, *id eſt formam tenoremque verborum*, *ſecundum quem modum dicitur alia lingua Græca*, *alia Latina*, *ſic non ſolum peccatum illud dicimus*, *quod proprie vocatur peccatum*, *libera enim voluntate & ab ſciente committitur*, *ſed etiam illud quod jam de hujus ſupplicio conſequatur neceſſe eſt*.

Lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 23. *Sic autem*, inquit, *vocatur peccatum*, *quia peccato facta eſt*, *cum jam in regeneratis non ſit ipſa peccatum*, *ſicut vocatur lingua locutio quam facit lingua*, *& manus vocatur ſcriptura*, *quam facit manus*. *Itemque ſic vocatur peccatum*, *quia peccatum ſi vincit facit*, *ſicut vocatur frigus pigrum*, *non quod a pigris fiat*, *ſed quod pigros faciat*.

Et iterum lib. 2. contra Jul. cap 9. *quamvis jam non eo modo appelletur peccatum*, *quo facit reum*, *ſed quod ſit reatu primi hominis factum*, *& quod rebellando nos trahere nititur ad reatum*.

Denique l. 1. Retract. c. 15. *Hoc peccatum*, *de quo ſic locutus Apoſtolus*, *ideo peccatum vocatur*, *quia peccato factum eſt & pœna peccati eſt*.

At nemo dixerit exiſtimaſſe S. Aug. peccatum originale non eſſe proprie & vere peccatum; quandoquidem ubique contra Pelagianos contendit expreſſe nos propter peccatum Adæ non tantum pęnæ effectos fuiſſe obnoxios, ſed veri & proprie dicti peccati reos: ergo non cenſuit concupiſcentiam proprie loquendo eſſe peccatum originale.

Cum porro dicunt Theologi hujus opinionis, quam impugnamus, aſſertores, ſcripta S. Auguſtini adverſus Pelagianos plena eſſe iſtiuſmodi teſtimoniis, profecto hac in parte hallucinantur, ut ſatis exploratum eſſe poteſt ex præfatis locis quæ proponunt; in his enim & aliis ſimilibus concupiſcentiam appellat Auguſtinus malum originis, malum nuptiarum, magnum malum, raro vero

ac infrequenter peccatum; aut ſi quando vocat illam peccatum, utitur ſemper aliqua reſtrictione. Et ratio eſt quia, ut jam a nobis obſervatum eſt, id unum contendit Sanctus Doctor adverſus Pelagianos, concupiſcentiam in qua naſcuntur homines, & quæ in iis remanet poſt ſuſceptum baptiſma, non eſſe bonam ſed malam, non proprietatem ſed vitium naturæ, malum originale, ſed non ipſum peccatum originale, niſi valde improprie; quomodo cauſa rei vel effectus res ipſa dici poteſt.

At, inquies, ſaltem ex adductis ſupra S. Auguſtini teſtimoniis ſequitur eum cenſuiſſe concupiſcentiam loco materialis eſſe in peccato originali, ita ut reatus ſit formale ejuſdem peccati; tametſi enim profiteatur illam per ſe & ſecundum ſe non eſſe peccatum, docet nihilominus illam eſſe peccatum adjuncto reatu, nondum per baptiſma ſoluto reatu. *Concupiſcentia carnis*, inquit lib. 5. contra Jul. cap. 3. *& peccatum eſt, quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati eſt, quia reddita eſt meritis inobedientis, & cauſa peccati eſt, defectione conſentientis, vel contagione naſcentis*.

Reſpondeo concupiſcentiam nec materiale peccati originalis proprie loquendo dici poſſe propter rationes ſuperius adductas, eoque majori cum cautione eliminanda videtur hæc adverſariorum ſententia, quod propius accedit ad hæreticorum doctrinam, qui pertendunt concupiſcentiam eſſe peccatum originale. Nec quidquam obeſt hic S. Auguſtini locus: ait enim concupiſcentiam peccatum eſſe propter adjunctum peccatum, adjunctam inobedientiam, cujus cauſa eſt, non autem per ſe intrinſece quaſi ſit pars eſſentialis, & materiale peccati.

Objicit Eſtius l. 2. diſt. 30. §. *Quamvis Patres Trid. Concilii definire noluerint, in utro potius conſtituenda ſit propria ratio peccati originalis, utrum in privatione juſtitiæ, an in concupiſcentia, per hoc tamen quod docent concupiſcentiam in renatis non eſſe peccatum ſeſſ. 5. can. 5. ſatis videntur ſignificaſſe eam eſſe peccatum in non renatis, idque bonum eſt argumentum a contrario ſenſu. Nam ibidem ſimiliter dicitur, quod in renatis nihil Deus odit. Unde bene ſequitur ex mente Concilii: ergo in non renatis aliquid odit. Ita ſequitur ex ejus mente, concupiſcentia in renatis non eſt peccatum: ergo in non renatis eſt peccatum*.

Reſpondeo nullius ponderis eſſe hoc Eſtii argumentum, cujus videlicet obliqua omnino & falſa eſt conſequentia; tametſi enim mens & doctrina Patrum Tridentinorum fuerit, concupiſcentiam in renatis non eſſe peccatum, neutiquam inde ſequitur eos exiſtimaſſe eamdem concupiſcentiam ante baptiſmum eſſe peccatum, per ſe ipſam ſcilicet & proprie loquendo. Certe ſi quid virium ſit in ejuſmodi conſequentia, ſic profecto licebit argumentari; certum eſt de fide concupiſcentiam in renatis non eſſe peccatum proprie dictum, juxta mentem & definitionem Conc. Tridentini; ergo certum eſt de fide, concupiſcentiam in non renatis eſſe peccatum originale; quam conſequentiam dubio procul ut falſam repudiabit Eſtius, qui teſtatur loco citato non definiſſe Patres Tridentinos, in utro potius conſtituenda ſit propria ratio peccati originalis, utrum in privatione juſtitiæ, an in concupiſcentia.

Quæ porro objicit idem Eſtius Scripturæ teſtimonia, quibus putat confici poſſe, peccatum originale eſſe concupiſcentiam, quia fere, quoties peccatum originale nobis inſinuant, non privationem, ſed poſitivum aliquid nominant; quale eſt iſtud v. g. ad Rom. 6. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus*, habes diluta ſuperius, cum Illyrici & aliorum hæreticorum de concupiſcentia opinionem confutavimus.

Sn-

SECUNDA CONCLUSIO.

Minus proprie, minus accurate dicitur formale peccati originalis eſſe reatum.

Ratio manifeſta eſt, quia Theologi qui docent rationem formalem peccati poſitam eſſe in reatu, vel id intelligunt de reatu culpæ, vel de reatu pœnæ: atqui neutrum dici poteſt; non primum, quia reatus culpæ prout a reatu pœnæ diſtinctus, eſt ipſa formaliter culpa; eſt ipſum formale peccati, quo quidem reatus vocabulo neutiquam explicari debet ratio formalis peccati; nemo enim dubitat, quin reatus culpæ ſit ratio formalis peccati, ſit id quo conſtituitur peccatum in ratione peccati; ſed quæſtio eſt quid ſit ille reatus, quænam ſit illa ratio formalis conſtitutiva culpæ, quamobrem qui ſibi propoſitæ quæſtioni, in quo conſiſtat formale peccati, reſpondet conſiſtere in reatu culpæ, clarius rem non explicat, quam ſi quærenti alteri, in quo conſiſtat eſſentia hominis, reſpondeat poſitam eſſe in humanitate, qua nempe homo eſt homo; nugatoria eſt igitur ejuſmodi aſſertio qua dicunt iſti Theologi, formale peccati originalis conſiſtere in reatu, ſi per reatum intelligant reatum culpæ; & aliunde putent ſe propoſitæ huic quæſtioni feciſſe ſatis.

Deinde nec ſecundum dici poteſt, nempe formale originalis peccati poſitum eſſe in reatu pœnæ; in eo quippe poſita non eſt ratio formalis conſtitutiva peccati originalis, quod eſt quid poſterius peccato originali: atqui reatus pœnæ eſt poſterior peccato: effectus enim eſt poſterior cauſa. Sed reatus pœnæ eſt effectus peccati, ſupponens peccatum a quo profluit; eſt quippe obligatio ad pœnam, qua quis luere debet pœnas: ſed ejuſmodi obligatio eſt effectus culpæ, non ipſa culpa; ſi enim dicantur parvuli mereri pœnam æternam, & pœnis æternis conſtricti atque obligati, recte quæritur cujus peccati ſint rei, & quodnam peccatum ſit illius obligationis cauſa: ergo reatus pœnæ eſt ad ſummum effectus peccati originalis, ſed non eſt ipſa ratio formalis peccati.

Objicies: fuit iſta dubio procul S. Auguſtini ſententia, qui, quoniam perſæpe repetit peccatum originale eſſe concupiſcentiam non ſecundum ſe, ſed ratione reatus, reatum putat eſſe rationem formalem peccati, materiale vero eſſe concupiſcentiam; iſta conſtant manifeſte ex omnibus teſtimoniis ſupra laudatis: igitur formale peccati originalis dici debet poſitum eſſe in reatu, ſiquidem ſententia S. Auguſtini hoc in negotio cæteris longe anteponenda eſt.

Reſpondeo veriſſimum eſſe quod ſæpius inculcat Auguſtinus, peccatum originale eſſe reatum quo tenentur parvuli antequam baptizentur, & qui ſolvitur in baptiſmo remanente ſemper concupiſcentia. Quin & puto etiam hunc reatum in mente S. Auguſtini eſſe reatum culpæ, ut plerique exiſtimant Theologi, & quemadmodum ſatis ipſe indicat, his verbis lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 26. *hoc enim non habere peccatum, reum non eſſe peccati*. Tum in lib. 1. retract. cap. 15. ubi reatum pœnæ aperte diſtinguit a reatu culpæ, quia vult ideo nos eſſe pœnæ obnoxios, quia reatu ſumus implicati. Sed dico S. Doctorem in ejuſmodi locis quæſtionem nunc agitatam in Scholis non attigiſſe, qua nimirum inquiritur, in quo præciſe poſita ſit ratio formalis ſpecifica peccati originalis, an ſit privatio juſtitiæ originalis, an ipſum Adæ peccatum &c. Id unum in votis habebat S. Auguſtin. ut Pelagianis oſtenderet non modo per peccatum Adæ cæteros homines variis pœnis fuiſſe obſtrictos, ſed & veri peccati reos, verum culpæ reatum traxiſſe; quo fit ut toties peccatum originale appellet reatum: quoniam vero iterum difficultas eſt, quid ſit ille reatus, hocque vocabulo, ut mox dicebamus, non

non ſatis explicatur natura & eſſentia peccati originalis, alia demum nobis expendenda eſt ſententia.

Eodem fere modo eandem difficultatem ſolvit Bellarminus lib. 5. de ſtatu peccati cap. 20. hac quippe ſibi propoſita objectione, *Auguſtinus pluribus in locis docet nihil niſi reatum poſt actionem peccati remanere;* reſpondet *ſolum voluiſſe ex reatu tanquam effectu notiſſimo peccati inferre peccatum: non multum ſollicitus differere, in quo ſita eſſet formalis ratio peccati: loquitur autem contra Pelagianos arbitrantes non naſci parvulos a Deo averſos ac iniquos.*

Cæterum intactam relinquere hic non poſſumus Vaſqueſii temeritatem, qui in 1. 2. diſput. 132. cap. 3. auſus eſt ſcribere, ſic demum de reatu peccati originalis diſſeruiſſe S. Auguſtinum, ut ejus opinio Theologis Scholaſticis merito non probetur, *ex qua*, inquit, *cogimur incidere in ſententiam Pelagii*. Eſt enim ab omni ratione alienum ſi quis vel leviter ſuſpicetur huic S. Doctori quicquam excidiſſe, quod Pelagianorum erroribus nonnihil favere poſſit.

An Peccatum originale conſiſtat in privatione juſtitiæ originalis.

DOcent plerique Theologi naturam peccati originalis poſitam eſſe in privatione; vel, ut alii dicunt, in jactura aut ſubſtractione juſtitiæ originalis. Hujus ſententiæ parens videtur eſſe S. Anſelmus, qui lib. de Conceptu virginali & originali peccato ſcribit, peccatum originale eſſe injuſtitiam, quæ nihil eſt aliud quam carentia juſtitiæ originalis, id habetur cap. 2. & 3. clarius vero cap. 27. his verbis: *Hoc peccatum quod originale dico, aliud intelligere nequeo in eiſdem infantibus, niſi ipſam, quam ſupra poſui, factam per inobedientiam Adæ juſtitiæ debitæ nuditatem: per quam omnes filii ſunt iræ, quoniam & naturam accuſat ſpontanea, quam fecit in Adam, juſtitiæ deſertio.*

Eorum vero, qui S. Anſelmi ſententiam hac in parte ſecuti ſunt, varia & diverſa eſt rem explicandi ratio. Sunt enim qui privationem juſtitiæ originalis loco formalis tantum peccati originalis eſſe volunt, aliunde vero docent ejuſdem peccati materiale eſſe concupiſcentiam. Alii vero cenſent totam peccati originalis naturam in illa juſtitiæ originalis privatione poſitam eſſe. Sunt qui dicunt privationem juſtitiæ originalis minus proprie appellari peccatum originale, rectius vero dici jacturam vel ſubſtractionem juſtitiæ originalis, quia optime concipitur hominem ſine peccato ullo naſci privatum qualibet juſtitia originali: alii vero omiſſa ejuſmodi ſubtilitate pronuntiant ſimpliciter peccati originalis eſſentiam in carentia & privatione juſtitiæ originalis conſiſtere: addunt alii in privatione juſtitiæ originalis debitæ.

Inſuper ſunt qui abſolute loquendo profitentur formale peccati originalis eſſe reatum culpæ; per illum vero reatum intelligunt privationem juſtitiæ originalis: alii contra dicunt carentiam juſtitiæ originalis loco eſſe materialis in peccato originali, cujus formale eſt indignitas quædam orta ex peccato Adæ, qua nempe indigni ſunt homines gratia & amicitia Dei, ipſiſque debetur mors æterna.

Denique nec una eſt eademque illorum Theologorum ſententia de ejuſmodi privatione juſtitiæ originalis, ſicut nec de ipſa juſtitia cujus privatio peccatum eſt. Quidam enim dicunt juſtitiam originalem a gratia diſtingui, & naturaliter tantum hominem cum Deo conjungere. Alii vero nomine juſtitiæ originalis non alium intelligunt habitum quam gratiam gratum facientem. Sunt qui dicunt peccatum originale in ſingulis parvulis eſſe privationem non domi cujuſdam habitualis, ſed ſubjectionis & con-

conjunctionis cum Deo, in qua naſcerentur, ſi Adamus non peccaſſet. Alii vero expreſſe profitentur juſtitiam originalem fuiſſe donum habituale primitus datum homini, in cujus carentia conſiſtit peccatum originale.

Obſervant iterum iſti Theologi, tres fuiſſe, ut jam diximus, juſtitiæ originalis dotes; prima eſt animam Deo ſubjicere habitualiter per gratiam; ſecunda, vires inferiores appetitus rationi ſubmittere; tertia, totum corpus animæ ſubdere, ajuntque peccatum originale formaliter conſiſtere in privatione juſtitiæ originalis, non quatenus ſibi conjunctas habet tres illas dotes; alioquin per baptiſmum non remitteretur peccatum originale, ſed ratione primariæ ſolummodo, quæ primo & per ſe tollitur in baptiſmo.

Iſtas porro, & ſingulas opiniones, variaſque ejuſdem ſententiæ acceptiones, quoniam eodem laborant vitio, iiſdem momentis in hac noſtra aſſertione impugnavimus, quocirca ſit

Conclusio.

Eſſentia peccati originalis minus proprie, minus accurate dicitur poſita in privatione vel jactura juſtitiæ originalis.

In eo quippe poſita non eſt ratio formalis peccati originalis, quod eſt quid poſterius peccato originali; atqui privatio juſtitiæ originalis (ſeu hæc juſtitia originalis ſit gratia gratum faciens, ſeu ſit aliud donum a gratia diverſum) poſterior eſt peccato originali: nam effectus peccati pœna a Deo inflicta propter peccatum, poſterior eſt peccato: ſed privatio juſtitiæ originalis, ad ſummum concipi poteſt ut pœna a Deo inflicta propter peccatum, adeoque ut effectus peccati: quia generatim loquendo carentia alicujus favoris ſupponit offenſam, præſertim ſi ejuſmodi carentia ſit per modum ſubſtractionis & jacturæ; ſubſtractio favoris alicujus Principis ſupponit offenſam Principi illatam: ſed privatio juſtitiæ originalis, in qua poſita dicitur ratio formalis peccati originalis, intelligitur eſſe in parvulis per modum jacturæ, & ſubſtractionis; quandoquidem pura & ſimplex juſtitiæ originalis privatio reperiri poteſt in homine conſtituto in puris naturalibus ſine ullo peccato: igitur privatio juſtitiæ originalis non eſt ratio formalis conſtitutiva peccati originalis.

Huic argumento reſpondent adverſarii privationem juſtitiæ ſumptam ut ſubſtractionem gratiæ iterum accipi poſſe dupliciter, vel quatenus eſt a Deo ſubſtrahente, & negante gratiam ſuam; quo ſenſu fatentur illam eſſe pœnam peccati a Deo inflictam, nec habere rationem culpæ, vel quatenus volita fuit Adami voluntate, quo ſenſu, inquiunt, culpa eſt non pœna, ab hominibus eſt non a Deo, eſt quidem actualis peccati Adæ effectus, ipſa tamen habet rationem peccati habitualis in poſteris ejus.

Verum ex iſta reſponſione manifeſte ſequitur privationem juſtitiæ originalis ſpectari, non prout reperitur in ſingulis parvulis, ſed prout fuit in Adamo: peccatum autem originale admitti debet in ſingulis, & in iis veram peccati rationem habere. Quod dicunt ejuſmodi privationem eſſe culpam in Adamo prout ab eo volita fuit, & per modum peccati habitualis tranſiiſſe in ejus poſteros, plane frivola eſt ejusmodi reſponſio, tum quia privatio juſtitiæ originalis certo non fuit volita ab Adamo; neceſſe enim non eſt, ut qui peccat, velit actu jacturam facere gratiæ Dei; tum quia, tametſi privatio juſtitiæ originalis præſupponeretur volita fuiſſe ab Adamo, & ſic pertranſire in ejus poſteros, ad ſummum pertranſire cenſeretur tanquam effectus peccati Adæ, & conſequenter tanquam effectus peccati originalis, quod in unoquoque noſtrum eſt.

Qua-

Quamobrem S. Thomas non uno in loco docet privationem juſtitiæ originalis eſſe pœnam peccati, ſic v. g. 1. 2. q. 85. art. 5. in corp. art. *Subſtractio autem*, inquit, *originalis juſtitiæ habet rationem pœnæ*, *ſicut etiam ſubſtractio gratiæ*. Et quæſt. 87. art. 7. in corp. art. *Principaliter quidem pœna originalis peccati eſt*, *quod natura humana ſibi relinquitur deſtituta auxilio originalis juſtitiæ*, *ſed ad hoc conſequuntur omnes pœnalitates*. Quod idem legitur 2. 2. q. 164. tum in corp. art. tum in reſp. ad 4. ubi diſerte ſtatuit carentiam & ſubſtractionem juſtitiæ originalis eſſe pœnam peccati originalis.

Objicies: S. Auguſtinus multis in locis ſuperius jam adductis, docet peccatum originale quantum ad ſuum formale eſſe reatum concupiſcentiæ, in aliis vero per reatum intelligit privationem vitæ, carentiam juſtitiæ originalis, mortem animæ. Sic vero & in Concil. Arauſicano 2. & in Trident. peccatum originale deſignatur tanquam mors animæ: prius quidem ſic habet can. 2. *Si quis ſoli Adæ prævaricationem ſuam*, *non & ejus propagini aſſerit nocuiſſe*, *aut certe mortem tantum corporis*, *quæ pœna peccati eſt*, *non autem & peccatum quod mors eſt animæ*, *per unum hominem in omne genus humanum tranſiiſſe teſtatur*, *injuſtitiam Deo dabit*. Poſterius vero ſeſſ. 5. can. iisdem plane verbis utitur: ergo ratio formalis peccati originalis poſita eſt in privatione gratiæ ſeu juſtitiæ originalis.

Reſpondeo in illis omnibus locis peccatum originale deſignari per mortem animæ, adeoque velut carentiam juſtitiæ originalis; ita ut ibi primarius ejuſdem effectus aſſignetur, non autem ratio formalis conſtitutiva ipſius peccati. Quod ſpectat autoritatem S. Auguſtini, jam ſupra obſervatum eſt, id unum voluiſſe ſanctum Doctorem Pelagianis oſtendere, per unum hominem, ſcilicet Adamum, cæteros homines conſtitos fuiſſe peccatores & reos; inde ſatis ſibi eſſe putant, ſi ejusmodi reatum per mortem animæ & damnationem æternam deſignet; quid vero ſit metaphyſice & accurate loquendo ejuſmodi peccatum, & in quo præciſe poſita ſit ejus eſſentia, fuſius explicare non aggreditur. Tum vero & ſimiliter laudata Concilia definiunt ſolum contra hæreticos peccatum Adæ non ſibi ſoli, ſed & cæteris hominibus nocuiſſe; ſed in quo hujus peccati eſſentia conſiſtat, neutiquam definiunt; ab ejusmodi enim ſanctionibus in rebus ad fidem minime pertinentibus, & quæ inter Theologos controvertebantur, de induſtria ſemper abſtinuiſſe Patres Tridentinos nemo neſcit, niſi in hujus Concilii Hiſtoria plane ſit hoſpes & peregrinus.

An peccatum originale ſit ipſum Adæ peccatum nobis imputatum?

HAnc fuiſſe Alberti Pighii & Catharini ſententiam nemini jam ignotum eſt, nullus eſt enim in tota Scholaſticorum turba, qui cum iſtam de peccati originalis natura quæſtionem inſtituit, in præfatos Theologos ſtatim non invehatur.

Albertus itaque Pighius in controverſia de peccato originali, quæ prima eſt ex iis quas habuit in comitiis Ratisbonenſibus, poſtquam præmiſit liberum eſſe unicuique ſentire hac in parte quod voluerit, nimirum ſtabilito ſemel Eccleſiæ dogmate adverſus Pelagianos, ait 1. certum eſſe neminem naſci ex Adamo niſi vinculo illius peccati originis obſtrictum. 2. Omne peccatum eſſe injuſtitiam, hoc eſt, obliquitatem a rectitudine contra legem. 3. Peccato originali non opponi peccatum actuale, ſed perſonale.

Et tandem concludit, *proprium peccatum nullum reperiri in parvulo*, *ut qui ſub lege nondum eſt*, *nec uſum rationis*

tionis habet, qua poſſet vim legis apprehendere; nec arbitrii liberi facultatem, qua obſequium legi debitum haberet in ſua poteſtate ...... relinquitur ergo, inquit, *unicum eſſe illud peccatum, ipſius nempe originis noſtræ, hoc eſt Adæ, quod ſonat vocabulum, & non ſuum uniuſcujuſque proprium.*

Tum vero Catharinus in opuſculo de peccato originali diſput. 6. cum præmiſiſſet peccatum originale eſſe veri nominis peccatum, ſic poſtea ſcribit: *Et nihil eſt aliud*, inquit, *quam illa primi patris noſtri prima prævaricatio actualis, id eſt, illa vetiti fructus comeſtio, quæ fuit actuale pecatum ipſius Adæ. Hæc ergo ſola dicenda eſt peccatum noſtrum quod & in nobis aliquam certe habet rationem culpæ, quia aliquo modo in patre noſtro eramus.*

Hanc Pelagii & Catharini ſententiam rejiciunt multi Theologi velut erroneam, alii ut Pelagiano dogmati ſatis conſentientem, quidam vero ut plane hæreticam. Ego quidem, cum multis aliis melioris notæ Doctoribus vellem ab ejuſmodi notis immunes eſſe viros adeo illuſtres, & de Eccleſia Catholica tam bene meritos: cum præſertim monuerit uterque ſe admittere peccatum originale tanquam veri nominis peccatum, & iſtam quæſtionem eſſe pure Scholaſticam. Hæc addit Catharinus loco mox citato: *In medium proferat*, inquit, *quod mihi ſemper viſum eſt commodius ad explicandam hujus peccati eſſentiam, præſertim cum multis & apprime doctis & bene Catholicis, quibuſcum iſta contuli, hoc mirifice noverim placuiſſe*. Quæ cum ita ſint, ſatis erit iſtam opinionem oppugnare ut falſam & minus accuratam, ad ſenſum videlicet qui vulgo creditur eſſe Pighii & Catharini; ſunt enim & alii nonnulli Theologi qui contendant, ſed alio plane ſenſu, peccatum originale eſſe ipſum Adæ peccatum prout nobis imputatum, cui ſententiæ mox aſtipulabimur.

Verum ne utraque opinio, noſtra videlicet & Catharini confundatur, duplex apprime diſtingui debet imputatio peccati, una extrinſeca, alia intrinſeca. Extrinſeca dicitur ea qua peccatum unius hominis imputatur alteri ratione effectuum & pœnarum, non ratione ipſius peccati quod non reperitur in eo cui hoc pacto imputatum: quemadmodum in rebus humanis contingit; eſt enim in more poſitum, ut peccata parentum filiis imputentur imputatione ſcilicet extrinſeca, quatenus propter ejuſmodi delicta patrum ex voluntate Principis puniuntur, ac ſi vere ipſi peccaſſent; hæc vero imputatio non eſt intrinſeca, quia tunc filii proprie effecti non ſunt peccatores, in eos tranſmiſſum non fuit peccatum. Imputatio intrinſeca, eſt ea qua non modo peccatum a patribus tranſit in filios ratione effectuum & pœnarum quæ peccato debentur, ſed & ipſum peccatum per ipſum vere, proprie, & intrinſece tranſmittitur.

Priorem ſententiam quæ eſt imputatione extrinſeca, tantum veriſimiliter tradiderint Pighius & Catharinus. Pighius quippe profitetur verbis expreſſis non modo peccatum originale eſſe ipſum Adæ peccatum, ſed *non eſſe noſtrum, non eſſe uniuſcujuſque proprium: in illo ergo uno Adam*, inquit, *peccatum fuit, non in nobis*: unde ait poſtea, illud peccatum eatenus remitti in baptiſmo, quatenus ad damnationem non amplius imputatur, juxta illud Pſal. 31. *Beati quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*. Tum vero Catharinus affirmare videtur non aliter tranſmiſſum fuiſſe Adami peccatum, quam ratione effectuum; *ſed quia*, inquit, *ipſe actus non poteſt transfundi qui tranſit, dicitur tamen ſuſcipi in ſuis effectibus*

ctibus. Et hæc eſt ſententia quam impugnaturi ſumus.

Poſteriorem vero, quæ eſt de imputatione intrinſeca ut melius quivis intelligat, duo iterum diſtingui debent in illo Adæ peccato quo totam vitiavit naturam humanam, ſcilicet actio ipſa Adami quæ tranſiit, & illud inſuper quod remanſit in Adamo, quo cenſebatur reus formaliter peccati, ſeu eadem actio mala, ſed quatenus moraliter communis toti generi humano: quæ quidem duo diſtinguuntur etiam in quolibet actuali peccato; concipitur enim primum actus peccati, malus actus tranſiens; & deinde intelligitur idem actus velut moraliter perſeverare donec a Deo remittatur.

Cum porro dicturi ſumus peccatum originale in unoquoque noſtrum eſſe ipſum Adæ peccatum quatenus nobis vere, proprie & intrinſece imputatum, iſtud demum intelligitur non de illo peccato præciſe ut actio eſt tranſiens, ſed prout moraliter perſeverans, atque, ut ait Iſambertus noſter, ſi ſumatur pro peccato habituali Adæ relicto poſt actum; quocirca ſit

Prima Conclusio.

Peccatum originale non eſt ipſum Adæ peccatum nobis imputatum imputatione tantum extrinſeca ad ſenſum Pighii & Catharini.

Ratio eſt, quia ſic Pighius & Catharinus hanc ſuam ſententiam proferunt de imputatione peccati Adæ, ut dicant vere, proprie, & intrinſece in hominibus non eſſe peccatum quod imputatur; ut videlicet conſtat ex illorum verbis mox laudatis; ſed rejici debet ille modus explicandi naturam peccati originalis, quo quidem admiſſo peccatum originale non eſt vere, proprie, & intrinſece in poſteris Adæ, per ſe nimirum & in ratione peccati, ſed ſolum ratione effectuum: ſiquidem ut ſupra a nobis oſtenſum eſt, peccatum originale eſt verum peccatum non ſolum in Adamo, ſed in ejus poſteris, & quia dicit Apoſtolus ad Rom. c. 5. peccatum pertranſiiſſe in mundum, & propter autoritatem Concilii Tridentini quod ſeſſ. 5. can. 2. definit non modo mortem corporis & alias pœnas, ſed & *peccatum* per Adami inobedientiam fuiſſe transfuſum; & can. 5. anathema pronunciat aſſerenti per baptiſmum *non tolli totum id quod verum & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantum radi aut non imputari*. Falſum eſt igitur quod dicunt Pighius & Catharinus, peccatum originale nihil aliud eſſe quam Adæ peccatum extrinſece nobis imputatum.

Et hercle ſi peccatum originale eſſet ipſum Adæ peccatum, intrinſece nobis imputatum, ita ut ſinguli non ſuum & proprium haberent, ſequeretur unum eſſe numero peccatum originale in omnibus & ſingulis hominibus; in iis quippe non eſſet multiplicatum, in quos non fuiſſet ſub ratione peccati tranſmiſſum; abſurdum conſequens; tum quia expreſſe definitum eſt ab eodem Conc. Trid. ſeſſ. 5. can. 3. *Adæ peccatum, quod origine unum eſt, & propagatione non imitatione transfuſum omnibus, eſſe unicuique proprium*. Tum quia tam unuſquiſque ſuum proprium habet peccatum, quam ſuam habet animam, tum quia ſi unum numero eſſet in omnibus hominibus quando deleretur in uno, deleretur & in aliis neceſſe foret; niſi dicatur ejuſmodi peccatum quod unum eſt in Adamo pro omnibus ejus poſteris, deleri in uno homine quatenus ei non imputatur, non deleri autem in alio cui adhuc imputatur; quominus autem ſic peccati originalis remiſſio per meram non imputationem explicetur, vetat expreſſe Concilium Tridentinum mox laudatum: ergo peccatum extrinſece nobis imputatum.

Neque eſt quod dicant hujus ſententiæ

tiæ aſſertores eatenus ſolum ex Apoſtolo omnes & ſingulos homines conſtitutos fuiſſe peccatores, quatenus in Adamo peccaverunt, *in quo omnes peccaverunt;* & poſtea, *judicium ex uno*, ſcilicet peccato; ſiquidem eo ſenſu docet Apoſtolus nos peccaſſe in Adamo, quod peccatum Adami fuerit commune toti generi humano in ſingulis multiplicatum, non per imitationem, ut iſta innuere videtur ſententia, ſed per propagationem; non per meram imputationem, ſed per veram tranſfuſionem, ita ut effectum fuerit noſtrum, & in unoquoque verum peccatum animam vere afficiens & inficiens; ait enim idem Apoſtolus *per illam Adami inobedientiam nos conſtitutos eſſe peccatores*, hoc verbum *conſtitutos* ſupponit ſtatum peccatoris, adeoque formam aut maculam inhærentem, inhabitantem; nec commode explicari poteſt per meram peccati imputationem.

Deinde ſicut Apoſtolus dicit *judicium ex uno*, ita & affirmat unius delicto multos eſſe mortuos: atqui unius Adami delicto multi mortui ſunt, ita ut mors fuerit diſtincta in unoquoque & propria: ergo ita ex uno delicto judicium erit in condemnationem, ut delictum etiam unicuique ſit proprium.

Denique ex eodem Apoſtolo, quilibet peccator eſt in Adamo, peccato nempe originali, quomodo juſtus eſt in Chriſto: atqui homo juſtus non eſt in Chriſto per meram Chriſti juſtitiæ imputationem, ſed per juſtitiam vere & proprie inhærentem, ut olim oſtendimus in tractatu noſtro de Juſtificatione & Merito: ergo neque peccator eſt ex mera imputatione intrinſeca peccati actualis Adæ.

Neque etiam favent huic ſententiæ multa S. Auguſtini teſtimonia quæ congerunt Pighius & Catharinus, in quibus affirmare videtur S. Doctor unicum eſſe pro omnibus & ſingulis hominibus peccatum Adæ, parvulos non proprietate voluntatis, ſed origine reos teneri, & alia id genus: id unum quippe, ut mox fuſius oſtendetur, his omnibus teſtimoniis docet Auguſtinus unicum eſſe illud peccatum in origine, in voluntate Adami unum, ut dicemus, ſpecie, quanquam aliunde ſit multiplex & diſtinctum numero, quatenus per generationem ita ſingulis communicatur, ut ſit unicuique proprium.

SECUNDA CONCLUSIO.

Peccatum originale recte dicitur ipſum Adæ peccatum prout nobis intrinſece imputatum, hoc eſt, ſingulis hominibus in eo moraliter contentis vere ac proprie communicatum: quæ ſententia videtur eſſe Hugonis a S. Victore lib. 1. de Sacramentis par. 7. capit. 26. & 27. Ægidii Romani qui in opere de pura Virginis Conceptione lib. 2. q. 1. art. 2. eandem opionem tribuit Tappero, Vegæ, Bellarmino, Toleto & Suarezio præter Pighium & Catharinum. Idem vero longe clarius docuit Iſambertus noſter 1. 2. ad q. 83. diſp. 2. 3. & 4.

Atque id primum ſatis ſignificatur, indicat Apoſtolis his verbis, *in quo omnes peccaverunt*, ubi videtur propagationem peccati originalis explicare, quod in Adamo nos omnes eramus quando peccavit, quaſi unam cum eo conſtitueremus perſonam, *in quo* gerente totius generis humani perſonam, *omnes* velut membra in capite, *peccaverunt*. Peccabat ille, & nos cum eo, & in eo moraliter contenti cum illo peccabamus eodem quo ille peccato obſtricti & maculati; neque enim ullum aliud unquam adverſus legem perpetratum eſt, quod toti generi humano condemnationem inferret: hinc in eodem cap. 5. Epiſt. ad Romanos addit Apoſtolus *judicium eſſe ex uno* peccato *in condemnationem*, & *unius delicto* mor-

N 2 tem

tem regnaſſe , *per unius inobedientiam* nos fuiſſe conſtitutos peccatores : quæ quidem manifeſte oſtendunt peccatum originale ex quo judicium eſt & condemnatio ſingulorum hominum , eſſe ipſam Adami inobedientiam , ipſum Adami peccatum intrinſece ſcilicet nobis communicatum , ſingulis commune & unicuique proprium.

Ad cujus veritatis confirmationem merito proferre poſſumus multa SS. Patrum teſtimonia , qui hoc nomine nos contraxiſſe peccatum originale tradunt , quod omnes in Adamo omnes unus homo fuimus , & quod ipſo peccante peccavimus . Sic v. g. S. Irenæus lib. 5. cap. 14. *Deum* , inquit , *in primo quidem Adam offendimus non facientes ejus præceptum , in ſecundo autem Adam reconciliati ſumus* .

Tertullianus lib. de anima cap. 40. *Ita omnis anima* , inquit , *eo uſque in Adam cenſetur donec in Chriſto recenſeatur* . Et lib. de Reſurrectione carnis cap. 49. *portavimus imaginem Chriſti per collegium tranſgreſſionis , per conſortium mortis , per exilium Paradiſi* .

Origenes lib. 5. in Epiſt. ad Rom. pag. 342. col. 2. *Videamus* , inquit , *quomodo per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum* . Et poſtea ſic rem explicat: *Si ergo Levi qui generatione quarta poſt Abraham naſcitur , in lumbis Abrahæ fuiſſe perhibetur , multo magis omnes homines qui in hoc mundo naſcuntur & nati ſunt , in lumbis erant Adæ , cum adhuc eſſet in Paradiſo , & omnes homines cum ipſo vel in ipſo expulſi ſunt de Paradiſo , cum ipſe inde pulſus eſt ...... ſed hic nimirum eſt unus homo , per quem peccatum introivit & per peccatum mors* .

Item S. Ambroſius Apologia altera cap. 8. *Adamus* , inquit , *factus eſt ſibi nudus , poſteaquam factus eſt reus culpæ , in illa nudata eſt omnis humana conditio per ſucceſſionem naturæ , non ſolum culpæ , ſed etiam ærumnæ obnoxia* . Et cap. 12. *Adam ergo in ſingulis nobis eſt ; in illo enim conditio humana deliquit , quia per unum in homines pertranſivit peccatum* . Lib. 2. de fide Reſurrectionis num. 6. *Lapſus ſum in Adam , de paradiſo ejectus in Adam , mortuus in Adam , quomodo revocet , niſi me in Adam invenerit , ut in illo culpæ obnoxium , morti debitum* . Demum expoſitione Evang. ſecundum Lucam lib. 7. num. 234. *Poteſt tamen & hic in uno accipi ſpecies generis humani ; fuit Adam , & in illo fuimus omnes : periit Adam , & in illo omnes perierunt* .

Omnium vero frequentiſſime S. Auguſtinus lib. 1. de peccat. meritis c. 10. *Si peccatum intellexeris quod per unum hominem intravit in mundum , in quo omnes peccaverunt , certe manifeſtum eſt alia eſſe propria cuique peccata in quibus hi tantum peccant , quorum peccata ſunt , aliud hoc unum in quo omnes peccaverunt , quando omnes ille unus homo fuerunt* . Lib. 3. cap. 7. *Si quidem in Adam omnes tunc peccaverunt , quando in ejus natura illa inſita vi , qua eos gignere poterat , adhuc omnes ille unus fuerunt* . Lib. 2. de nuptiis cap. 5. *Per unius voluntatem malam omnes in eo peccaverunt , quando omnes ille unus fuerunt de quo propterea ſinguli peccatum originale traxerunt* . Quibus verbis nihil ad hanc rem noſtram illuſtrius ſcribere potuit S. Doctor , ait enim *propterea* ſingulos traxiſſe ab Adam peccatum originale , quod *omnes ille unus fuerunt* .

Item lib. 2. operis imperf. cap. 177: *Ipſos quoque hoc in parente feciſſe , quoniam quando ipſe fecit , in illo fuerunt , ac ſic ipſi atque ille adhuc unus fuerunt* . Et cap. 178. *Quia ergo fuit Adam , & in illo fuimus omnes , quod ante nos Catholici Doctores ſecundum Scripturas ſanctas in Sancta Eccleſia didicerunt atque docuerunt , ideo dixi , Omnes ille unus fuerunt , quia & illi duo maſculus &*

fæmi-

Digitized by Google

fœmina non jam duo erant, ſed una caro. Et ego de omnibus genitis dixi quoniam quando peccatum eſt, omnes ille unus fuerunt. Tum vero lib. 3. cap. *Sed fuit Adam, & in illo fuimus omnes quando ita peccavit, ut perderet in ſe omnes.* Quod idem in aliis locis pene innumeris legitur, ut lib. 13. de civit. Dei cap. 14. ſerm. 174. olim 8. de verbis Apoſtoli, Lib. de Corrept. & Grat. cap. 10.

Colligitur eadem doctrina ex eo quod idem S. Auguſtinus ſcribit paſſim peccatum Adæ eſſe noſtrum, unum eſſe delictum cum noſtro, lib. 2. operis imperf. cap. 163. *Inobedientia quidem unius hominis non abſurde utique delictum dicitur alienum, quia nondum nati nondum egeramus aliquid proprium, ſive bonum, ſive malum: ſed quia in illo qui hoc egit, quando id egit, omnes eramus .. ... hoc delictum alienum obnoxia ſucceſſione fit noſtrum; propter quod dictum eſt a doctore catholico qui recte intellexit Apoſtolum, omnes homines ſub peccato naſcimur.* Cap. 185. *Quamvis peccatum illud primum atque unum quod per unum hominem intravit in mundum, commune ſit omnium propter quod dictum eſt, In quo omnes peccaverunt.* Cap. 210. *ut quod deinde dicit* Apoſtolus, *judicium ex uno delicto in condemnationem, non niſi illius unius peccantis hoc delictum poſſit intelligi.* Cap. 211. *Non ergo ex quocunque uno cujuscunque delicto, quod factum eſt per unum peccatum, id eſt, Adam, judicium eſt in condemnationem.* Ex iis autem perſpicuum eſt cenſuiſſe S. Auguſtinum peccatum originale nihil aliud eſſe quam ipſum Adæ peccatum intrinſece nobis imputatum; non enim ait peccatum Adæ eſſe cauſam peccati originalis quod noſtrum eſt, ſed idem peccatum eſſe alienum & noſtrum, quia in illo, quando id egit, omnes eramus.

Colligitur inſuper ex eo quod perſæpe ſcribit S. Auguſtinus, peccatum originale fuiſſe commiſſum, fuiſſe proprie voluntarium, proprie dictum prævaricationem, veram legis tranſgreſſionem; hæc enim ei competere non poſſunt, niſi ſit unum & idem cum peccato Adæ quod vere fuit factum, ab eo volitum, & proprie dicta mandati divini tranſgreſſio: lib. 4. operis imperf. c. 116. *Concedo*, inquit alloquens Julianum, *non eſſe ſine voluntate peccatum, quia ſine voluntate non poteſt fieri . . . item concedo non eſſe ſine voluntate peccatum, quia & originale peccatum ſine voluntate non factum eſt ejus, a quo ipſo origo ſumpſit exordium .... iſto itaque modo, quia de peccato agimus parvuli, ita originale peccatum ejus, ſicut ipſe ortus ejus ſine voluntate eſſe non potuit, ſed ejus.* Lib. 1. retract. cap. 15. *Item quod dixi, nuſquam ſcilicet niſi in voluntate eſſe peccatum, poſſunt Pelagiani pro ſe dictum putare propter parvulos, quos ideo negant habere peccatum quod eis in baptiſmate remittatur, quia nondum arbitrio voluntatis utuntur, quaſi vero peccatum quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id eſt reatu ejus implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri, uſquam eſſe potuit niſi in voluntate qua voluntate commiſſum eſt, quando divini præcepti eſt facta tranſgreſſio ..... quapropter peccatum ſine voluntate eſſe non poſſe veriſſimum eſt.* Lib. 16. de civit. Dei cap. 27. *Niſi quia etiam parvuli non ſecundum vitæ ſuæ proprietatem, ſed ſecundum communem generis humani originem, omnes in illo uno Teſtamentum Dei diſſipaverunt, in quo omnes peccaverunt ...... quamobrem ſi etiam parvuli, quod vera fides habet, naſcuntur non proprie,* id eſt per proprium actum, *ſed originaliter peccatores, unde illis gratiam remiſſionis peccatorum neceſſariam confitemur, profecto eo modo quo ſunt peccatores etiam prævaricatores legis illius, quæ in Paradiſo data eſt, agnoſcuntur: ut verum ſit utrumque quod ſcriptum eſt, & (prævarica-*

tores

tores æſtimavi omnes prævaricatores terræ) & (*ubi lex non eſt, nec prævaricatio.*)

Item colligitur ex comparatione quam frequentiſſime hoc in negotio uſurpat S. Auguſtinus. Scilicet inquirentibus Pelagianis, quomodo potuimus tunc peccare in Adamo, cum nondum eſſemus, reſpondet tunc non fuiſſe in lumbis Adæ, ſicut fuit Levi in lumbis Abrahæ, in quibus decimatus eſt, lib. 1. operis imperf. cap. 48. inquit, *Non eſt magnum*, inquit, *quod vides non habere parvulos propriam voluntatem ad eligendum bonum, vel malum. Illud vellem videre, quod vidit qui ſcribens ad Hebræos dixit, filium Iſrael Levi in lumbis Abraham patris ſui fuiſſe, quando eſt ille decimatus, & ideo etiam iſtum in illo fuiſſe decimatum. Ad hoc ſi haberes oculum Chriſtianum fide cerneres, ſi intelligentia non valeres, in lumbis Adam fuiſſe omnes qui ex illo fuerant per concupiſcentiam carnis orituri*. Lib. 4. cap. 104. *Secundum quam originem omnes in illo uno erant, & hi omnes unus ille erant, qui in ſe ipſis nulli adhuc erant. Secundum hanc originem ſeminalem, etiam Levi in lumbis patris ſui Abraham fuiſſe dicitur, quando a Melchiſedech decimatus eſt Abraham; unde & ipſe Levi tunc decimatus oſtenditur, non in ſe ipſo, ſed in illo, in cujus fuit lumbis*. Et lib. 5. cap. 12. *Sic enim fuerunt omnes ratione ſeminis in lumbis Adam, quando damnatus eſt, & ideo ſine illis damnatus non eſt; quemadmodum fuerant Iſraelitæ in lumbis Abrahæ, quando decimatus eſt, & ideo ſine illis decimatus non eſt.*

Ecce quomodo eramus quando nondum eramus; eramus in lumbis Adæ quando ipſe peccavit; eo plane modo quo Levi erant in lumbis Abrahæ, quando iſte a Melchiſedech decimatus eſt; peccavimus igitur quando peccavit Adam, in illo peccavimus: adeoque eodem peccato, & ita peccatum originale nihil aliud eſt, quam ipſum Adæ peccatum nobis omnibus intrinſece imputatum.

Denique colligitur eadem S. Auguſtini ſententia ex eo quod dicit paſſim nos eſſe reos peccati Adæ, eodem vinculo peccati nos teneri, quo & ipſe tenebatur Adamus, lib. 1. de peccator. meritis cap. 11. *Adam quippe ex uno delicto ſuo reos genuit* cæteros homines. Lib. 1. de nuptiis cap. 19. *gignitur peccator actu nullus, ortu novus, ſed reatu vetus*. Et lib. 1. retract. cap. 15. *Reſpondetur non eos proprietate voluntatis, ſed origine reos teneri; non ſane quod origo ſit peccatum, quod inſaniſſimum eſſet putare: ſed quod per originem tranſit peccatum Adæ in poſteros, & facit eos reos eſſe hujus peccati*. Porro rei ſunt homines peccati quod in iis eſt; ſingulis itaque ineſt peccatum Adæ.

Unde ſimiliter ſcribit idem ſanctus Doctor lib. 1. contra Jul. cap. 2. *omnes homines primorum illorum hominum peccato naſci obnoxios*. Lib. de prædeſt. ſanctorum cap. 1. *peccato Adæ obnoxium naſci genus humanum*. Lib. de dono perſever. cap. 2. *obnoxium naſci hominem peccato primi hominis*. Quæ quidem aperte ſignificant nihil aliud eſſe peccatum originale in unoquoque noſtrum, quam ipſum Adæ peccatum.

His vero teſtimoniis, quæ ſatis multa ex Auguſtino potiſſimum collegimus, adeoque maximi debent eſſe ponderis, apud Theologos, hanc adjungimus rationem non omnino ſpernendam. Scilicet niſi peccatum originale dicatur eſſe ipſum Adæ peccatum nobis intrinſece imputatum, factumque noſtrum, quatenus ex decreto Dei omnes in illo fuimus, & voluntates noſtræ in illius voluntate contentæ, certe nihil eſt in parvulis quod accurate loquendo veram peccati rationem habere poſſit; quæcumque enim vulgo aſſignantur juxta alias Theologorum opiniones, non ſunt niſi effectus peccati originalis, & ideo minus proprie, minus accurate naturam peccati originalis explicant, ut paulo ſupra ſigillatim a nobis oſtenſum eſt.

Dein-

Deinde quantum fieri poteſt, quantum ſinit materia & res, cujuſcunque peccati natura explicari debet per actum voluntatis: peccare etenim, ut vel ipſa vox ſonat, idem eſt ac operari, agere, velle; quapropter, ut mox obſervavimus, objicientibus Pelagianis eo nomine nullum eſſe peccatum in infantibus, quod non ſit ullius voluntatis actus, reſpondens S. Auguſtinus, minime negat peccatum omne debere eſſe voluntarium ſeu voluntatis actum, quin potius ait peccatum originale eſſe voluntarium & fuiſſe volitum in Adamo, voluntate Adami.

Favet præterea quod omne peccatum hæreditarium, nihil eſt aliud quam culpa ipſa parentum, a quibus origine trahitur: atqui peccatum originale ex natura ſua eſt hæreditarium, vitium eſt naturæ & originis, natura enim ſumus filii iræ: igitur recte dicitur eſſe ipſum Adami peccatum nobis ſingulis intrinſece imputatum.

Objicies: perſæpe legitur & in Scripturis & apud SS. Patres, præſertim vero S. Auguſtinum, peccatum Adæ tranſire, pertranſire, tranſmitti, trajici, ut videre eſt in locis ſupra citatis; ſed iſthæc omnia conciliari non poſſunt cum ſententia quæ docet peccatum originale eſſe ipſum Adæ peccatum nobis imputatum; ſi enim quod in nobis originale eſt, ab Adamo tractum eſt, in nobis non eſt idem quod in Adamo, ſed diſtinctum; ita ut quilibet ſuum proprium habeat peccatum; quemadmodum ſuam habet animam, ſuum corpus: ergo peccatum originale non eſt ipſum Adæ peccatum nobis imputatum.

Nego min. & dico duplici ex cauſa hanc noſtram ſententiam recte conciliari poſſe cum iſtis aliiſque ſimilibus Scripturæ & Patrum locutionibus. Primo, quia litteraliter accipi non debent & in rigore dialecticæ, ut Juliano objectionem pene ſimilem proponenti merito reſpondet S. Auguſtinus lib 5. cap. 14. dicebat Julianus *rem quæ in ſubjecto eſt ſine illa re eſſe non poſſe, in qua ſubjecta eſt: & ideo malum quod eſt in parente, utique in ſubjecto, alii rei, id eſt proli, ad quam non pervenit, reatum non poſſe tranſmittere*. Sic vero reponit S. Aug. *Recte hoc diceres, ſi malum concupiſcentiæ de parente non perveniret ad prolem; cum vero ſicut ſine illo nemo ſeminatur, ita ſine illo nemo naſcitur, quomodo dicis eo non pervenire, quo tranſit? Non enim Ariſtoteles, cujus categorias inſipienter ſapis, ſed Apoſtolus dicit: per unum hominem peccatum intravit in mundum &c*. Ex quibus manifeſte colligitur ejuſmodi verba in rigore metaphyſico non eſſe accipienda, proindeque peccatum originale cenſeri merito pertranſire & tranſmitti ab Adamo in ejus poſteros; quamquam hoc peccatum tranſmiſſum & propagatum, idem ſit in Adamo & poſteris.

Secundo, quia cum dicimus peccatum originale quod ineſt ſingulis hominibus, eſſe unum idemque peccatum Adæ, iſtud intelligimus ſecundum unitatem, ut ita loquar, ſpecificam; non autem ſecundum unitatem numericam: Revera ſi peccatum originale eſſet ipſum Adæ peccatum, unum duntaxat unitate numerica; neutiquam dici poſſet pertranſire, trajici, tranſmitti ab Adamo; tunc enim peccatum fuiſſet in ſolo Adamo proprie, nec niſi per meram imputationem extrinſecam in cæteris hominibus; ſed quia peccatum originale, quando dicitur eſſe ipſum Adæ peccatum intrinſece nobis imputatum, intelligitur eſſe unum unitate ſpecifica, non unitate numerica; proinde ſequitur illud merito dici poſſe trajectum & tranſmiſſum, *non quaſi tranſmigratione de ſuo ſubjecto in ſuum ſubjectum*, ut ait S. Auguſt. loco mox citato, *ſed affectione & contagione*.

Quando itaque dicimus peccatum originale eſſe ipſum Adæ peccatum, illud quidem non intelligimus de unitate numeri-

meri-

merica, quia volumus peccatum originale ita eſſe Adæ peccatum, ut ſit quoque noſtrum, ut inſit omnibus & ſingulis hominibus, unicuique proprium, adeoque numero diſtinctum pro multiplicitate ſubjectorum; ſed unum tamen idemque manet cum Adæ peccato velut unitate ſpecifica; quatenus, cum peccavit Adam, toti generi humano commune fuit iſtud peccatum, eodem tranſmiſſo peccato; non prout erat actio quæ præteriit, ſed ratione ejuſce rei qua cenſebatur peccator actu præterito.

At, inquies, ſi unuſquiſque ſuum proprium habet peccatum originale, male dicitur peccatum originale eſſe ipſum Adæ peccatum imputatum; ſed dici debet aliquod peccatum eſſe per peccatum Adæ vel per Adamum ipſum in alios homines tranſmiſſum: quo fit ut poſtea inquirendum ſit, in quo poſita ſit illius peccati tranſmiſſi natura, an in concupiſcentia, an in privatione juſtitiæ originalis.

Nego ant. quia nempe cum dicimus ſuum eſſe unicuique peccatum proprium, hoc non multiplicatur niſi ratione ſubjectorum, idem manet ſemper peccatum quod Adamum & ſingulos ejus poſteros infecit: peccatum Adami fuit commune, eo peccante peccavimus, in eo facti ſumus rei, ejus peccatum fuit noſtrum, in eo omnes eramus, omnes & ille unus homo, ut paſſim differit S. Aug. quo fit ut maneat unum in Adamo & ejus poſteris: nihil quippe cogitari poteſt, quod inſit ſingulis hominibus & veram peccati rationem habeat, niſi hoc ipſum Adæ peccatum dicatur omnes afficere.

Objicies: ea ſententia non debet admitti, quæ non ſatis explicat naturam peccati originalis: atqui, cum dicitur peccatum originale eſſe ipſum Adæ peccatum imputatum, non ſatis explicatur natura peccati originalis: quin potius ejuſmodi ſententia eadem plane videtur eſſe cum Pighii & Catharini opinione ab omnibus fere Theologis merito improbata, & a Concil. Tridentino condemnata, cum videlicet ſeſſ. 5. can. 5. declarat per baptiſmum non modo effici ut peccatum non imputetur, ſed ut vere tollatur; quibus verbis conſequenter ſignificat peccatum non ineſſe hominibus per imputationem: ergo peccatum originale non eſt ipſum Adæ peccatum ejus poſteris imputatum.

Nego min. ſiquidem, cum dicimus peccatum originale eſſe ipſum Adæ peccatum nobis imputatum, id intelligimus non ſenſu Pighii & Catharini de imputatione mere extrinſeca, ſed de imputatione proprie dicta & intrinſeca, qua non modo propter peccatum Adæ mortis & aliarum pœnarum debitores ſumus, ſed & ipſum peccatum effectum eſt noſtrum, unicuique proprium: quod ſane imputationis genus non condemnarunt unquam Patres Tridentini, qui loco laudato hoc ſolum obiter perſtringunt in hæreticis noſtris, quod per meram imputationem extrinſecam explicant cujuſcumque peccati naturam; vel quod, ubi ſermo erat de peccato originali, ita hujus eſſentiam in corruptione naturæ humanæ poſitam eſſe dicerent, ut inde ſequeretur per baptiſmum non tolli funditus id omne quod veram peccati rationem habet, ſed ſolummodo radi aut non imputari. Verum ab iſto errore longe lateque diverſa eſt hæc noſtra ſententia, dicimus enim in unoquoque homine vel etiam in infantibus verum & proprie dictum eſſe peccatum, tum vero per baptiſma tolli id omne quod veram peccati rationem habet.

Nec cuiquam ſcrupulum movere debet, quod in hoc negotio *imputationis* vocabulum uſurpemus, ut peccati ab Adamo in cæteros homines tranſitus ſignificetur, eodem quippe uſus eſt nec infrequenter S Auguſt. ut lib. 3. de peccatorum meritis cap. 8. *Remittit*, inquit, *ſed ſpiritu regeneratis, non carne generatis: imputat vero non jam aliena ſed*

ſed propria. Lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia cap. 32. *Ex quo Adam*, inquit, *ex olea tali totum genus humanum fecit oleaſtrum, ita ut, ſi quid inde in oleam gratia divina convertit, ibi vitium primæ nativitatis quod erat originale peccatum de carnali concupiſcentia traductum & adtractum, remittatur, tegatur, non imputetur*. Et c. 33. *Beata itaque olea cujus remiſſæ ſunt iniquitates & cujus tecta ſunt peccata, beata cui non imputavit Dominus peccatum. Sed illud quod remiſſum & tectum eſt & non imputatur, donec fiat in æternam immortalitatem plena mutatio*. Lib. 2. operis imperf. cap. 163. *quia non eis, ſicut putatis, peccatum debet unius & olim defuncti hominis imputari*. Lib. 5. cap. 12. *malum eſt enim de peccato veniens originis vitium, cum quo naſcitur homo: bonum eſt opus Dei, non ſine malo, cujus mali reatus non innocentibus ut dicis, ſed reis imputatur*. Ex quibus ſequitur nihil eſſe in illa loquendi ratione quod ſit ullo modo reprehenſione dignum, ſi videlicet id intelligatur de imputatione intrinſeca, ut dubio procul exponi debent S. Auguſtini teſtimonia, qui ſexcenties dixit peccatum Adæ eſſe noſtrum, nobis proprium, vere nos afficiens atque inficiens.

Inſtabis: ea ſententia non ſatis explicat naturam peccati originalis, qua poſita nonniſi moraliter tranſmittitur peccatum originale: ſed in illa ſententia nonniſi moraliter tranſmittitur peccatum originale; quatenus nempe Adamo peccante, cæteri homines in eo moraliter contenti, velut membra corporis myſtici in capite, cenſebantur peccare, cum eo & in illo peccabant, quod totum morale eſt. Nam eodem modo peccabant, quo in Adamo continebantur: ſed non continebantur in Adamo niſi moraliter: ergo non peccabant niſi moraliter: igitur alia quærenda eſt ratio explicandi naturam peccati originalis.

Reſpond. primum negari poſſe majorem, quia, ut multi contendunt Theologi, peccata ex genere ſuo non ſunt niſi entia moralia. Unde, inquiunt, in peccato Adæ duo ſpectari poſſunt, unum phyſicum, alterum mortale; id quod in eo eſt phyſicum, eſt ſingulare; eſt enim actus ſingularis Adami; id vero quod eſt in eo morale, eſt univerſale, quia reſpicit omnem naturam, unde dicit Apoſtolus ad Rom. 5. cap. *in quo omnes peccaverunt*, non equidem phyſice, cum nondum eſſent nati, ſed moraliter, quatenus malitia illius peccati fuit generalis ſingulis naſcituris communicanda.

Sed aliter & clarius, ut puto, reſpondetur. Diſting. maj. ſi peccatum illud quod moraliter tranſmittitur, non dicatur vere & phyſice in unoquoque exiſtens, ſed ſolum moraliter quod fieret per imputationem mere extrinſecam, C. ſi peccatum illud quod moraliter tantum tranſmitti dicitur, aliunde cenſeatur eſſe vere & phyſice exiſtens, vere & proprie homines efficere peccatores, N. Eſto igitur, quod peccatum originale nonniſi moraliter tranſmitti ſupponatur in hac noſtra ſententia, profecto id nullum movere debet ſcrupulum, nec iſta difficultas ad præſentem controverſiam attinet, verius ad aliam in qua modum examinaturi ſumus quo peccatum originale traducatur; ſatis ſit, ſi peccatum illud quomodocunque traductum & tranſmiſſum, ſit verum & proprie dictum peccatum in ſingulis hominibus; ſi transfuſio illa, tametſi quoad modum moralis, ſit vera & phyſica ratione ipſius rei tranſmiſſæ.

Et certe, quamvis ſupponatur, ut ferunt aliæ Theologorum opiniones, eſſentiam peccati originalis poſitam eſſe vel in concupiſcentia, vel in reatu, vel in privatione juſtitiæ originalis, fateantur neceſſe eſt peccatum originale non transfundi niſi moraliter; neque enim v. g. privatio juſtitiæ originalis ab Ada-

Digitized by Google

Adamo tranſit in ejus poſteros per actionem phyſice influentem, ſed ſolum quatenus, inquiunt hujus ſententiæ aſſertores, in pœnam peccati Adæ ſtatuit Deus, ut quicunque ex ſemine Adæ prognati erunt, juſtitia originali priventur; quo quidem poſito nonniſi moraliter ab Adamo in ejus poſteros tranſmiſſa fuit privatio juſtitiæ originalis.

His adde juxta Apoſtolum & Sanct. Patres peccatum transfundi ad Adamo, ut & ipſa mors pertranſiit, *per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*. Atqui nonniſi moraliter mors pertranſit ab Adamo in cæteros homines; non quod phyſice non moriantur, ſed quod phyſice in eorum mortem non influat Adamus: ſatis ſit igitur ſi Adæ poſteri dicuntur vere conſtituti peccatores; nihil vetat quominus peccatum dicatur transfundi moraliter, modo videlicet ſuperius explicato.

Inſtabis, in illa ſententia peccati originalis velut in unoquoque exiſtenti aſſignari non poteſt materiale nec formale: ergo revera non debet propugnari.

Nego ant. cum enim peccatum originale ſit ipſum Adæ peccatum intrinſece nobis imputatum, hujus materiale idem plane eſt quod materiale peccati Adæ, quod idem judicium feras de formali; quapropter quærenti cuipiam quid præciſe ſit peccatum originale quod reddit homines mortis æternæ & aliarum hujus vitæ calamitatum debitores, appoſite reſpondetur ipſam eſſe Adami inobedientiam, hanc ſcilicet actionem qua vetitum fructum comedit: nullum eſt enim aliud peccatum, nullum fuit admiſſum, nihil vel in Adamo vel in cæteris hominibus, quod veram peccati rationem habeat; cætera quippe, ut ſatis aperte demonſtravimus, ſunt effectus qui peccatum conſequuntur, nec ipſa peccatum niſi improprie dici poſſunt; adeoque materiale peccati originalis eſt actio voluntatis Adami, formale vero eſt malitia ejuſdem actionis ſeu carentia rectitudinis debitæ.

At, inquies, peccatum originale eſt vere & proprie in unoquoque homine: atqui tamen nobis ſingulis non ineſt actio Adami, quæ, nempe ipſi propria fuit & quæ ſtatim tranſiit: ergo peccatum originale non eſt ipſa Adami actio.

Diſt. min. nobis ſingulis non ineſt actio Adami prout eſt actio quædam ſingularis, & quaſi phyſice a nobis elicita ſit, C. quatenus moraliter ex pacto Dei eſt communis pro omnibus hominibus, & ab Adamo totius generis humani perſonam gerente exercita fuit, tum vero ſub ea ratione qua in eodem Adamo moraliter perſeverabat jam pridem elicita, N. ſolutio patet abunde ex dictis.

Objicies: ſolemne eſt cum S. Auguſt. tum pleriſque omnibus Theologis, dicere peccatum originale eſſe effectum peccati actualis Adæ: atqui ſi peccatum originale eſt ipſum Adæ peccatum nobis imputatum, profecto peccatum Adæ non fuit cauſa peccati originalis: ergo.

Nego min. tametſi enim peccatum originale, quod in omnibus & ſingulis hominibus eſt ut aliquid permanens ac veluti inhærens, dicamus eſſe ipſum Adæ peccatum; aliquo tamen ſenſu hoc peccatum Adæ, ſpectatum videlicet prout eſt actio ab Adamo exercita, cauſa eſt peccati originalis, hoc eſt ejuſce maculæ vel cujuſcunque rei alterius per quam formaliter peccatores ſumus & originali peccato obſtricti; quo plane modo in quolibet actuali peccato, ut jam ſupra obſervavimus, diſtingui ſolent, actus peccati, v. g. actus homicidii, qui tranſit peracto homicidio, & moralis perſeverantia actus qua formaliter peccator eſt homicida in ſtatu velut permanenti, donec per pœnitentiam deletum ſit homicidium.

Jam vero hæc veluti macula reddens habitualiter & permanenter hominem peccatorem & formaliter reum homi-

cidii,

cidii, ex una parte eſt actus homicidii moraliter perſeverantis, ex altera vero dici poteſt effectus homicidii; ſcilicet macula vel quidvis aliud habitualiter remanens, eſt effectus ipſius homicidii conſiderati in ratione actus qui tranſiit, ſi enim quæratur, quænam ſit cauſa ejuſmodi formalitatis, per quam cenſetur ille homicida formaliter peccator, recte reſpondetur eſſe actum homicidii ab eo antea perpetrati.

Objicies iterum: communis ac pervulgata eſt apud Theologos diviſio peccati in originale & actuale: ſed in iſta ſententia nullum erit peccatum originale quod non ſit actuale: igitur.

Nego min. ſiquidem peccatum originale, tametſi ſit ipſum Adæ peccatum nobis imputatum, aliquo modo differt ab actuali ſeu actione ipſa Adami quæ tranſiit; hæc enim actio quatenus actio, eſt ſingularis & perſonalis, phyſice volita a ſolo Adamo & idcirco peccatum actuale Adami; ſed quatenus moraliter cenſetur Adamus totius generis humani perſonam gerere, eadem legis tranſgreſſio eſt peccatum quoddam commune ſingulorum hominum, quod dicitur originale, quo fit ut recte diſtingui poſſit duplex peccatum, actuale unum, originale alterum. Præterquamquod hac uſitata diviſione volunt Theologi primum illud originis peccatum ab aliis quæ poſtmodum actu committuntur, quidquid ſit illud primum quod dicitur originale.

Objiciunt nonnulli: hæc conjunctio moralis ex Dei beneplacito poſterorum cum Adamo, ut membrorum cum capite, non ſufficit, ut actiones elicitæ voluntate iſtius capitis, dicantur etiam proprie & ſimpliciter elicitæ a membris, eiſque tribuantur; alioquin etiam actiones bonæ quibus acceptum a Deo præceptum obſervare haud dubie voluit & aliquandiu obſervavit, eſſent nobis tribuendæ, quod certiſſime falſum eſt.

Reſpondeo negari non poſſe ex pacto & voluntate Dei ſtatutum fuiſſe, ut peccante Adamo nos in eo tanquam membra in capite peccaremus, id enim aperte legitur in Scripturis, *in quo omnes peccaverunt, judicium ex uno &c.* Quicquid tandem accurate loquendo & in rigore dialecticæ dicatur eſſe illud peccatum, quod conſequenter ad voluntatis divinæ pactum ex Adamo traximus: an vero ad nos quicquam pertinuiſſent bonæ & ſanctæ actiones primi parentis, ſi acceptum a Deo præceptum obſervaſſet, datamque ſibi juſtitiam originalem non amiſiſſet, non ita conſtat apud Theologos, ſiquidem nihil certi ſuper ea re habetur in Scripturis; quocirca nullius momenti eſt præſens difficultas.

De modo quo traducitur Peccatum originale.

Circa modum quo traducitur peccatum originale, variæ diſtingui poſſunt ſententiæ.

Prima eſt eorum qui quoniam exiſtimabant animam cum corpore a parentibus traduci per generationem, dixerunt conſequenter peccatum originale contrahi per animam, eo nempe quod anima detur a parentibus una cum peccato; id multi olim opinati ſunt teſte S. Hieronymo Epiſt. 82. ad Marcellinum his verbis, *ſuper animæ ſtatu memini veſtra quæſtiuncula .... an certe ex traduce*, ſiant, *ut Tertullianus, Apollinarius, & maxima pars occidentalium autumant, quomodo corpus ex corpore, ſic anima naſcatur ex anima, & ſimili cum brutis animantibus conditione ſubſiſtat.*

In hujus quæſtionis elucidationem, quoniam cum doctrina peccati originalis plurimum habet affinitatis, ingenii ſui vim omnem contulit S. Auguſtinus, nullumque non movit lapidem quo rei veritatem poſt varias diſcuſſiones tan-

dem aſſequeretur ; ſed cum neutram quæſtionis partem , utrum ſcilicet animæ creentur de novo, an ex parentibus propagentur, certa atque indubitata autoritate ſibi conſtare poſſe videret, neutri adhæſit, ſed dubius ſuper ea re fuit , ut poſt longiſſimam diſputationem ſcribit lib. 10. de Geneſi ad litteram cap. 23. his verbis, *His igitur quantum pro tempore potuimus pertractatis, omnia paria vel pene paria ex utroque latere rationum teſtimoniorumque momenta pronunciarem, niſi eorum ſententia qui animas ex parentibus creari putant, de baptiſmo parvulorum præponderaret*.

Dicam obiter Auguſtino de origine animæ dubitanti erroris notam immerito a nonnullis recentioribus inuſtam, quia licet apud Græcos in Orientali Eccleſia creatio animarum communius teneretur, ſecus tamen ſentiebant ut plurimum Occidentales; quemadmodum facile colligitur ex teſtimonio S. Hieronymi mox laudato. Ante Auguſtinum de origine animæ dubitavit Rufinus, ut conſtat ex Epiſtola ad S. Anaſtaſium. Dubitarunt Africani Epiſcopi in Sardinia exules, ut manifeſte liquet ex eorum Epiſtola c. 10. quin & S. Fulgentius lib. 3. de Verit. Prædeſt. & Grat. cap. 18. & coætaneus Caſſiodorus in lib. de Anima cap. 14. Inſigne vero eſt hoc in negotio teſtimonium S. Gregor. M. lib. 7. Epiſt. 53. ad Secundinum hæc ſcribentis: *Sed hac de re dulciſſima mihi tua charitas ſciat, quia de origine animæ inter SS. Patres requiſitio non parva verſata eſt, ſed utrum ipſa ab Adam deſcenderit, an certe ſingulis detur, incertum remanſit, eamque in hac vita inſolubilem faſſi ſunt eſſe quæſtionem, gravis enim quæſtio eſt, nec valet ab homine comprehendi*.

Hæc autem de origine animæ dubitatio tantum in Eccleſia invaluit, ut S. Iſidorus Hiſpalenſis veritus non fuerit eandem inter fidei regulas reponere; libro quippe ſecundo de Offic. Eccleſ. c. 23. quod incipit, *Hæc eſt autem poſt Apoſtolorum ſymbolum certiſſima fides quam Doctores noſtri tradiderunt*. Inter ejuſmodi ſententias quas fide credendas proponit, hæc occurrit *quod incerta ſit animæ origo*.

At nec nono ſæculo definita erat quæſtio, ut colligere eſt ex teſtimonio S. Prudentii Tricaſſini lib. de Prædeſt. adverſus Joannem Erigenam cap. 16. *Naſcitur enim*, inquit, *de carne caro, ſed utrum & anima ſimiliter de anima naſcatur magna quæſtio eſt, & a Patribus diu multumque diſcuſſa, ſed abſque certa definitione relicta*. Quin potius Hugo à S. Victore, qui circa an. 1130. floruit, cum lib. 1. de Sacram. parte 7. cap. 30. probat animam hominis creari & non eſſe ex traduce, hanc ſententiam propugnat ſolummodo ut probabiliorem, *probabilius conſtat animas ex traduce non eſſe*.

Atque hæc perplexitas & dubitatio S. Auguſtini eo liberalius excuſari debet, quod illam defenderit ut catholicum de peccato originali dogma contra Pelagianos aſſereret. Scilicet ex eo potiſſimum negabant iſti peccatum originale quod animæ non ſint ex traduce, ſed a Deo ſolo creentur ; unde , inquiebant , hæc culpa in Deum creantem redundaret, ut conſtat ex lib. 3. de Peccat. Merit. cap. 10. & Epiſtola 190. olim 157. ad Optatum. Quanquam invalidum eſſe hoc argumentum teſtetur Auguſtinus tum in eadem Epiſtola , tum lib. 2. de Peccat. Merit. cap. 26.

Secunda ſententia permultorum eſt Theologorum, qui dicunt ideo peccatum originale traduci ; quia infunditur anima in corpus vitiatum , unde & ipſa inquinatur, ut liquor in vaſe vitiato corrumpitur ; hunc modum peccati originalis propagationem explicandi acceptum referunt S. Auguſtino , qui non alium admiſiſſet, ſi ea tum fuiſſet ejus ſententia , quæ nunc omnium Theologorum eſt, animas non fieri ex traduce, ſed in dies a ſolo Deo creari, id conſtat ex lib. 5. contra Jul. cap. 4. *Ut*

ergo,

Digitized by Google

ergo, inquit, *& anima caro pariter utrumque punitur niſi quod naſcitur, renaſcendo emendetur, profectò aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquam in vitiato vaſe corrumpitur, ubi occulta juſtitia divinæ legis includitur. Quid autem horum ſit verum libentius dico quam dico, ne audeam docere quod neſcio. Hoc tamen ſcio id horum eſſe verum, quod fides vera, antiqua, catholica, qua creditur & aſſeritur originale peccatum, non eſſe convicerit falſum.* At cum, inquiunt iſti Theologi, jam communis omnium doctrina ſit animas per creationem in corpora infundi, ea maxime probari debet explicatio, qua dicitur animam in corpore tanquam in vitiato vaſe corrumpi.

Tertia ſententia ſecundæ non parum affinis, eſt aliorum qui docent peccatum originale traduci per concupiſcentiam, quia nempe cum gignitur homo, per libidinem gignitur, non quidem, ut aiunt, actualem ſed habitualem quæ remanet in baptizatis. Hæc explicatio traductionis peccati originalis legitur paſſim apud S. Auguſtinum, lib. 5. contra Jul. cap. 18. *Qualitas affectionalis mali*, inquit, *de ſubſtantia ad ſubſtantiam non emigrando tranſit, ſed quodam operante contagio, id eſt concupiſcentiæ affectu, ſicut de parentibus morbidis morbida ſoboles procreatur*.

Lib. 1. de nuptiis cap. 1. *Intentio hujus libri hæc eſt, ut quantum nos Dominus adjuvare dignatur, carnalis concupiſcentiæ malum, propter quod homo, qui per illam naſcitur, trahit originale peccatum, diſcernamus a bonitate nuptiarum*. Quapropter cap. 24. ejuſdem libri eo nomine Chriſtum a peccato originali immunem fuiſſe docet, quod ſine concupiſcentia conceptus eſt. *Ex hac concupiſcentia carnis tanquam filia peccati, & quando illi ad turpia conſentitur, etiam peccatorum matre multorum, quæcunque naſcitur proles, originalis eſt obligata peccato, niſi in illo renaſcatur, quem ſine iſta concupiſcentia Virgo concepit. Propterea quando naſci eſt in carne dignatus, ſine peccato ſolus eſt natus*. Quod idem legitur apud S. Thomam 1. 2. q. 81. art. 3. ad 3. & q. 4. de malo art. ad 16.

Quarta vero ſententia eorum eſt, qui putant ejuſmodi traductionem & propagationem peccati originalis non eſſe ex ulla cauſa phyſica repetendam, qualis eſt videlicet infectio corporis, vel concupiſcentia parentum; ſiquidem iſta in veram peccati maculam & rationem per ſe & ex natura ſua neutiquam influunt. Quapropter dicunt ideo peccatum originale in omnes & ſingulos Adæ poſteros traduci, quia ex ſuprema Dei voluntate ſtatutum fuerat, ut omnium voluntates in Adami voluntate continerentur, adeo ut eo peccante peccaverint omnes, *in quo omnes peccaverunt*. In quem plane ſenſum peccati originalis traductionem, propagationem & naturam explicuerunt omnes fere Patres, ut manifeſte liquet ex præcedenti diſputatione, & quam proinde ſententiam cæteris anteponimus.

Hic porro nullum putamus pactum interceſſiſſe Dei cum Adamo, ut in poſteros peccatum derivari poſſet; quemadmodum cenſuit Ambroſius Catharinus opuſculo ſupra citato ob iſta Geneſeos verba, *in quocunque die comederis ex eo, morte morieris*. Quod quidem pactum meram fabulam reputat Sotus lib. 1. de natura & gratia cap. 10. Sed iſtud ſolum intelligimus de ſuprema conſtitutione Dei, qua quidem, cum hominem creavit rectum & impaſſibilem, ſtatuit ut eo peccante tota atque univerſa ejus proles ſimul peccaret, *in quo omnes peccaverunt*. Ii nempe, qui ut aiunt SS. Patres ſupra laudati, præſertim vero S. Auguſtinus, erant cum eo & in eo unus homo.

Quæres utrum ab Adamo ſolum, non ab Eva traductum fuerit peccatum originale.

Reſpondeo. 1. aliquo ſenſu Evam fuiſſe

cau-

Digitized by Google

cauſam, remotam ſcilicet peccati originalis, quatenus cauſa fuit peccati ſeu inobedientiæ Adami, qui ad illius adhortationem vetitum fructum comedit. Unde eſt illud Eccleſiaſtici 25. *a muliere initium factum eſt peccati, & per eam omnes morimur*.

Reſpondeo 2. ex ſolo tamen Adamo traduci, ſiquidem id expreſſe declaratur in Scripturis, ad Rom. 5. *per unum hominem peccatum intravit in mundum*. 1. ad Corint. cap. 15 *Sicut in Adam omnes moriuntur*. Tum vero in illis SS. Patrum teſtimoniis ad aſſerendum peccati originalis dogma ſuperius adductis; ac denique in Concil. Trident. definiente Adamum non ſibi ſoli, ſed nobis etiam gratiam amiſiſſe; quod ſi in illis omnibus locis cauſa peccati originalis in ſolum Adamum & non in Evam rejicitur, certo colligi debet ex ſola Adami perſona contrahi ejuſmodi peccatum.

Atque id demum ſic intelligi debet, ut Eva peccante, ſi Adamus non peccaſſet, peccatum originale non contraxiſſent cæteri homines, ut expreſſe docet S. Thomas 1. 2. q. 81. art. 5. ubi & quorumdam opinionem refellit, qui putabant Eva peccante, ſi Adam non peccaſſet, ſaltem paſſibiles & mortales naſcituros fuiſſe poſteros.

Neque vel minimum ſcrupulum injicere debet locus Eccleſiaſtici mox laudatus, quo enim ſenſu accipi debeat ibidem declaravimus: aut certe pari jure diceretur Diabolum eſſe cauſam proximam peccati originalis, ſiquidem Sapientiæ 2. cap. verſ. 24. hæc leguntur, *invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum*.

Quæres 2. an ſi Adamo non peccante aliqui ex ejus poſteris peccaſſent, horum filii peccatum originale contraxiſſent.

Reſpondeo contra Scotum in 2 diſt. 32. §. *ad argumenta*, in illa hypotheſi nullum veriſimiliter futurum fuiſſe peccatum originale. Et ratio eſt quia nullo fundamento legitimo nititur ſententia Scoti; ex hoc enim ſolum docet Catholica Fides peccatum originale ex Adamo in ejus poſteros traduci, quod & in Scripturis & in SS. Patribus & in Conciliis Adamus totius generis humani caput aſſeratur, *in quo omnes peccaverunt*, *in quo omnes mortui ſunt*, *in quo omnes continentur*, ita ut in eo ſint omnes unus homo: ſcilicet ejuſmodi traductio peccati quo tota vitietur natura, non ex qualicunque humano ratiocinio, ſed ſola autoritate Scripturæ vel Traditionis Divinæ ſtabiliri debet: atqui nullo vel Scripturarum, vel Patrum, vel Conciliorum teſtimonio apparet alium quempiam præter Adamum poteſtatem a Deo accepiſſe tranſmittendi ad filios vel juſtitiam originalem, ſi perſeveraret ipſe; vel peccatum, ſi peccaret: fictitia eſt igitur Scoti ſententia quam expreſse rejicit S. Anſelmus lib. de Conceptu Virginali cap. 25. his verbis: *Hæc autem cauſa quæ fuit in Adam, ut infantes in peccato naſcerentur, non eſt in aliis parentibus, quia non habet in eis poteſtatem humana natura, filii ut juſti propagentur*. Plura ſuper hoc negotio poſtea dicentur, ubi ſumus examinaturi, an omnia parentum peccata tranſeant in filios.

Quæres 3. an ſi Adamus non peccaſſet, omnes ejus poſteri in juſtitia originali ſic nati fuiſſent, ut eſſent in ea confirmati, nec ab ea potuiſſent excidere.

Reſp. probabilius futurum fuiſſe, ut, tametſi non peccaſſet Adamus, omnes e us poſteri in juſtitia originali non fuiſſent confirmati, ſed ab ea potuiſſent excidere. Tum quia id inſinuare videtur S. Auguſtinus lib. 14. de civit. Dei cap. 10. his verbis: *Quam igitur felices erant primi homines & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis: tam felix univerſa ſocietas eſſet humana, ſi nec* illi

illi malum, quod etiam in poſteros trajecerunt, nec quiſquam ex eorum ſtirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet. Tum quia poſterorum Adæ conditio longe melior fuiſſet reſpectu juſtitiæ originalis, quam fuerit ipſius primi parentis; is quippe non fuit in gratia confirmatus, ſed eam ſic accepit, ut peccare poſſet, cum re ipſa peccaverit. Cæterum certi nihil eſſe ſuper iſto negotio ex eo maxime liquet, quod neque ex Scripturis, neque ex SS. Patribus, neque ex Conciliis quicquam definiri poſſit, & aliunde inter ſe non conſentiant Theologi.

Quærunt inſuper Theologi ex quo Adami peccato traducatur peccatum originale, vel potius, quodnam ſit illud in Adamo peccatum quod in ejus poſteris originale eſt.

Reſpondeo primum juxta doctrinam SS. Patrum, in una illa primi parentis tranſgreſſione multa reperiri peccata quæ a multis hæc recenſeri ſolent, ſuperbia qua videtur ſummam appetiiſſe excellentiam a ſerpente ei promiſſam his verbis, *eritis ſicut Dii*; amor uxoris inordinatus; curioſitas experiendi fructum vetitum; dubitatio de ſenſu præcepti divini; peccatum gulæ; inobedientia; & peccati a ſe commiſſi excuſatio. Quoniam vero ſuperbia, gulæ intemperies, & inobedientia tria ſunt præcipua ex enumeratis peccatis, de illis tribus præſertim movetur controverſia.

Reſpondeo 2. primum illud peccatum, quo tota vitiata eſt natura humana, fuiſſe inobedientiam, ſeu divini præcepti eſum pomi vetantis tranſgreſſionem: idque certo colligitur ex Apoſtolo ad Rom. cap. 5. 19. *ſicut enim*, inquit, *per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi*. Quem locum de peccato originali eſſe intelligendum fuse ſupra oſtendimus. Quibus maxime conſentanea ſunt hæc Concilii Tridentini verba ſeſſ. 5. can. 2. *Si quis Adæ prævaricationem ipſi ſoli & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum quod eſt mors animæ, anathema ſit*. Per quod inobedientiæ peccatum haud dubie intelligit eſum fructus per Dei mandatum prohibiti, nullum enim aliud extat Dei præceptum tunc Adamo impoſitum.

Hæc porro inobedientia, in qua dicimus poſitum eſſe capitale illud peccatum, ipſa eſt funeſta gulæ intemperies, qua vetitum fructum comedit Adamus, & quæ merito dicitur inobedientia, quia manifeſta fuit divini mandati violatio; neque vero ſpeciale eſt inobedientiæ peccatum, non conſtat quippe Adamum manducaſſe hunc vetitum fructum ex formali motivo, non obtemperandi divino præcepto.

Quæres denique an peccatum originale ſit æquale in omnibus, adeoque omnes naſcantur æqualiter peccatores.

Reſpondeo ejuſmodi peccatum æquale eſſe in omnibus & ſingulis; ita ut neque in culpa, neque in pœna ſit ulla diverſitas inter eos qui in hoc ſolo peccato decedunt. Et ratio eſt, quia, ut ait S. Cyprianus Epiſt. 59. ad Fidum, nihil eſt in infante recens nato, niſi quod ex Adam generatione traxit: ſed illa carnalis generatio æqualis eſt in omnibus; ſiquidem, ut ſupra dictum eſt, ea ex cauſa per carnalem illam generationem peccatum ex Adam traximus, quia voluntates noſtræ in voluntate Adami erant moraliter contentæ: ſed omnes voluntates æqualiter erant in Adamo, nec ulla ratio eſt propter quam ad unum magis quam ad alium pertineat Adami prævaricatio: ergo peccatum originale æquale eſt in omnibus.

Fuit porro hæc ſententia S. Anſelmi, ſic enim differit lib. de Conceptu Virg. cap. 24. *Sed dico*, inquit, *peccatum originale in omnibus infantibus conceptis*

natu-

Digitized by Google

naturaliter æquale eſſe, *ſicut peccatum Adæ ; quod eſt cauſa cur naſcantur in illo*, *ad omnes pertinet æqualiter*. Fuit & ſententia S. Thomæ 1. 2. q. 82. art. 4. & aliorum deinceps Theologorum.

At, inquies, ex parvulis qui ad uſum rationis perveniunt, alii ſunt magis, alii minus ad malum propenſi: ſed hujuſce inæqualitatis nulla prorſus alia cauſa fingi poteſt præter inæqualem peccati originalis participationem: ergo.

Nego min. quamvis enim non modo unum & æquale ſit peccatum originale in ſingulis infantibus, ſed & æqualis omnino ſit radicalis concupiſcentia, quæ quidem eſt poſtea in adultis peccatorum actualium fons & origo; tamen vel quia diverſitas eſt in complexione hominum; vel quia uni potius quam alteri occurrunt variæ peccandi occaſiones; vel denique nonnullis adſunt præſidia quæ non dantur aliis; contingit ut in ætate adulta non omnes & ſinguli æqualiter peccent.

Utrum præter Peccatum originale alia quoque & Adami & parentum peccata in filios tranſeant.

HUic quæſtioni illud imprimis occaſionem præbuit, quod apud Sanctum Auguſtinum legitur nonnullis in locis, ac præſertim in Enchiridio c. 46. ubi docet non eſſe improbabile parentum peccatis parvulos obligari non ſolum primorum hominum, ſed etiam ſuorum de quibus proxime nati ſunt; quonam ſenſu hæc ſancti Doctoris verba accipi debeant, mox dicturi ſumus.

CONCLUSIO.

Præter primum Adami peccatum quod originale eſt, nulla alia vel ipſius Adami vel poſteriorum parentum peccata traducuntur in poſteros. Ac primo quidem quod pertinet ad alia ipſius Adami peccata præter primum, præter illam inobedientiam quæ cenſetur peccatum totius generis humani.

Id aperte colligitur ex Sacris Scripturis, namque ad Rom. 5. cap. docet Apoſtolus judicium Dei factum eſſe ex uno peccato, *judicium quidem ex uno in condemnationem*. Et poſtea, *ſicut per unius inobedientiam peccatores conſtituuntur multi*. Quæ quidem propoſitiones ſunt manifeſte falſæ, ſi ex Adamo carnali propagatione non unum, ſed plura traducuntur peccata.

Quod vero ſpectat actualia peccata poſteriorum parentum, id ſane perſpicuum eſt ex eodem capite, ubi Adam dicitur ab Apoſtolo *forma futuri*, eo nempe quod per eum ſolum omnes peccaverint; quemadmodum per ſolum Chriſtum omnes juſtificari poſſunt: ſed jam nullum locum habebit iſta antitheſis, ſi in propagatione contagionis originalis ſocios habet Adamus alios poſteriores parentes; alioquin & Chriſto in negotio juſtificationis & redemptionis generis humani tribui poterunt adjutores, quod nemo dixerit.

Hinc & clarius iterum inſtituitur comparatio Adamum inter & Chriſtum in eo ſita, quod ſicut in Chriſto omnes vivificantur, ita & in Adam omnes moriuntur. 1. ad Corint. cap. 15. 21. *quoniam quidem per hominem mors*, *& per hominem reſurrectio mortuorum*. *Et ſicut in Adam omnes moriuntur*, *ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*. Quod quidem jam ſingulare non erit Adamo, ſi & alia parentum proximorum peccata in filios traducantur.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

Ex S. Cypriano Epiſt. 59. quæ eſt ad Fidum. *Infans recens natus*, inquit, *nihil peccavit*, *niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit*. Quæ quidem verba laudat S. Auguſt. lib. 1. contra Julian. cap. 3. ut & S. Hieronymus Dialogo 3. contra Pelagianos

ſub

ſub finem, unde non immerito infertur utrumque hanc doctrinam tenuiſſe.

Sed præſtat S. Auguſtinum audire loquentem in lib. 1. de peccat. mer. cap. 10. *Deinde*, inquit, *quod ſequitur, in quo omnes peccaverunt, quam circunſpecte, quam proprie, quam ſine ambiguitate dictum eſt. Si enim peccatum intellexeris, quod per unum hominem intravit in mundum, in quo omnes peccaverunt, certe manifeſtum eſt alia eſſe propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata ſunt; aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt. Si autem non peccatum, ſed ille unus homo intelligitur in quo uno homine omnes peccaverunt*. Cap. 11. ſic iſta Apoſtoli verba, *qui eſt forma futuri*, interpretatur: *quia*, inquit, *in illo conſtituta eſt forma condemnationis futuris poſteris, qui ejus propagine crearentur, ut ex uno omnes in condemnationem naſcerentur, ex qua non liberat niſi gratia Salvatoris*. Quod idem diſerte docet cap. 12. & clarius iterum cap. 13. his verbis: *Ac per hoc ab Adam in quo omnes peccavimus, non omnia noſtra peccata, ſed tantum originale traduximus, a Chriſto vero, in quo omnes juſtificamur, non illius tantum originalis, ſed etiam cæterorum quæ ipſi addimus peccatorum remiſſionem conſequimur*.

Item S. Anſelmus eandem doctrinam multis rationibus confirmat lib. de Conceptu Virginali cap. 24. *Parentum vero proximorum*, inquit, *peccata ad orginale peccatum non æſtimo pertinere: quippe ſi Adam nequiviſſet ad eos quos generaturus erat, juſtitiam ſuam perducere, nequaquam poſſet eis ſuam injuſtitiam tranſmittere. Quare? quoniam nullus poſt Adam filiis ſuis quivit juſtitiam ſuam ſervare, nullam video rationem cui proximorum parentum peccata filiorum debeant animabus imputari*.

Et hæc fuit communis apud Scholaſticos ſententia, ita enim Magiſter Sentent. lib. 2. diſt. 33. & S. Thomas, qui 1. 2. qu. 81. art. 2. ſic differit in corp. art. *Impoſſibile eſt*, inquit, *quod aliqua peccata proximorum parentum, vel etiam primi parentis præter primum, per originem traducantur, cujus ratio eſt, quia homo generat ſibi idem in ſpecie, non autem ſecundum individuum, ſicut perſonales actus & quæ ad eos pertinent, non traducuntur a parentibus in filios: non enim grammaticus traducit in filium ſcientiam grammaticæ quam proprio ſtudio acquiſivit; ſed ea quæ pertinent ad naturam ſpeciei, traducuntur a parentibus in filios, niſi ſit defectus naturæ, ſicut oculatus generat oculatum, niſi natura deficiat; & ſi natura ſit fortis, etiam aliqua accidentia individualia propagantur in filios pertinentia ad diſpoſitionem naturæ .... Unde ſicut illa originalis juſtitia traducta fuiſſet in poſteros ſimul cum prima, ita etiam inordinatio oppoſita. Sed alia peccata actualia vel primi parentis, vel aliorum non corrumpunt naturam quantum ad id quod naturæ eſt, ſed ſolum quantum ad id quod perſonæ eſt, id eſt, ſecundum bonitatem ad actum: unde alia peccata non traducuntur*.

Quanquam meo quidem judicio præter autoritates mox adductas non alia demum repeti debeat ratio, quam ex divina rerum inſtitutione; neque enim iſta phyſice explicari debent; ſcilicet ex Scripturis & Patribus laudatis perſpicuum fit, ſic res a Deo fuiſſe ordinatas, ut ſi peccaret Adamus, hoc peccatum commune foret omnibus & ſingulis ejus poſteris: quoniam vero idem neutiquam legitur & de aliis ipſius Adæ, & de actualibus aliorum parentum peccatis, ſine ullo plane fundamento affirmaretur hæc omnia peccata ſimul cum originali in homines traduci.

Objicies: hæc ſcribit S. Auguſtinus in Enchiridio cap. 46. *Parentum quo-*

Digitized by Google

mare. Addunt hæc ejuſdem verba l. 6. contra Jul. cap. 7. *utrum ſint etiam alia contagia peccatorum*, *liberum nobis eſt quærere*, *ſive ſit facile*, *ſive impoſſibile reperire*.

Sed meo quidem judicio non ſatis idonea mihi videtur iſta reſponſio. 1. Quia non dubitanter, ſed aſſertive loquitur S. Auguſtinus, hæc enim verba *non improbabiliter dicitur*, idem plane ſonant ac iſta *non improbabiliter dicitur*, quæ ſunt affirmantis, non diſputantis. Cum præſertim non obiter rem pertractet ſanctus Doctor, ſed & in confirmationem ſuæ ſententiæ nonnulla proferat Scripturæ teſtimonia.

Nec moror quod Enchiridii cap. 7. neget ea de re ſe temere quicquam nolle affirmare; ibi quippe non diſputat, utrum peccata actualia poſteriorum parentum traducantur in poſteros, ſed utrum idem confitendum ſit de omnibus originalibus peccatis omnium parentum ab ipſo Adam; ita ut tanto pejus, quanto poſterius quiſque naſcatur.

Quapropter exiſtimo id unum docuiſſe S. Auguſtinum peccata parentum tranſire in filios quoad reatum pœnæ & quidem temporalis, non autem quoad reatum culpæ. Atque hunc eſſe ſenſum S. Auguſtini ex eo primum colligitur, quod utitur hoc verbo *obligant*, quod ſane ſignificat reatum pœnæ non culpæ. 2. Quia & ab eodem S. Aug. & ab aliis Scripturæ interpretibus de pœnis temporalibus ſæpius & commodius explicatur iſte locus Exodi, *reddam peccata patrum in filios*, quem videlicet hic profert ſanctus Doctor. Addi poteſt tertio loco diſerte ab eo negari, *aliorum parentum peccata poſſe ſicut primum mutare naturam*, peccata autem quæ non mutant naturam, ut originale, non propagantur generatione cum ipſo originali. Demum quominus hæc opinio tribuatur S. Auguſtino obſtant maxime ejuſdem apertiſſima teſtimonia quæ in probationibus adducta ſunt; ait enim lib 1. de peccat. merit. cap. 13. nos ab Adamo *tantum originale traduxiſſe*.

Ad locum S. Proſperi, reſpondeo ibi quoque ſermonem eſſe de pœnis, non de culpa; ſcilicet quandoque parentes aggravant peccatum originale, quatenus pœnam ejus temporalem augent: ita enim filius Davidis 2. Reg. cap. 12. mortuus eſt adhuc infans propter adulterium patris. Non aliam porro fuiſſe S. Proſperi mentem colligitur ex verbis quibus utitur, *aggravare* ſcilicet & *relevare*, quæ proprie loquendo pœnam indicant.

Quod ſpectat S. Leonis teſtimonium, monet Queſnellius in editione ſua operum S. Leonis, hunc pannum ex pluribus locis Enchiridii S. Auguſtini conſutum in MSS. pluribus & longe melioris notæ codicibus non inveniri, in tribus ſcilicet Thuaneis, in Cantabrig. ac Trecopithæano; unde hunc a contextu Epiſtolæ S. Leonis expungere non eſt veritus, quanquam in omnibus aliunde editionibus, in quodam MS. codice Victor. & altero reperiatur; quo fit ut illud teſtimonium nihil negotii facere poſſit.

Denique in iis quæ ex S. Greg. M. objiciuntur, nihil plane difficultatis eſt; loquitur enim ſolummodo de peccato originali in illa propoſitione, *etiam parentum peccata portamus*, ut manifeſte liquet ex ſerie contextus; explicans enim hæc Exodi verba, *qui reddis peccata patrum in filios*, ait, nos *peccata parentum portare*, ſed quatenus originali peccato polluitur anima: *reddi ergo*, inquit, *peccata parentum in filios*, *dum pro culpa parentis*, *ex originali peccato anima polluitur prolis*; quæ vero addit in hanc rem ſunt expreſſiſſima. *Et rurſum*, inquit, *non reddit parentum peccata in filios*, *quia ab originali culpa per baptiſmum liberamur*, *jam non*

bedientiam omnes ejus poſteros contraxiſſe peccatum originis, eadem tamen exſurgit fere quæſtio adverſus Calviniſtas, quoad nimirum ſpectat eos qui ex parentibus naſcuntur, in quibus peccatum illud regeneratione expunctum eſt.

Cum ſolemne ſit Catholicis Doctoribus affirmare hoc ipſum eſſe Calvini ejuſque aſſeclarum dogma, peccatum originale non tranſire in filios fidelium, id meram in nobis calumniam eſſe contendunt ex illa ſecta nonnulli recentiores, ſic enim loqui non veretur Chamierus tom. 3. lib. 5. c. 1. Verum nullius calumniæ hac in parte reos eſſe orthodoxos, quin potius Chamierus, eum ſuos excuſat, fucum facere ex eo manifeſte conſtat, quod hæc doctrina certiſſime Calvini eſt lib. 4. inſtit. cap. 16. num. 24. & 25. ubi ait filios fidelium ante ſuſceptum baptisma ad fœderis hæreditatem pertinere, a baptismo tamen non eſſe arcendos, non quod hoc lavacro abſtergatur peccatum originale, ſed ut veluti membra in unum Eccleſiæ corpus cooptentur; unde baptisma non eſſe his infantibus abſolute neceſſarium audacter pronunciat, negans baptismi fieri mentionem his verbis Joan. 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum cœlorum.*

Ad hæc riſu plane dignus eſt modus quo fidem Calvini vindicare conatur Chamierus loco mox citato: *Primo*, inquit, *non imputari filiis fidelium originis peccatum non dixit Calvinus iis ſaltem locis qui numerantur, aut aliis ullis quos viderim. Nec ſane abſque exceptione verum. Multi enim ſunt fidelium filii reprobi, quibus imputari peccatum originale, quomodo negari poſſit non video. Secundo, etſi dixiſſet, prorſus tamen abſurdum eſt inde concludi nullum eſſe peccatum originale. Nam quis neſcit ſolemne eſſe Calvino non imputari poſt baptiſmum illud ipſum peccatum, & tamen manere? Cur non poſſit æque ante baptiſmum? Cur, inquam, non poſſit & ineſſe pueris peccatum originale, & tamen non imputari? Atque id omnino verum in infantibus ſaltem electis. Denique ſi verum, non imputari; ergo verum, eſſe in infantibus.* Et poſtea, *dixiſſe eoſdem eſſe ſanctos etiam ante baptiſmum agnoſco, ſed nego ſequi: ergo non habere peccatum originis, illud ſane ſancit a Paulo Calvinus, 1. Corint. 7. ubi rem totam dilucide exponit.* Teſte Chamiero docet Calvinus in filiis fidelium eſſe peccatum originis, ſed ipſis non imputari ante ſuſceptum baptisma, uti & poſt baptiſmum remanet, ait, id præſertim verum eſſe in Electis, ac denique profitetur parvulos ante baptiſmum eſſe ſanctos, & tamen eos habere peccatum originis; ecquis non ſtupeat hominis audaciam, cum Romanæ Eccleſiæ Theologos velut calumniatores exagitat?

Sed neque minus aperte falſam atque erroneam hanc doctrinam tradunt cæteri Calviniſtæ. Sic enim inter alios v. g. Petrus Martyr in locis communibus loco 1. num. 31. *De parvulis autem Chriſtianorum*, inquit, *qui abſque hoc Sacramento* baptiſmi, *decedunt, ſi interrogarer, reſponderem de illis ſpem bonam habendam eſſe, eamque niti verbo Dei, nimirum fœdere ac pacto inito cum Abrahamo, quo Deus pollicetur, ſe non tantum illius fore Deum, verum etiam ſeminis ejus.* Et num. 38. explicans illud Apoſtoli, *filii veſtri ſancti ſunt, Apoſtolus ſignificare videtur*, inquit, *aliquid ſanctitatis in filios a piis parentibus redundare, quæ tamen a carne non pendeat, ſed a promiſſione data in fœdere. Noſque hujus promiſſionis ſpe freti parvulos noſtros offerimus Eccleſiæ baptizandos, quod ad Deum & ad Chriſtum pertineant, ut promiſſio quam jam diximus, aliquo externo ſigillo confirmetur.*

Idem ſcribit Windelinus exercitatione 40. in vindiciis pro ſua Theologia Chriſtiana, idem Voſſius de baptiſmo diſput. 7. num.

petua Eccleſiæ conſuetudo atque lex, ut parentum etiam fidelium ac juſtorum filii baptizarentur, iiſque abſolute neceſſarium reputaretur baptiſma; quemadmodum multis in locis contra Pelagianos docet S. Auguſtinus. *Explicent etiam*, inquit, lib. 2. de peccat. merit. 25. *quomodo juſtum ſit, ut ſancti ex fidelibus & immundi ex infidelibus nati, pariter tamen, ſi baptizati non fuerint, regnum Dei non permittantur intrare. Quid ergo illis iſta ſanctitas prodeſt?* Idem ſcribit cap. 26. 27. & 28. lib. 6. contra Jul. cap. 3. &c.

Objicies: Abrahæ & ſemini ejus benedixit Deus fœdere ſempiterno. Geneſ. 17. *Statuam pactum fœdere ſempiterno ut ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te*. Sed eo ipſo quo quis ad illam Abrahæ promiſſionem pertinet, non contrahit peccatum originale: ergo ſaltem filii fidelium non contrahunt peccatum originale.

Nego min. ejuſmodi enim promiſſio de benedictione ſpirituali intellecta, ut ipſe interpretatur Apoſtolus ad Rom. cap. 4. & 9. id unum ſignificat hoc Abrahæ ſemen, hanc Abrahæ familiam præ cæteris elegiſſe Deum, ut ab ea æternum coleretur, ut ſatis deprehenditur ex ipſis verbis, *ſtatuam pactum fœdere ſempiterno, ut ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te*. Id eſt, ut non habeas alium Deum præter me; quæ certe nec vel leviter indicant filios Abrahæ deinceps non contracturos peccatum originale; tametſi enim parvuli naſcentur de ſemine Abrahæ, tamen ſunt natura filii iræ, nemo enim mundus a ſorde, ſi ſit communi generationis lege prognatus ab Adamo, in quo omnes peccaverunt.

Objicies: ſic de ortu ſuo loquitur Sapiens Sapient. 8. cap. *puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam; & cum eſſem magis bonus veni ad corpus incoinquinatum*. Ergo ſapiens non maculatur peccato originali.

Diſt. ant. incoinquinatum multis ſceleribus, C. peccato originali, N. Scilicet ad litteram de ſe ipſo ibi loquitur Salomon, aitque ſe bonam a Deo accepiſſe mentem præclaris dotibus inſtructam, quæ quidem & poſtea aſſiſtrice ſapientia fuit ornata, tum vero ad corpus incoinquinatum & impollutum acceſſit, hoc eſt, nulla fœditate venerea, nulla turpitudine maculatum: ſed iſta dubio procul ad peccati originalis traductionem nihil omnino attinent.

Mitto hunc locum a multis interpretibus poſt S. Auguſtinum lib. 10. de Geneſ. ad litteram cap. 18. explicari de Chriſto, qui ſolus animam bonam & corpus impollutum ſortitus eſt, ut enim ibidem admonet Sanctus Doctor, Sapiens ait eo loci de ſemine viri ſe conceptum, quod certe ad Chriſtum accommodari non poteſt.

Objicies: ex Apoſtolo ad Rom. c. 11. *quod ſi delibatio ſancta eſt & maſſa, & ſi radix ſancta eſt & rami*. Atqui filii fidelium ſunt rami radicis ſanctæ: ergo ſancti ſunt, proindeque non contrahunt peccatum originale.

Diſt. conſ. ſancti ſunt, id eſt, ſanctitati & veræ religioni proxime deſtinati, C. id eſt, ab ipſo peccato originali immunes, N. id unum hac comparatione oſtendit Apoſtolus Judæos ex Patribus & Patriarchis ſanctis natos, potiori ratione gratiæ Dei participes quam Gentiles, ita tamen ut nonniſi per baptiſmum & Chriſti fidem ſancti fiant, ſunt enim natura filii iræ: non aliam fuiſſe Divi Pauli mentem ſatis ſuperque intelligitur ex iis quæ ſequuntur in eodem capite. Neque vel minima ſimiliter occurrit difficultas in hoc loco capitis quarti ad Galatas 11. 29. ubi dicitur Iſaac natus ſecundum ſpiritum; ſenſus eſt enim Iſaac natum ex ſpeciali Dei voluntate ſupra virtutem naturalem carnis ex patre ſene & matre ſterili. Stupeo Calvinum tam vana

Digitized by Google

ab omni peccato, per poſteros Adami uſque ad B. Virginem, ex qua parte materiæ corpus Chriſti formatum eſt; horum ſententiam refert Hugo a S. Victore lib. 2 de Sacram. part. 1. cap. 5. quam putamus omnino fictitiam & gratis aſſertam.

Volunt alii Chriſtum Dominum idcirco non contraxiſſe peccatum originale, quod per carnis concupiſcentiam & juxta communem generationis viam non fuit conceptus. Sed ejuſmodi rationem non eſſe ex omni parte accuratam ex eo colligi poteſt, quod doceat Catholica fides peccatum originale non fuiſſe in Chriſto; idem vero peccatum originale traduci ab hominibus per concupiſcentiam, mera ſit opinio ab omnibus minime recepta; ſed nemo neſcit fidem catholicam niti non poſſe ſententia mere probabili & dubia. Eſt igitur alia demum quærenda ratio; eam puto veriſſimam, qua Chriſtus ideo dicitur ſine peccato originali conceptus, quia vere fuit Deus, *quod ex te naſcetur ſanctum Filius Dei*. Quaſi dixiſſet Angelus, ſanctus erit, & ſine ulla peccati macula, quia Filius Dei ſine peccato eſt.

Quæſtio vero eſt de Jeremia Propheta, & de S. Joanne Baptiſta: Nam Jeremias 1. cap. verſ. 4. ſic loquitur, *& factum eſt Verbum Domini ad me dicens, Priuſquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva ſanctificavi te*. Et de Joanne Baptiſta dicitur, Lucæ 1. cap. 41. *& factum eſt ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabeth*.

Ex his autem Scripturæ teſtimoniis colligitur utrumque Prophetam ante nativitatem in utero matris ſanctificatum per divinæ gratiæ ſanctificantis infuſionem; quamvis in peccato originali juxta communem legem concepti fuerint, quæ quidem ſententia & Patrum & omnium fere Theologorum eſt; unum inter alios ſuper ea re Auguſtinum audire præſtat lib. 4. operis imperf. cap. 134. *Quia*, inquit, *Jeremias & Joannes quàmvis ſanctificati in uteris matrum, traxerunt tamen originale peccatum .... erant ergo illi & natura filii iræ ab uteris matrum & gratia filii miſericordiæ ab uteris matrum, quia nec illa eis adhuc inerat ſanctitas, quæ vinculum ſolveret ſucceſſionis obnoxiæ, quod ſuo tempore ſolvi oportebat, & inerat tamen quæ præconem Chriſti a maternis viſceribus deſignabat*. Idem docet S. Thomas 3. p. q. 27. art. 6.

Dehinc & idem ambigitur de B. Virgine Maria, ſed quoniam ſuperiorum ſæculorum ingenia plurimum exercuit iſta quæſtio pertinaciſſimis diſceptata contentionibus, paulo accuratius & prolixus tractanda eſt.

De Conceptione B. Mariæ Virginis.

De Conceptione B. Mariæ Virginis duo potiſſimum veniunt in controverſiam: primum an fuerit pura & immaculata, ſine labe peccati originalis; ſecundum, poſito quod peccatum originale non contraxerit B. Virgo, num iſtud tanquam fidei catholicæ dogma ſit credendum. Utrique huic quæſtioni priuſquam faciam ſatis, operæ pretium mihi facturus videor, ſi ad faciliorem rei intelligentiam nunc velut hiſtorice præmiſero quæ ab ipſius diſputationis origine geſta ſunt; tum & ſingulas recenſuero aut Conciliorum aut ſummorum Pontificum coſtitutiones, quo melius unicuique res tota pateſiat.

Certum eſt nullam omnino apud veteres ad ſæculum uſque duodecimum de Conceptione B. Virginis, an videlicet fuerit immaculata & ſine peccato originali necne, fuiſſe concertationem. Quæ vero poſtea inter Theologos emerſit, controverſiæ occaſionem ſuppeditaſſe videtur hujus feſti obſervatio quæ apud pleroſque inolevarat, a multis vero impro-

improbata rejiciebatur; inde enim, ut opinor, factum, ut ab Epiſcopis & Doctoribus examinaretur accuratius, quid in ejuſmodi feſtivitate colerent fideles.

Circa annum 1140. S. Bernardus, in laudibus B. Mariæ Virginis decantandis alioquin liberalis & profuſus, prolixam ſcripſit Epiſtol. ad Canonicos Lugdunenſes, in qua non ſolum reprehendit feſtivitatem conceptionis Deiparæ inconſulta ſede Apoſtolica inſtitutam; verum etiam ipſam conceptionis ſanctitatem ſeu immunitatem a peccato originali. *Miramur ſatis*, inquit, *quid viſum fuerit hoc tempore quibuſdam veſtrum voluiſſe mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Eccleſiæ neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Nunquid Patribus aut doctiores, aut devotiores ſumus? ... at valde honoranda eſt, inquis, mater Domini; bene admones; ſed honor Reginæ judicium diligit. Virgo regia falſo non eget honore veris cumulata bonorum titulis, infulis dignitatum. Honora ſane integritatem carnis, vitæ ſanctitatem, mirare fœcunditatem in virgine, prolem venerare divinam. Extolle neſcientem vel in concipiendo concupiſcentiam, vel in pariendo dolorem. Prædica reverendam Angelis, deſideratam gentibus, Patriarchis, Prophetiſque præcognitam, electam ex omnibus, prælatam omnibus.* Et poſtea cum ejus nativitatem & vitam ab omni peccato immunem agnoviſſet, rationes colendæ conceptionis dedita opera refellit. *Quid adhuc addendum*, inquit, *his putamus honoribus? ut honoretur*, *inquiunt*, *& conceptus, qui honorandum præivit partum: quoniam ſi ille non præceſſiſſet, nec iſte eſſet qui honoratur. Quid ſi alius propter eandem cauſam, etiam utrique parenti ejus feſtos honores afferat deferendos? ſed de avis, & proavis id ipſum poſſet pro ſimili cauſa quilibet flagitare, & ſic tenderetur in infinitum, & feſterum non eſſet numerus. Patriæ eſt non exilii frequentia hæc gaudiorum, & numeroſitas feſtivitatum cives decet, non exules. Sed profertur ſcriptum.* Quod videlicet tribuitur Helſino abbati Anglo apud Anſelmum pag. 505. *ſupernæ, ut ajunt, revelationis, quaſi & quivis non queat ſcriptum æque producere, in quo Virgo videatur id ipſum mandare & de parentibus ſuis juxta Domini mandatum dicentis, Honora patrem tuum & matrem tuam. Ipſe mihi facile perſuadeo ſcriptis talibus non moveri quibus nec ratio ſuppeditare, nec certa invenitur facere autoritas ... Unde ergo conceptionis ſanctitas? an dicitur ſanctificatione præventa, quatenus jam ſancta conciperetur, ac per hoc ſanctus fuerit & conceptus, quemadmodum ſanctificata jam in utero dicitur, ut ſanctus conſequeretur & ortus? Sed non valuit ante ſancta eſſe, quam eſſe, ſiquidem non erat, antequam conciperetur. An forte inter amplexus maritales ſanctitas ſe ipſi conceptioni immiſcuit, ut ſimul & ſanctificata fuerit & concepta? Nec hoc quidem admittit ratio ... quamobrem etſi quibus vel paucis filiorum hominum datum eſt cum ſanctitate naſci, non tamen & concipi; ut uni ſane ſervaretur ſancti prærogativa conceptus, qui omnes ſanctificaret, ſoluſque abſque peccato veniens, purgationem faceret peccatorum. Solus itaque Dominus Jeſus de Spiritu Sancto conceptus, quia ſolus & ante conceptum ſanctus, quo excepto de cætero univerſos reſpicit ex Adam natos, quod unus humiliter de ſe ipſo ac veraciter confitetur, In iniquitatibus, inquiens, conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.*

Hanc porro Epiſtolam fere integram exſcripſi, ut inde cuivis manifeſte pateat, quam frivolum & inane ſit, quod nonnulli dicunt S. Bernardum in ea neutiquam negaſſe conceptionem immaculatam; ibi enim 1. teſtatur clariſſimus Abbas honore falſo coli Deiparam, cum

cum illius conceptionis celebratur feſtivitas. 2. Inter Joannem Baptiſtam ac Jeremiam & B. Virginem nullum omnino diſcrimen agnoſcit, niſi penes majorem ac minorem gratiæ plenitudinem. 3. Verbis utitur expreſſiſſimis: *Unde ergo conceptionis ſanctitas? An dicitur ſanctificatione præventa, quatenus jam ſancta conciperetur?* 4. demum, ait ſolum Chriſtum peccato originali non ſubjacuiſſe, quia ſolus de Spiritu Sancto conceptus; quæ quidem Divi Bernardi mentem tam aperte declarant, ut in iis excutiendis diutius immorari pigeat.

Obſervat doctiſſimus Mabillonius in notis ad præfatam Epiſtolam, aliter acceptum fuiſſe nomen conceptionis ab antiquioribus Theologis, aliter vero a recentioribus; ſiquidem illi conceptionem ſumebant active pro formatione embrionis quæ animæ infuſionem antecedit, ut colligimus ex Alexandro Alenſi, qui parte. 1. q. 9. memb. 2. art. 1. diſtincte quærit, 1. *An B. Virgo fuerit ſanctificata in conceptione.* 2. *An poſt Conceptionem ante animæ infuſionem &c.* Tum ex S. Thoma in M. diſt. 3. q. 1. art. *Ad hoc dicendum*, inquit, *quod B. Virgo nec ante Conceptionem nec in Conceptione aute animæ infuſionem ſanctificata ſit:* qua ex cauſa contigit, ut quamvis iſti Doctores, immo Albertus M. & S. Bonaventura exiſtimaverint B. Virginem in Conceptione ſumpta pro inſtanti infuſionis animæ ſubjacuiſſe peccato originali, nunquam tamen S. Bernardum in hujus ſuæ ſententiæ patrocinium adduxerint, ſed eo tantum uſi ſint ut illam partem defenderent, qua videlicet contendebant Conceptionem B. Mariæ ſumptam pro embrionis formatione, quæ animæ infuſionem antecedit, non fuiſſe ſanctificatam: ſic enim Albert. M. in 3. diſt. 3. art. 4. *Dicimus*, inquit, *quod B. Virgo non fuit ſanctificata ante animationem, & qui dicunt oppoſitum, eſt hæreſis condemnata a B. Bernardo in Epiſtola ad Lugdunenſes & a Magiſtris omnibus Pariſienſibus.* Ita S. Bonav. in 3. diſt. 1. q. 1. ex qua quidem duplicis Conceptionis diſtinctione factum eſt, ut totam hanc Bernardi Epiſtolam de Conceptione quæ animæ infuſionem antecedit, iidem Doctores explicent.

Sed pace dixerim, mentem D. Bernardi dubio procul non ſunt aſſecuti; ſi enim exiſtimaſſet S. Doctor B. Virg. Conceptionem ſumptam proprie, quomodo nunc accipitur ab omnibus Theologis pro inſtanti infuſionis animæ, puram fuiſſe & immaculatam, profecto id ſilentio non prætermiſiſſet; in eadem enim hac Epiſtola, in qua totis viribus & argumentis undequaque arreptis conatur oſtendere Conceptionem B. Virginis non fuiſſe ſanctificatam; ex altera parte, cum nihil honoris eidem B. Mariæ debiti detractum a ſe velit, totus eſt in ejus titulis & honoribus prædicandis: *Honora ſane*, inquit, *integritatem carnis, vitæ ſanctitatem, mirare fœcunditatem in virgine, prolem venerare divinam, extolle neſcientem vel in concipiendo concupiſcentiam, vel in pariendo dolorem. Prædica reverendam Angelis, deſideratam Gentibus, Patriarchis, &c.* Ac ſubinde fatetur ejus Nativitatem fuiſſe ſanctificatam, eam ſingulari privilegio abſque omni peccato actuali vitam duxiſſe, Aſſumptionis in Cœlum feſtivitatem approbat; quidni vero negans illam fuiſſe ſanctificatam ante infuſionem animæ, aperte non profitetur eam ipſo inſtanti infuſionis animæ a peccato originali præſervatam, ſi tum ea fuit illius opinio.

Addo inſuper ſic de B. Virgine diſſerere Bernardum, ut eam nonniſi paulo ante ortum ſeu nativitatem in utero matris ſanctificatam fuiſſe aperte declaret §. 3. *Sed & ortum Virginis didici nihilominus in Eccleſia & ab Eccleſia indubitanter habere feſtivum atque ſanctum, firmiſſime cum Eccleſia ſentiens in utero eam accepiſſe ut ſancta prodiret*, quaſi dicat, ſolum ut ſanctificata naſceatur.

Et §. *Fuit proculdubio & mater Domini ante ſancta quam nota*. Scilicet nomen, *ſanctificationis*, quo utitur, manifeſte ſupponit peccatum originale prius fuiſſe contractum.

Adde quod non aliud privilegium tribuit B. Virg. quam Jeremiæ & S. Joanni Baptiſtæ; poſtquam enim multis oſtendit utrumque in utero matris ſuæ ante ortum a reatu peccati originalis, *quem in Conceptione traxerant*, fuiſſe liberatum, idem B. Virgini non eſſe denegandum putat: *Quod itaque*, inquit, *vel paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum, fas certe non eſt ſuſpicari tantæ Virgini eſſe negatum, per quam omnis mortalitas emerſit ad vitam*.

Quin etiam neminem eſſe puto qui non cernat ad iſtam quæſtionem, male omnino accommodatam eſſe hanc duplicis conceptionis diſtinctionem; plane enim liquet controverſiam non moveri niſi de conceptione paſſive, ut ajunt, ſumpta pro inſtanti infuſionis animæ; quid ſit enim illud peccatum originale, quo macularetur infans ante infuſionem animæ, ego quidem non video.

Sunt alii qui, quoniam in ſcriptis Divi Bernardi nævum eſſe reputant, quod docuerit B. Virginem non ſtatim in ſua conceptione ab originali peccato non fuiſſe immunem, hanc Epiſtolam S. Bernardo adjudicant: cujus quidem commenti falſitas vel hoc ſolo convincitur, quod in omnibus etiam antiquiſſimis Bernardi editionibus hæc Epiſtola inter eas occurrat, quæ ipſius propriæ ac germanæ cenſentur, uno ore & mira quadam conſenſione citatur ab omnibus antiquioribus Alberto M. Alex. Alenſi, Divo Thoma, S. Bonavent. Richardo a S. Victore, & quibuſdam aliis qui hujus Epiſtolæ potiſſimum auctoritate nituntur, ut ſententiam immaculatæ Conceptionis reſpuant; tum vero & ab aliis qui ejus puritatem ſtudioſiſſime coluerunt, quales inter alios Scotus, Gabriel, Thomas Argentinenſis, Holcot, Capreolus, Dionyſius Carthuſianus, Joannes Bacon, Franciſcus de Mayron, & alii quos percenſere foret infinitum.

Neque eſt quod in refellendis adverſariorum ratiunculis pluribus laborem, cum nihil ab iis aſſeratur quod per ſe ipſum non corruat. 1. enim quod dicunt B. Bernardum multo tempore a ſecretis uſum Nicolao quodam falſitatum architecto peritiſſimo, plane frivolum eſt; ſi enim huic ſuſpicioni locus detur, nulla manebit ſatis certa Bernardi Epiſtola.

Dicunt 2. haberi in illa Epiſt. ignotam in Eccleſia Feſtivitatem Conceptionis quam inducebant Lugdunenſes: *Unde miramur quod viſum fuerit hoc tempore quibuſdam veſtrum mutare voluiſſe colorem optimum, novam inducendo celebritatem quam ritus Eccleſiæ neſcit*. Quæ quidem ſcribere non potuit Bernardus, inquiunt, neque enim ignorabat uſum illius feſti in tota Gallia celebrem & antiquitus receptum: hujus fit mentio in Martyrologiis Bedæ, Uſuardi & Adonis, quod poſtremum a Caroli M. temporibus recitari cœptum eſt: ignorare etiam non potuit Galliæ Narbonenſis morem, apud quam Iſidori Calendarium in uſu erat, & Miſſa de Conceptione jam tunc dicebatur.

Sed nec ullius plane momenti eſt ejuſmodi ratio. 1. quia certum eſt illis omnibus Martyrologiis multa ſubinde in decurſu temporum fuiſſe adjecta; quod idem ſuſpicari liceat de Calend. Iſidori. 2. quia ut teſtatur Gulielmus Altiſſiodorenſis lib. 3. Summæ tract. 1. c. 3. *Mauritius Epiſcopus Pariſienſis prohibuit ne feſtum Conceptionis Mariæ celebraretur in Eccleſia Pariſienſi*. Fuit iſte præſul Bernardo coætaneus; unde facile intelligitur nondum ubique in Galliis receptam fuiſſe hanc celebritatem. 3. demum, quia S. Thomas 3. p. q. 13. non omnes, ſed *aliquos*, dicit Conceptionem Virginis celebrare. S. Bonav. ibi-

Digitized by Google

ibidem, *ſunt quidam qui eam ex ſpeciali devotione celebrant*. Et Henricus a Gandavo quodlibeto 15. q. 13. teſtatur Normannos præ cæteris populis illam Conceptionem celebrare propter quandam revelationem ſibi factam; cui teſtimonio conſentiunt quæ ſcribit S. Bernardus ad Canonicos Lugdunenſes, *non ita præcipitanter atque inconſulte paucorum ſequendam ſimplicitatem imperitorum*.

Denique quod nonnullos contextus Bernardo tribuunt in gratiam immaculatæ Conceptionis, quales ſunt ſermones, *de Nativitate Domini*, alter, cui titulus eſt, *Sermo de B. Maria*; alii vero in *Salve Regina* editi, nihil omnino promovent, quia ut docet Mabillonius, eatenus ſuppoſititiis Divi Bernardi operibus utuntur; quin potius, ſi ad aliud ejus opus recurramus, manifeſtum erit ex ſermone 2. de Aſſumptione B. M. opinatum fuiſſe Bernardum peccato originali eam ſubjacuiſſe: *Quod ſi originalem a parentibus maculam traxit, ſed minus a Jeremia ſanctificatam in utero, aut non magis a Joanne Spiritu Sancto repletam credere prohibet pietas Chriſtiana; nec enim feſtis laudibus naſcens honoraretur, ſi non ſancta naſceretur. Poſtremo cum omnimodis conſtet ab originali contagio ſola gratia mundatam eſſe Mariam &c.* Atque de S. Bernardo ſatis multa.

Ad initium ſæculi 14. Joannes Scotus Franciſcanæ familiæ Doctor ſubtilis, de Conceptione B. V. verba faciens, & miſſis in deliberationem variis hinc & inde in utramque partem opinionibus, tandem concludit Deum efficere potuiſſe, ut Maria vel in peccato non naſceretur, vel momento tantum temporis, aut etiam ad tempus peccato obnoxia exiſteret; extant ejus verba in 3. Sentent. diſt. 3. q. 1. *Ad quæſtionem dico, quod Deus potuit facere, ut nunquam B. Virgo fuerit in peccato originali, potuit etiam feciſſe ut ipſa tantum in uno inſtanti fuiſſet in peccato: potuit etiam facere quod per tempus aliquod eſſet in peccato, & in ultimo inſtanti illius temporis purgaretur. Quod autem horum trium quæ oſtenſa ſunt eſſe poſſibilia ſit factum circa Mariam Deus novit. Si autem auctoritati Scripturæ non repugnat, videtur probabile quod excellentius eſt attribuere Mariæ.*

Hujus eximii Doctoris ſententiam amplexi Minoritæ, quod is veluti probabile propoſuerat, hi factum eſſe uno ore ſimpliciter pronuntiarunt, ubique & verbis & ſcriptis contendentes immaculatam eſſe Beatæ Virg. Conceptionem. Atque inde natum illico grave diſſidium Franciſcanos inter & Dominicanos: nitebantur iſti potiſſimum auctoritate Divi Thomæ qui ex eodem Ordine percelebris Theologi famam ſuperiori ſæculo ſibi pepererat.

Is porro Virginem Deiparam in peccato originali conceptam fuiſſe perſpicue docet non uno in loco, ſic v. g. in 3. p. q. 27. art. 2. *Sanctificatio B. V. non poteſt intelligi ante animationem, nec in inſtanti animationis, ſed poſt animationem, aliter enim non incurriſſet maculam peccati originalis, & per conſequens non indiguiſſet redemptione & ſalvatione facta per Chriſtum, quod eſt inconveniens*. in 3. ſent. diſt. 3. art. 1. *Virgo B.* inquit, *fuit in originali peccato concepta, propter quod ſcribit Beatus Bernardus Conceptionem ipſius non eſſe celebrandam*. In compendio Theologiæ opuſculo 3. cap. 223. *Oportuit ſiquidem*, inquit, *quod cum peccato originali conciperetur, utpote quæ ex utriuſque ſexus commixtione concepta fuit. Hoc enim privilegium ſibi ſoli ſervabatur .... ſimiliter etiam, quia, ſi cum peccato originali concepta non fuiſſet, non indigeret per Chriſtum redimi. Et ſic non eſſet Chriſtus univerſalis hominum Redemptor, quod derogat dignitati Chriſti. Eſt ergo tenendum, quod cum peccato originali concepta fuit, ſed ab eo quodam ſpeciali modo purgata fuit*. In quodlibe-

Digitized by Google

libro 6. qu. 4. art. 1. *Beata Virgo*, inquit, *fuit concepta cum peccato originali, quia fuit in Adam ſecundum rationem ſeminalem; & generata fuit ex commixtione ſexuum ſicut cæteri*.

His præeuntibus Magiſtris in Theologia Scholaſtica, quæ tum Pariſiis altas radices agere incipiebat, quotquot in Petri Lombardi ſententias ſcripſerunt, partes utrinque ſuas acriter defenderunt; ſed inter varias opinantium concertationes effecit poſtmodum pia quædam in B. Virginem propenſio propter reverentiam Chriſto debitam, ut non modo vulgus, ſed & plerique vel doctiſſimi Theologi partibus Franciſcanorum adhæſerint. Quin & ipſa Academia Pariſienſis jam tum aliarum facile princeps eandem ſententiam calculo ſuo approbavit, nec quemquam paſſa eſt Dominicanorum partem tueri, quem ſtatim animoſe non oppugnaverit.

Anno 1387. Hiſpanus quidam Dominicanus Joannes de Monteſono quatuordecim emiſit propoſitiones, quas ſtatim pro ſuo in cultum Deiparæ zelo condemnavit Schola Pariſienſis. Una ex illis hæc fuit, *eſſe expreſſe contra fidem, non omnem hominem præter Chriſtum contraxiſſe ab Adam peccatum originale*. Quam propoſitionem his verbis confixit ſacra Facultas, *Hæc propoſitio revocanda eſt tanquam falſa & ſcandaloſa & piarum aurium offenſiva & præſumptuoſe aſſerta, non obſtante probabilitate quæſtionis, utrum B. Virgo fuerit in peccato originali concepta*. Altera propoſitio, *eſſe expreſſe contra fidem B. Virginem Mariam & Dei genitricem non contraxiſſe peccatum originale*. Cujus cenſura, *hæc propoſitio revocanda eſt tanquam falſa, ſcandaloſa, præſumptuoſe aſſerta, & piarum aurium offenſiva*. Adeo ſcilicet magnus tum fuit in majoribus noſtris in puram & immaculatam Beatæ Virginis Conceptionem tuendam ardor. De Joanne Monteſono hoc narrat Guaguinus in Hiſtoria Francorum ubi de Carolo VI. *Per hanc tempeſtatem Joannes Monteſonus ad populum de Divæ Mariæ Virginis puritate concionatus, eam originali contaminatione reliquæ humanæ propaginis inſtar, fuiſſe infectam diſſeruit, quem alter ejuſdem ordinis Theologus imitatus, cum Rothomagi de re ipſa ſermonem haberet: Ego*, inquit, *niſi palam oſtendero Chriſti matrem paternæ originis labem, dum conciperetur, contraxiſſe, Huetus appellari non recuſo, (eſt enim id apud Francos nomen ridiculum) eam ob rem diu in conſuetudine fuit, ne ejus ordinis Fr. Hueti a pueris paſſim vocarentur*.

Anno ſequenti cum alter Dominicanus Gulielmus Ebroicenſis Epiſcopus, necnon Carolo VI. a Confeſſionibus, cum Joannis de Monteſono propoſitiones defendere auſus eſſet; ſacra Facultas promovente potiſſimum Petro de Alliaco tunc temporis Academiæ Cancellario meritiſſimo, poſtmodum vero Cardinali & Cameracenſi Epiſcopo, eundem compulit ad revocanda quæ in cenſuram Univerſitatis protulerat; ſic vero locutus eſt coram Rege & ſacro Conſiſtorio: *Ego Gulielmus Ebroicenſis Epiſcopus male motus, inconſulte & male informatus dixi quod propoſitiones aliquæ condemnatæ fuerunt per Univerſitatem quæ ſunt veræ & catholicæ, & quod auderem eas prædicare & dogmatizare coram Rege & Papa aut alias ubicunque. Item addidi & dixi quod Magiſtri Univerſitatis Pariſienſis non intelligebant doctrinam S. Thomæ*. Atque ita poſtmodum ex ejuſdem Academiæ ſollicitudine toties improbata & publice condemnata fuit Dominicanorum opinio, quoties renovata.

Inſigne vero eſt ſuper ea re decretum Concilii Baſileenſis in Seſſione 36. an. 1439. editum his verbis: *Nos diligenter inſpectis autoritatibus & rationibus quæ jam a pluribus annis in publicis rationibus ex parte utriuſque doctrinæ coram hac ſancta Synodo allegatæ ſunt, aliiſque*

etiam

Digitized by Google

etiam plurimis ſuper hac re viſis & matura conſideratione penſatis, doctrinam illam diſſerentem glorioſam Virginem Dei genitricem Mariam, præveniente & operante divini Numinis gratia ſingulari, nunquam actualiter ſubjacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali & actuali culpa, ſanctamque & immaculatam tanquam piam & conſonam culti Eccleſiaſtico, fidei catholicæ, rectæ rationi & Sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam, definimus & declaramus, nullique de cetero licitum eſſe in contrarium prædicare & docere.

Sed quoniam apud multos male audiebat hæc Baſileenſium definitio, eo potiſſimum nomine quod ab Eugenii Romani Pontificis obedienria tunc deſciverat Concilium, huic decreto ut fidem & autoritatem aſſererent Magiſtri Pariſienſes, hoc idem ſua ſolemni conſtitutione evulgarunt his verbis: *Cum proximo ſæculo quæſtio de puritate conceptionis feliciſſimæ Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti genitricis Mariæ ſolito frequentius agitari cœpiſſet, Spiritu Sancto ſcilicet ejus rei veritatem aliquando propropagari volente, diligentius utriuſque partis libratis rationibus, primum pro tempore ſuum prudentiſſime ſuſpenderunt judicium. Demum in eam partem inclinatiores, quæ Virginis gloriæ & puritati aſtipulari videbatur: ita eorum vaniſſimam temeritatem diſputando confutaverunt, qui citra efficacem probationem Virginem in originali peccato fuiſſe conceptam obſtinate contendebant, ut contrariam quæſtionis partem, quæ Virginem dum conciperetur ſpeciali Dei numine ab originali macula fuiſſe immunem affirmat, & pietati, fidei, & rectæ rationi, & Scripturis divinis valde quadrantem decernerent. Quæ ſententia paucos poſt annos in Sacro Baſileenſi plenario Concilio poſt longam ejus quæſtionis diſputationem, graviſſimamque deliberationem Spiritu S. inſpirante placuit ut eam tandem doctrinam, quæ Beatiſſimam Dei genitricem Mariam cum conciperetur, ab omni prorſus peccati labe ſpeciali ſingularique Dei gratia fuiſſe liberam aſſeruerit & docuerit, tanquam piam, Eccleſiaſtico cultui, fidei catholicæ, rectæ rationi, & Scripturæ Sacræ conſonam, ab omnibus Catholicis approbandam, amplectendam & tenendam definierit, contrariamque aſſertionem deinceps doceri defendique ſub interminatione divini judicii vetuerit. Quod ſanctum Synodi decretum cum omnibus Eccleſiarum, tum etiam totius populi chriſtiani judicio, conſenſu ac religione comprobatum confirmatumque videamus, non poſſumus quorumdam vanam ſuperbiam, temerariam inſanamque obſtinationem non admirari, non indigne moleſteque ferre, qui hoc noſtro adhuc tempore, ejuſmodi piam & religioſam doctrinam univerſalis Synodi & Eccleſiæ, quæ juxta Chriſti promiſſionem errare non poteſt, judicio autoritateque probatam aut oppugnare aut in dubitationem revocare non verentur, implacabile impiiſſimumque bellum adverſus piiſſimæ Dei genitricis eximiam dignitatem gerentes ... ſtatuentes ut nemo deinceps ſacro huic collegio aſcribatur, niſi ſe hujus religioſæ doctrinæ aſſertorem ſtrenuumque propugnatorem ſemper pro viribus futurum ſimili juramento profiteatur: quod ſi quis ex noſtris, quod abſit, ad hoſtes Virginis transfuga contrariæ aſſertionis, quam falſam, impiam, erroneam judicamus, ſpreta non noſtra tantum, ſed Synodi & Eccleſiæ, quæ procul dubio ſumma eſt, autoritate, patrocinium quacunque ratione auſus fuerit, hunc honoribus noſtris omnibus privatum atque exauctoratum a nobis & conſortio noſtro velut Ethnicum & Publicanum prorſus abjiciendum decernimus ... datum* die 23. Auguſti anno 1497. apud S. Maturinum in congregatione per juramentum ſuper hoc ſpecialiter facta ac diſputatione Sorbonica ejuſdem menſis die 26. aſſiſtentibus Domino Rectore Univerſitatis Pariſienſis, reverendiſſimo

in

in Chriſto Patre Archiepiſcopo , Bituricenſi Epiſcopo , cum pluribus Abbatibus , Conſiliariis Regis & quampluribus Doctoribus ſupra hoc deputatis .

Quapropter in hujus decreti executionem in more poſitum fuit , ut nemo ad lauream doctoralem apud nos promoveretur , quin prius ad eandem doctrinam ubique tuendam ſacramento ſe obſtrinxiſſet jurans , *quod tenebit determinationem Facultatis de Conceptione immaculatæ Virginis Mariæ , videlicet quod in ſua Conceptione præſervata fuit ab originali labe* .

Eodem anno 1497. cum frater quidam Dominicanus, nomine Joannes le Vert , nonnullas propoſitiones adverſus immaculatam B. Virginis conceptionem in publicis concionibus Rothomagi docuiſſet , a Sacra Facultate cenſura illico notatus eſt ; una ex illis propoſitionibus erat , *illos nullo modo peccare qui aſſererent B. Virginem conceptam eſſe in peccato originali ; imo vero alios omnes qui docerent contrarium peccare mortaliter , vel eſſe hæreticos & excommunicari a Sixto IV.*

Et revera referre omiſeram quod nunc præcipuum hac in controverſia locum habere videtur, duas videlicet conſtitutiones hujus Pontificis pro aſſerenda Conceptione B. Virginis immaculata . Anno 1476. Sixtus IV. antea Franciſcanus priorem emiſit quæ incipit , *Cum præ excelſa* , ubi ſic loquitur , *autoritate Apoſtolica hac in perpetuum valitura conſtitutione ſtatuimus & ordinamus , quod omnes & ſinguli Chriſti fideles utriuſque ſexus , qui Miſſam & officium Conceptionis ejusdem Virginis glorioſæ juxta piam , devotam , & laudabilem ordinationem dilecti filii Magiſtri Leonardi de Nogarolis Clerici Veronenſis Notarii noſtri , & quæ deſuper a nobis emanavit , Miſſæ & officii hujuſmodi inſtitutionem , in die feſtivitatis Conceptionis ejusdem Virginis Mariæ & per octavas ejus devote celebraverint & dixerint , aut illis horis canonicis interfuerint , quoties id fecerint , eandem prorſus indulgentiam & peccatorum remiſſionem conſequantur , quam juxta felicis recordationis Urbani IV. in Concilio Viennenſi approbatæ , ac Martini V. & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutiones conſequuntur illi , qui Miſſam & horas canonicas in feſto Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti a primis Veſperis , & per illius octavas , juxta Romanæ Eccleſiæ conſtitutionem celebrant , dicunt , aut Miſſæ , officio , & horis hujuſmodi interſunt* .

Sed cum inde natæ pridem excreviſſent litterariæ perturbationes Franciſcanos inter & Dominicanos , qui ſibi mutuo ac viciſſim hæreſeos notas improperabant , idem ſummus Pontifex pacis conciliandæ cauſa anno 1483. alteram emiſit Conſtitutionem quæ incipit , *Grave nimis* , ubi diſerte ſtatuit neutrius ſententiæ aſſertores aut hæreſeos, aut peccati mortalis reos eſſe habendos . *Nos igitur* , inquit , *hujuſmodi temerariis auſibus , ac perverſis aſſertionibus ac ſcandaloſis , quæ exinde in Dei Eccleſia exoriri poſſunt , quantum nobis ex alto conceditur obviare volentes motu proprio , non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam , ſed de noſtra mera deliberatione & certa ſcientia , hujuſmodi aſſertiones Prædicatorum eorumdem & aliorum quorumlibet , qui affirmare præſumerent , eos qui crederent aut tenerent , eandem Dei genitricem ab originalis peccati macula in ſua Conceptione præſervatam fuiſſe , propterea alicujus hæreſis labe pollutos fore , vel mortaliter peccare , aut hujuſmodi officium Conceptionis celebrantes , ſeu hujuſmodi ſermones audientes , alicujus peccati reatum incurrere , utpote falſas & erroneas & a veritate penitus alienas , editoſque deſuper libros prædictos id continentes , quoad hoc , autoritate Apoſtolica , tenore præſentium reprobamus & damnamus :*

ac

Digitized by Google

ac motu, ſcientia & autoritate prædictis ſtatuimus & ordinamus, quod Prædicatores Verbi Dei, & quicunque alii, cujuſcunque ſtatus, gradus aut ordinis ac conditionis fuerint, qui de cætero auſu temerario præſumpſerint in eorum ſermonibus ad populum ſeu alias quomodolibet affirmare, hujuſmodi ſic per nos improbatas & damnatas aſſertiones veras eſſe, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, poſtquam de præſentibus ſcientiam habuerint, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant, a qua ab alio quam a Romano Pontifice, niſi in mortis articulo, nequeant abſolutionis beneficium obtinere. Item motu, ſcientia & autoritate ſimilibus ſimili pœnæ ac cenſuræ ſubjicientes eos qui auſi fuerint aſſerere contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cum nondum ſit a Romana Eccleſia & Apoſtolica Sede deciſum.

Hæc porro Sixti IV. conſtitutio, cujus potiſſimum ſumma huc redit, ut liberum cuivis fiat utramvis opinionem tenere, poſt alias denuo iteratas Franciſcanorum cum Dominicanis altercationes, alio renovata fuit & confirmata diplomate quod emiſit Alexander VI. anno 1502. promoventibus duobus Cardinalibus Oliverio & Georgio; erat ille Prædicatorum, hic Minoritarum protector.

Sed gravior longe & magis autentica eſt ejuſdem Sixtini diplomatis confirmatio cuſa in Concilio Tridentino: ſic enim Patres poſtquam Seſſ. 5. ſtatuerunt in decreto de peccato originali hoc peccatum ab Adamo in omnes & ſingulos homines transfundi, de B. Virgine loquuntur, *declarat tamen hæc ipſa ſancta Synodus non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones felicis recordationis Sixti IV. ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis, quas innovat.*

Hujus decreti ut autoritatem elevent nonnulli, ajunt non omnino conſtare illud editum fuiſſe a Patribus Tridentinis, eo quod, inquiunt, ſex primæ Seſſiones prælo mandatæ ſunt Pariſiis anno 1546. apud Reginaldum Chaudiere ſine ejuſmodi declaratione, quæ nec etiam legitur in aliis editionibus annorum 1546. 1551. & 1555. neque in Summa Conciliorum Caranzæ & Petri Crabbi.

Sed meo quidem judicio ejuſmodi obſervatio non eſt magni ponderis, hæc enim exceptio ceu declaratio, pro Immaculata Beatæ Virg. Conceptione, quæ ab omnibus Theologis laudatur ut genuinus Concilii Tridentini fœtus, reperitur in editione quæ facta eſt Romæ anno 1564. ſtatim in fine Concilii, & ita poſtmodum in aliis omnibus ubique terrarum nullis reclamantibus Epiſcopis, vel etiam ex iis qui Concil. Trident. interfuerant, tum & nullis contradicentibus Dominicanis, qui certe paſſi non fuiſſent ut rei iſtius tam locuples momentum in gratiam Conceptionis immaculatæ Synodi Tridentinæ decretis obreperet. Id vero confirmatur vel ex eo maxime quod hanc eandem declarationem pro viribus impugnavit Calvinus in Antidoto Concilii edito circa annum 1547. quod manifeſte ſupponit jam tum eam ſub nomine Synodi publicatam.

Ex hoc autem authentico Concilii generalis decreto factum eſt deinceps, ut cum eadem quæſtio iteratis Dominicanorum querimoniis in controverſiam miſſa eſt, non alio pacto a ſummis Pontificibus finita ſit, quam veteres Sixti IV. conſtitutiones innovando, ut ſeptimo poſt Concil. Trident. anno ſe geſſit Pius V. data bulla quæ incipit *Super ſpeculam*, in qua liberam facit poteſtatem catholicis Doctoribus in utramque partem ſentiendi, ſtatuens ut nemo cujuſcunque ordinis, gradus, conditionis & dignitatis

tatis exiſtat, in popularibus concionibus, vel ubicumque promiſcua virorum & mulierum multitudo convenit, de hujus controverſiæ alterutra parte diſputare, vel de hac ipſa quæſtione vulgari ſermone ſcribere vel dictare præſumat, quanquam liceat viris doctis in publicis Academiarum diſputationibus de illa quæſtione diſſerere; & argumentis utramlibet partem tueri vel impugnare, dum tamen neutra velut erronea prædicetur.

Quæ paulo poſt, ſcilicet anno 1574. geſta ſunt Lutetiæ Pariſiorum in celebri controverſia, quæ mota eſt Maldonatum inter & Univerſitatem Pariſienſem, commemoranda hic pluribus eſſe non arbitror, utpote cum in decurſu diſputationis opportunius alibi dicenda veniant.

Verum ut finem huic Hiſtoriæ tandem imponamus, omittere non poſſumus ſuperiori ſæculo, nimirum ab an. 1614. uſque ad annum 1622. graves motus ſuper ea re a conflictantibus utrinque partibus excitatos in Hiſpania, id fuſe deſcribit Lucas Wadinghus Hibernus Minorita: eo proceſſit concertatio, ut tota fere arſerit in diſſidii incendium Hiſpania; quocirca Paulus V. emiſſa Bulla an. 1616. Sixti IV. Conc. Trident. & Pii V. conſtitutiones renovavit. Nullum non moverunt lapidem impollutæ Conceptionis aſſertores, ut Regia Philippi Tertii auctoritate fulti, ab ſummo Pontifice claram & abſolutam rei definitionem obtinerent, ſed obfirmate negavit Papa ſe controverſiam definiturum; moritur interea Paulus V. qui ſucceſſorem habuit Gregorium XV. obiit & Philippus III. relicta Philip. IV. Regni Hiſpanici cura, eædem tunc iteratæ ſunt querimoniæ coram ſummo Pontifice; iterum inſtabat Rex Catholicus qui tandem obtinuit ampliationem decreti a Paulo V. editi, nimirum an. 1622. data bulla Gregorius XV. repetitis præfatis Sixti IV. & Pauli V. conſtitutionibus addidit, *ne quiſquam etiam in ſcriptis & ſermonibus privatis audeat aſſerere, quod B. V. in peccato concepta ſit, exceptis quibus a ſede Apoſtolica fuerit hoc ſimpliciter indultum; ita tamen ne novo hoc decreto opinioni illorum qui maculatam conceptionem aſſerunt, præjudicium inferatur*. Mandatum inſuper omnibus & ſingulis, ne in ſacro Miſſæ ſacrificio & divinis officiis celebrandis publice & privatim alio quam Conceptionis nomine utantur, (hactenus enim Dominicani voce ſanctificationis uſi fuerant.) His acceſſit nova Conſtitutio per formam Indulti in gratiam Dominicanorum edita, in qua Pontifex non aliis quam Dominicanis conceſſit, ut inter ſe duntaxat, & non inter alios, aut cum aliis & in privatis colloquiis tractare poſſint de materia Conceptionis B. Virginis Mariæ.

Denique cum præfatæ ſanctiones commotas pridem diſputantium partes in officio nondum continuiſſent, emiſſa fuit alia conſtitutio ab Alexandro VII. anno 1661. cui nempe titulus eſt, S. D. N. Alexandri VII. *Innovatio conſtitutionum & decretorum in favorem ſententiæ aſſerentis animam B. Mariæ Virginis in ſui creatione & in corpus infuſione a peccato originali præſervatam fuiſſe editorum*. Præfatur ibi ſummus Pontifex quæ dudum a Sixto IV. a Paulo V. & Gregorio XV. prædeceſſoribus fuerant præſcripta, tum queritur Hiſpaniæ Epiſcopos ſibi per litteras expoſuiſſe, & Regem Catholicum miſſo oratore Ludovico Epiſcopo Placentino ſibi inſinuaſſe, *multos contrariæ opinionis aſſertores contra præfatas prohibitiones, tum privatim, tum publice præfatam ſententiam aut impugnare aut vellicare*, aitque, ſe conſtitutiones & decreta a prædeceſſoribus Sixto IV. Paulo V. & Greg. XV. *edita in favorem ſententiæ aſſerentis animam B. Mariæ Virginis in ſui creatione & in corpus infuſione Spiritus Sancti gratia donatam & a peccato originali præſervatam fuiſſe*, innovare ſub iiſdem cenſuris & pœnis.

His

His velut jactis ex quinque aut ſex poſteriorum ſæculorum Hiſtoria fundamentis, nunc ambæ quæſtiones propoſitæ de Conceptione Immaculata B. Virginis facilius ſolventur. 1. nempe utrum revera ab originalis peccati labe immunis fuerit. 2. eſt, utrum id credendum ſit tanquam Fidei Catholicæ dogma.

An Beata Virgo Maria contraxerit Peccatum originale.

TRes diſtinguuntur ſuper ea re Theologorum ſententiæ. 1. eſt eorum qui generaliter & abſolute pronunciant B. Virginem contraxiſſe peccatum originale, ita poſt S. Anſelmum lib. 2. *Cur. Deus homo*, cap. 16. & S. Bernardum Epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes, Divus Thomas multis locis ſupra citatis, & deinceps plerique ac fere omnes Thomiſtæ. 2. Sententia paucorum eſt, quod ſciam, qui dicunt B. Virginem non contraxiſſe peccatum originale neque quoad actum, neque quoad debitum. 3. denique, eorum eſt qui docent eam quidem contraxiſſe peccatum originale quoad debitum, non autem quoad actum; quæ quidem ſententia nunc communis eſt ac pervulgata inter Theologos, quam proinde & nos amplecteremur, cum aliunde validiſſimis innixa videatur fundamentis.

Obtinuit igitur in Scholis hæc diſtinctio quæ duplicem aſſignat modum quo peccatum originale contrahitur, videlicet quoad actum & quoad debitum duntaxat. Is cenſetur peccatum originale contrahere quoad actum, qui actu & de facto maculatur peccato originali ſua in conceptione; ut ut anima, quando corpori unita eſt, ſaltem per aliquod inſtans rea ſit peccati originalis; quomodo peccatum originale contraxit ipſe S. Joannes Baptiſta, qui nempe nonniſi poſt conceptionem ante ortum in utero matris ſanctificatus eſt. Is vero cenſetur peccatum originale contrahere quoad debitum duntaxat, qui quoniam in communi aliorum lege comprehenditur, vi ipſius legis in alios latæ ejuſmodi peccatum contrahere deberet, quod tamen non contrahit, eo quod ſpeciali quodam favore ab illa communi lege immunis efficitur, unde dicitur peccare quoad debitum, quia juxta communem legem peccare deberet, non autem peccare quoad actum, quia revera ab ipſa peccati macula præſervatur: quibus poſitis ſit,

PRIMA CONCLUSIO.

B. Virgo Maria contraxit peccatum originale quoad debitum.

Siquidem ea cenſetur contraxiſſe peccatum originale quoad debitum, quæ juxta communem aliorum hominum conditionem contrahere debuit ejuſmodi peccatum, illudque contraxiſſet, niſi ſpeciali quodam Dei favore fuiſſet præſervata: atqui B. Virgo Maria debuit peccatum originale contrahere juxta communem aliorum hominum legem & conditionem; lex enim peccati originalis lata in omnes & ſingulos homines, & quidem per modum pœnæ eſt, qua debet peccare actu in Adamo, quiſquis de ſemine ejus juxta legem ordinariam procreatur: atqui in ejuſmodi lege concluſa reperitur B. Virgo Maria; eſt quippe ſecundum legem ordinariam a parentibus concepta, ſolus Chriſtus Dominus conceptus eſt de Spiritu Sancto, adeoque communi huic legi minime ſubjectus: debebat igitur B. Virgo juxta communem aliorum conditionem contrahere peccatum originale, aliorumque communi peccato reapſe fuiſſet obſtricta & maculata, niſi ſpeciali favore placuiſſet Deo illam immunem facere: proinde merito dicitur contraxiſſe debitum peccati originalis.

Et certe ea ſententia propugnari debet, qua ſublata, vix ac ne vix quidem explicari poteſt, quomodo pro B. Vir-

Virgine mortuus fuerit Chriſtus Dominus, ejusque fuerit Salvator & Redemptor: atqui niſi dicatur B. Virginem contraxiſſe debitum peccati originalis, vix aut neutiquam explicari poteſt, quomodo pro ea mortuus fuerit Chriſtus; hoc enim ſolum pacto intelligitur Chriſtus pro B. Virgine Maria mortuus, ejusque Salvator & Redemptor, quod beneficio ſuæ mortis eam liberavit a peccato cui fuerat actu ſubjecta; vel quia cum mori debuiſſet morte peccati juxta communem aliorum hominum conditionem, ex ejusdem mortis ſuæ meritis Chriſtus illam præſervavit, impediens nimirum ne propter illud debitum actu macularetur; qui enim quempiam præſervat ab aliquo malo imminenti, cenſetur eum ſalvare & redimere quem præſervat: atqui pro B. Virgine mortuum eſſe Chriſtum, ejus Salvatorem fuiſſe & Redemptorem certo certius eſt: ut conſtat tum ex propoſitionibus generalibus & Scripturæ & patrum, in quibus Chriſtus Dominus dicitur omnium Salvator & redemptor, tum ex ipſius Mariæ teſtimonio Lucæ 1. cap. *Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*, id eſt, in Chriſto Salvatore meo: igitur dici debet B. Virginem contraxiſſe peccatum originale ſaltem quoad debitum.

His adde jam tum facile in hac noſtra ſententia reſponderi ad objectiones eorum qui B. Mariæ Conceptionem Immaculatam eſſe negant, hoc enim potiſſimum utuntur argumento, quod tum in Scripturis, tum a SS. Patribus in univerſum & ſine ulla prorſus exceptione pronuntietur, omnes in Adamo peccaſſe, *in quo omnes peccaverunt*. Sed in noſtra ſententia facile & appoſite quidem huic objectioni reſpondetur, omnes & ſingulos homines præter ſolum Chriſtum peccaſſe in Adamo quoad debitum, non autem quoad actum; ut paulo infra fuſius dicetur. Cum e contrario ſi vel ab ipſo peccati debito immunis dicatur B. Virgo, præfata hæc teſtimonia nuſpiam emolliri poſſint, nullo enim ſenſu diei poteſt eam peccaſſe in Adamo: igitur.

At, inquies, neque hoc pacto iiſdem ſatisfit objectionibus, quanquam enim dicatur B. Virgo contraxiſſe peccatum originale quoad debitum, tamen non inde ſequitur eam peccaſſe in Adamo, unde manet ſemper hoc Divi Pauli effatum *in quo omnes peccaverunt*, locum habere reſpectu Deiparæ quæ non peccavit actu in Adamo: aut igitur dici debet B. Virginem, ut & alium quemvis ex Adæ poſteris, peccato originali ſubjacuiſſe: aut qui ſuum erga puram conceptionem ſtudium profiteri voluerit, dicat neceſſe eſt illam neque quoad actum neque quoad debitum, ejusmodi peccatum contraxiſſe.

Huic objectioni reſpondent nonnulli diſtinguendo duplex peccati debitum, unum proximum, alterum remotum, rem ſic exponit unus ex Hiſpanis Theologis celeberrimus: *Obſervandum eſt*; inquit, *illud debitum habendi peccatum poſſe intelligi dupliciter, unum quaſi proximum, alterum quaſi remotum, quod ſic explico: ſi B. Virgo peccavit in Adam, habuit debitum proximum contrahendi originale, quia habuiſſet peccatum in ſe ipſa, ſi non præſervata eſſet in primo inſtanti ſuæ animationis. Si autem non peccavit in Adam, habuit debitum remotum, quia peccaſſet in Adam, ſi non fuiſſet excepta a lege communi, aut ſi non fuiſſet præſervata in illo inſtanti.* Unde inferunt dici poſſe B. Virginem non peccaſſe in Adamo, quæ tamen habuit debitum peccandi remotum ſcilicet.

Brevius tamen & clarius omiſſa hac diſtinctione duplicis debiti, reſpondemus B. Virginem in Adamo peccaſſe, juxta illud Divi Pauli, *in quo omnes peccaverunt*, ſed peccaſſe quoad debitum non quoad actum, quatenus vi legis debeat in peccato eſſe concepta, a quo fuit ſingulari Dei beneficio præſervata.

Ob-

Digitized by Google

Objicies : recte intelligitur Mariam Virginem a Deo fuiſſe electam in matrem Dei ante prævifum primi hominis peccatum : ſed in iſto Syſtemate nec quoad actum nec quoad debitum contraxiſſet peccatum originale, debuiſſet enim Deus impedire, ne in ſequenti lege adverſus totum genus humanum lata includeretur ea quam ſemel ad dignitatem matris ſuæ deſtinaverat : igitur B. Virgo Maria non contraxit peccatum originale quoad debitum.

Nego maj. ut enim adverſus Scotum docuimus in tractatu noſtro de Incarnatione, non fuit B. Virgo electa in matrem Dei niſi poſt prævifum Adæ peccatum, hæc enim non fuit electa Dei mater niſi poſt decretam ſemel Incarnationem Verbi Divini, ut per ſe patet, ſed non fuit decreta Incarnatio Verbi Divini, niſi poſt prævifum Adæ peccatum, quia venit Chriſtus ſalvare quod perierat, venit ut medicus ſanare quod infirmum erat : igitur dici non poteſt B. Virginem electam fuiſſe Deiparam ante prævifum Adæ peccatum.

Quocirca cum ad dignitatem maternitatis divinæ deſtinata eſt, prævifo tunc communi omnium hominum peccato, illam videbat Deus eodem debito obſtrictam & obœratam, vi ſcilicet legis generalis cui ſimiliter erat mancipata, adeoque in peccato originali concipienda, niſi beneficio ſingulari ab illa communi lege exciperetur ; in quo præciſe poſitum eſt debitum peccati originalis. Idque demum ita debet admitti in B. Virgine Deipara, quo ſublato ſequeretur, ut mox dictum eſt, pro ea Chriſtum Dominum non eſſe mortuum : atqui niſi dicatur B. Virginem ſaltem quoad debitum contraxiſſe peccatum originale, pro ea Chriſtus Dominus non erit mortuus, quod manifeſte adverſatur Divo Paulo 2. ad Corint. cap. 5. dicenti, *ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt* : ergo B. Virgo contraxit peccatum originale ſaltem quoad debitum.

Neque eſt quod dicatur Chriſtum Dominum cenſeri pro Maria Deipara mortuum, ejuſque Salvatorem ; eo quod illius meritis ab ipſo peccati debito fuit præſervata ; id quippe omnino frivolum eſt, nam Chriſtus non eſt mortuus niſi pro mortuis : *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*, inquit Apoſtolus.

Objicies : affirmat Concilium Tridentinum ſuæ intentionis non eſſe Virginem Deiparam in decreto de peccato originali cum aliis ſimul Adæ poſteris involvere : ſed quando Concilium in illo decreto definierat peccatum originale non ſoli Adamo, ſed omnibus illius poſteris nocuiſſe, his verbis debitum ſignificaverat contrahendæ culpæ originalis, quod cunctæ poſteritati ſuæ Adamus impoſuit, hoc enim ſignificant illa verba, *Si quis aſſerit Adamum acceptam a Deo ſanctitatem quam perdidit, ſibi ſoli; & non nobis etiam perdidiſſe, anathema ſit*. Nobis quippe ſanctitatem perdidiſſe nihil aliud eſt, quam ea carendi debito nos obſtrinxiſſe : ergo mens Concilii Tridentini eſt, B. Virginem non modo a peccato, ſed a peccati debito fuiſſe immunem; aliter enim perperam dixiſſet nolle ſe in eo decreto illam comprehendere, cum in magna ipſius parte eam comprehendi neceſſum eſſet.

Diſt. maj. in decreto peccati originalis intellecto de actu, C. de ipſo debito, N. id unum itaque affirmant Patres Tridentini ſuæ intentionis non eſſe B. Virginem comprehendere in decreto quod emiſerat de peccato originali, ſed quoniam hoc decreto ſtatuerant omnes & ſingulos Adæ poſteros actu contrahere peccatum originale vel in ſua conceptione ; neque id ſolum intelligunt de peccati debito ; certo certius eſt de actu non de debito intelligendam eſſe hanc declarationem Concilii Tridentini, quoad pertinet ad B. V. unde

unde ex illius verbis ad ſummum colligi debet eam non contraxiſſe actu peccatum originale.

Objicies: Beatiſſimæ Deiparæ tribui debet, quidquid excellentiæ & dignitatis competere poteſt puræ creaturæ: atqui excellentiam & dignitatem ſapit non contrahere peccatum originale quoad debitum, idque tribui poteſt puræ creaturæ: ergo.

Diſt. maj. ſi aliunde cum Scripturis & SS. Patribus id conſentiat, C. ſi non conſentiat, N. hæc itaque nova dignitas & prærogativa, qua B. Virgo Maria vel ab ipſo etiam peccati debito libera & immunis cenſeretur, poſſet quidem abſolute loquendo tribui puræ creaturæ, ut contendunt adverſarii, quorum proinde opinionem atro hæreſeos calculo minime notamus: ſed quominus id reapſe tribuatur B. Virgini, præterquamquod ejuſmodi favoris legitimum non extat fundamentum; vetant inſuper Scripturæ teſtimonia ſuperius adducta, ex quibus ſaltem colligere eſt illam peccatum originale contraxiſſe quoad debitum.

Objicies: debet a B. Virgine Deipara id omne eliminari, quod nonnihil deformitatis, indecentiæ & turpitudinis præ ſe fert: atqui ejuſmodi debitum & obligatio peccati habet in ſe gravem deformitatem, indecentiam & turpitudinem: ſi enim natura ejus ſpectetur, obligatio eſt: ſi initium & cauſa, ex peccato fluit: denique ſi finis ejus & objectum, ad peccatum reſpicit: ergo.

Nego min. gravem enim indecentiam & turpitudinem non habet ejuſmodi obligatio, quæ communis eſt ſingulis naturæ humanæ individuis, in eo videlicet qui aliunde hoc communi debito obſtrictus ab ipſa peccati labe ex ſingulari quodam favore fuit præſervatus: porro, B. Virgo Deipara dicitur quidem communi omnium peccati debito obſtricta, quatenus fuit Adami filia & ex ejus ſemine juxta legem ordinariam procreata, ſed aliunde ab ipſo peccato quominus illud actu contraheret, & ſingulari privilegio præſervata eſt: quapropter tantum abeſt ut in ejus dedecus & deformitatem totum iſtud vergat, quin potius ſummi honoris ſpecialiſque prærogativæ maximum indicium eſt & argumentum. Scilicet turpius non eſt nec magis indecens Virginem Deiparam contrahere debitum peccati originalis, quam illi turpe ſit procreari & naſci ex parentibus legi communi ſubjectis, & juxta communem aliorum viam & conditionem.

SECUNDA CONCLUSIO.

B. Virgo Maria non fuit in peccato originali concepta.

Piam hanc doctrinam propugnare ſolent plerique Theologi ex multis Scripturæ Sacræ teſtimoniis. Proferunt 1. hæc Geneſeos 3. 15. *inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius; ipſa conteret caput tuum.* Quæ verba, *evidenter nos docent*, inquit Richerius noſter in Hiſtoria Conciliorum generalium; *Primum, certam mulierem ab omni æternitate delectam ut eſſet mater Dei; alterum, inter hanc mulierem Deiparam & Evam hoc futurum diſcrimen, quod Deipara ſua fide & innocentia æternas aliquando eſſet habitura inimicitias cum Diabolo: quemadmodum Eva ſuo peccato fœdus cum morte & Satana inierat; qua de cauſa peccatum in omnes homines pertranſiit, quod ope illius mulieris Deiparæ deleri debeat. Porro*, inquit, *has inimicitias mulieris Deiparæ cum Diabolo, neceſſum eſſe de præſervatione a peccato originali, non de ſanctificatione tantum in utero materno intelligi, his de cauſis evidenter colligimus. Primum, quia ſequeretur alioqui illam mulierem Deiparam eo ipſo temporis intervallo, quo peccato originali actualiter inquinata ſubjacuiſſet, nullas cum Diabolo unquam exercuiſſe inimicitias,*

imo

Digitized by Google

imo vero fuiſſe in Diaboli poteſtate, quod aperte huic prophetiæ repugnat (*inimicitias ponam inter te & mulierem.*) *Secundo*, *cum omnis effectus naturam & proprietates ſuæ cauſæ æmuletur*, *corpus autem Chriſti ex ſanguine B. Virginis efformatum ſit*, *dato quod B. Virgo labe originali contaminata fuerit*, *inſurgit quoque aliquam labem & velut cicatricem peccati originalis in Chriſti corpus inuſtam fuiſſe & continuo Diabolum gloriari potuiſſe aliquid in Chriſti corpore ineſſe*, *quod ejus ditioni neque imperio aliquando fuerit obnoxium: ea nimirum de cauſa quod ex muliere in peccato originali concepta natus ſit*. *Tertio ſi hæc Prophetia de ſanctificatione in utero*, *non de præſervatione a peccato originali ſumatur*, *nihilo magis ad B. Virginem Deiparam*, *quam ad Jeremiam aut S. Joannem Baptiſtam*, *vel quempiam eorum qui in utero materno ſanctificati ſunt pertinebit*. *Quarto*, *ſi hæc Prophetia de ſanctificatione non de præſervatione a peccato originali caperetur*, *non plena & perfecta eſſet Evæ neque Beatæ Virginis*, *neque etiam primi & ſecundi hominis antitheſis*, *quoniam Diabolus in B. Mariam*, *ſicut & in Evam dominium & poteſtatem aliquando obtinuiſſet*. Hucusque Richerius hoc unum e Scripturis teſtimonium uſurpans, ut validiſſimum Scholæ Pariſienſis argumentum ad demonſtrandam B. Virginis Conceptionem Immaculatam.

Proferunt alii varias Antiqui Teſtamenti figuras, quibus putant adumbratam, vel ſatis clare expreſſam mundiſſimæ Conceptionis B. Virginis Mariæ puritatem; ſic enim v. gr. inquit Salazar e Societate Jeſu Hiſpanus presbyter, qui hac de re copioſum edidit tractatum, B. Virginis Conceptionem ab omni peccato mundam repræſentat, 1. mundi creatio, ſeu munditia quam a Dei creantis manibus mundus tulit. 2. Paradiſus voluptatis in qua Deus hominem ante originalis juſtitiæ jacturam continuit ac ſervavit. 3. Primæva Adami conditio, qui a Deo formatus eſt de puro terræ limo. 4. & ipſius Evæ formatio de qua legitur Geneſ. *ædificavit Dominus Deus coſtam*, *quam tulerat de Adam in mulierem*. 5. Illud etiam anathema, quo Deus ſerpentem præfixit his verbis, *Ipſa conteret caput tuum*. Arca Noe, quæ ne mundus omnino peſſum iret, in graviſſima diluvii clade ſuppetias illi tulit. 7. Rubus Moſis qui inter flammas illæſus permanſit. 8. Arca veteris teſtamenti, quæ de ligno incorruptibili confecta eſt. 9. Aaronis virga quæ cæteris omnibus areſcentibus una viruit, una floruit, una fronduit, una fructum tulit. 10. Thronus Salomonis de quo legitur 3. Reg. cap. 10. *fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem*, *& veſtivit eum auro fulvo nimis*. 11. Parva illa nubecula quæ quaſi veſtigium hominis orante in Carmelo Helia, de mari aſcendere viſa eſt. Denique celebris illa columna nubis ignita, quæ Iſraeliticum populum fugatis tenebris illuminabat.

Alii porro, inquit idem autor, plures alias hujuſmodi figuras collegerunt aut excogitarunt: ante alios Ambroſius Catharinus has B. Virginis ab originali culpa immunis figuras proponit, ſcilicet Scalam Jacob, terram promiſſionis, mundam Chriſti ſyndonem, Rebeccam, matrem Moſis, Judit, Eſther & nonnullas alias.

Profert & plurima veteris Teſtamenti loca, quibus putat B. Mariæ conceptionis puritatem efficaciter perſuaderi, hæc nimirum Sapientiæ 7. 25. *Vapor eſt enim virtutis Dei & emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei ſincera*, *& ideo nihil inquinatum in eam incurrit*. *Candor eſt enim lucis æternæ & ſpeculum ſine macula majeſtatis & imago bonitatis illius*.

Pſalm. 44. *Audi filia & vide & inclina aurem tuam*, *& obliviſcere populum tuum & domum patris tui*, *& concupi-*

cupiſcet Rex decorem tuum, quia ipſe eſt Dominus Deus tuus. Pſal. 45. *ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus .... adjuvabit eam Deus mane diluculo*. Pſal. 86. *& ipſe fundavit eam Altiſſimus*. Pſ. 84. *benedixiſti Domine terram tuam, averiſti captivitatem Jacob*.

Item quæ leguntur Cantic. Canticorum quæ B. Virgini in ejus Officio tribuuntur, cap. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*. Cap. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. Cap. 6. *Una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matris ſuæ, electa genitricis ſuæ. Viderunt eam filiæ & beatiſſimam prædicaverunt, reginæ & concubinæ, & laudaverunt eam. Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata?*

Inſuper quæ de ea prophetice cecinerunt ſacri Vates, Iſaias cap. 11. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet*. Jeſſe autem, inquit Hieronymus, ſignificat munus aut donum, unde *ex radice Jeſſe*, perinde eſt atque ex radice doni aut muneris, quod innuit Deiparæ Virginis primam productionem divino muneri & gratiæ tribuendam. Zachariæ 4. 7. *& educet lapidem primarium & exæquabit gratiam gratiæ ejus*.

Profere demum Salazar, ut & complures alii Theologi nonnulla Novi Teſtamenti loca, atque in primis ſalutationem Angelicam, *Ave gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus, &c.* quæ legitur Lucæ 1. cap. Tum vero hæc ipſius Beatiſſimæ Virginis verba, *quia fecit mihi magna qui potens eſt*.

Verum ut dicam ingenue quod res eſt, non ſatis idonea videntur ejusmodi teſtimonia ad demonſtrandam B. Virginis Conceptionem Immaculatam, 1. quia non conſtat præfata hæc elogia prophetice dicta de Maria Deipara, quin potius de alio intelligenda cuivis inſpicienti manifeſtum eſt. 2. quia licet ejusmodi loca communi totius Eccleſiæ conſilio, Scriptorumque omnium conſpirantibus animis B. Virgini accommodarentur; ex iis tamen recte & certo non colligeretur conceptionis immunitas a peccato originali. Summam inde puritatem inferas, qua nempe cenſeatur ab omni peccato actuali per totam vitam immunis, non abnuo: dicatur ſanctiſſima, puriſſima, plena gratia Dei ejusque divinis muneribus, tota pulchra & ſine macula, nihil moror; certo tamen non inde colligere eſt illam a peccato originali fuiſſe præſervatam; quandoquidem ut tot ac tanta de B. Virgine merito prædicari poſſint, ſatis eſt quod in utero matris fuerit ſanctificata, & variis deinceps gratiæ & virtutum donis cumulata.

Idque adeo perſuaſum fuit SS. Patribus & plerisque Theologis, ut eadem vel ſimilia paſſim elogia B. Virgini per accommodationem tribuere non dubitaverint, quanquam aliunde putarent eam peccato originali ſubjacuiſſe: ſic enim vero S. Anſelmus in illo ſermone qui legitur in Breviario Eborenſi, & citatur a Bacone in 4. diſt. 2. qu. 4. art. 1. *Et ideo ejusdem conceptionis dies feſtivis laudibus a cunctis fidelibus merito celebratur. De ipſa quippe multis ſæculis ante ortum ejus Iſaiam Spiritu Sancto afflatum dixiſſe conſtat: Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet. Hæc itaque virga quæ talem protulit florem nullo diſſentiente, Virgo Maria fuit, & flos qui de radice ejus aſcendit, benedictus Filius*.

Item S. Bernardus homil. 2. de laudibus Virginis matris, ait ipſam fuiſſe, *a ſæculo electam, ab Altiſſimo præcognitam, & ſibi præparatam, ab Angelis ſervatam, a Patribus præſignatam, a Prophetis promiſſam. Scrutare Scripturas & proba quæ dico. Viſne ut & ego aliqua ex his teſtimonia hic inferam? Ut pauca loquar de pluribus, quas ſibi aliam præ-*

Digitized by Google

prædixiſſe Deus videtur quando ad ſerpentem ait, Inimicitias ponam inter te & mulierem? Et ſi adhuc dubitas quod de Maria non dixerit, audi quod ſequitur: Ipſa conteret caput tuum. Cui hæc ſervata victoria eſt, niſi Mariæ? Unde poſtmodum alia quamplurima Scripturæ teſtimonia B. Mariæ Virgini accommodat in eadem homilia & ſequentibus, qualia nempe ſunt iſta Prov. 31. *mulierem fortem quis inveniet?* Iſa. 11. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet*. Cant. 3. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* Pſ. 44. *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam*. Pſal. 131. *de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*. Et alia id genus.

Tum vero S. Antonius tom. 4. titulo 15. cap. 4. §. 2. *fiat lux*, inquit, *& facta eſt lux. Succeſſive narrantur opera ſex dierum in principio facta, deſignantia ſex opera mirabilia Dei facta ſucceſſive in Virgine Maria, & primum opus eſt conceptio, ibi dicitur figurate, fiat lux, in hoc præfigurans & præordinans conceptum Virginis, cujus vita glorioſa lucem dedit ſæculo ..... Et ſic concepta & animata B. Virgo Maria inventa eſt cum aliqua tenebra, ſcilicet peccati originalis contracti poſt animæ infuſionem in corpus*.

Ex his porro Patrum mox laudatorum verbis manifeſte ſequitur ad mundiſſimam hanc Immaculatæ Conceptionis puritatem demonſtrandam, plus virium non habere ſplendida quæque ac magnifica encomia, quibus apud alios antiquores paſſim cumulatur B. Virgo, ut quando dicitur ab Hippolyto Portuenſi in orat. de conſummatione mundi, *ſancta* & *immaculata*. Ab Origene homil. 3. in Matth. *immaculata* & *caſta*. A Gregorio Neocæſarienſi aut alio autore Serm. 1. de Annuntiatione, *ſola per gratiam electa, cui ſimilis ex omnibus generationibus nulla unquam reperta eſt*: & iterum, *gratia plena intelligibilis ſolis oriens, flos vitæ immaculatus*. Ab Ephrem Syro in Sermone de Laudibus B. Mariæ, *inviolata, integra planeque pura ac caſta Virgo Dei genitrix, Regina omnium, ſpes deſperantium, domina noſtra glorioſiſſima, eademque optima ac præcellentiſſima, &c.* A S. Baſilio in Liturgia *ſancta* & *immaculata*. Ab Epiphanio in oratione de laudibus B. Virginis Mariæ, *B. Virgo, columba pura, & ſponſa cœleſtis Maria, cælum, templum, & thronus Divinitatis, &c.* Neque enim conſtat de conceptione Beatæ Virginis cogitaſſe præfatos autores, quando de ea tot ac tanta prædicarunt quæ certe ipſi jure competunt eo præciſe quod fuerit ante ortum in utero matris ſanctificata, & nulli peccato actuali per totam vitam ſubjacuerit.

Nolim tamen omnino ſpernere ſingula quæque SS. Patrum teſtimonia, quæ in iſtius doctrinæ confirmationem adduci ſolent, favent enim nonnihil ea in quibus nonnulli ſcribunt B. Virginem ab omni peccato fuiſſe immunem, fortaſſis enim in ejuſmodi propoſitionibus generalibus & ipſum ab ea amoverunt peccatum originale, ut S. Ambroſius, qui in Pſal. 118. ad finem ſic loquitur, *ſuſcipe non ex Sara, ſed ex Maria, ut incorrupta ſit Virgo, per gratiam ab omni integra labe peccati*. Et S. Hieronymus in Pſ. 77. ſic diſſerens, *nubes eſt B. Virgo, quæ pulchre dicitur nubes diei, quia non fuit in tenebris, ſed ſemper in luce*.

Gravius vero longe videtur hujus Doctrinæ aſſertoribus, quod legitur apud S. Auguſtinum: Is quippe lib. de natura & gratia cap. 36. B. Virginem ab omni peccato actuali voluit eſſe immunem, præ cæteris ſcilicet Juſtis Noe, Abraham, Jacob & aliis nonnullis, quos Scriptura juſtos vocat, *Excepta*, inquit, *Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæ-*

ſtionem : unde enim ſcimus , quod , ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum , quæ concipere ac parere meruit , quem conſtat nullum habuiſſe peccatum . Ubi certe nullum in B. Virgine fuiſſe peccatum actuale diſerte affirmat ſanctus Doctor. Sed cum in ejuſdem principiis in eo non fuerit peccatum originale qui major factus nullum commiſit actuale, ut verba faciens de Chriſto Domino ſtatuit, lib. 5. contra Jul. cap. 15. his verbis , *profecto enim peccatum etiam major feciſſet , ſi parvus habuiſſet*; inde manifeſte ſequitur, nec ipſam ſubjacuiſſe peccato originali.

Probatur autem hoc pacto noſtra aſſertio. Ea ſententia ſaltem tanquam pia & ab omnibus Catholicis approbanda teneri & propugnari poteſt , quæ ex una parte neque Scripturis Sacris, neque Conciliorum definitionibus ; neque SS. Patrum oraculis adverſatur ; ex altera vero, cum a quingentis fere annis excuſſum fuerit hoc negotium , per illud tempus ab innumeris prope Theologis fuit tradita & a multis etiam Academiis aſſerta , quam inſuper definierunt & multi Summi Pontifices & nonnulla Concilia : atqui hanc noſtram ſententiam, qua propugnamus immaculatam fuiſſe B. Mariæ Virginis Conceptionem , tanquam piam & ab omnibus Catholicis approbandam doctrinam a quinque ſæculis huculque tradiderunt innumeri prope Doctores Theologi , vel etiam Academiæ integræ; tum vero ut ſic credendam ſanxerunt nonnulli Summi Pontifices & Concilia.

Et quidem quoad primam partem , ſcilicet piam illam ſententiam non adverſari Scripturis ſacris, neque Conciliorum definitionibus, neque SS. Patrum doctrinæ, ex eo clare & invicte mox oſtendetur in ſolutionibus objectionum , quod propoſitiones generales , in quibus omnes dicuntur peccaſſe in Adamo , peccati duntaxat debitum , non actum neceſſario ſignificant.

Quoad alteram vero partem.

Certum eſt primo quammultos Doctores Scholaſticos a quingentis annis ſuum erga puram Conceptionem B. Virginis ſtudium aperte profeſſos , eorum teſtimonia ſi velim integra exſcribere , infinitum eſſe me oporteat , ſatis erit vel nonnullorum inter alios nomina appellare . Agmen ducit , ut jam monuimus , Joannes Scotus e Minoritarum familia Doctor ſubtilis , qui ſub initio ſæculi 14. in 3. diſt. q. 1. ait Scripturarum autoritati non repugnare ſed imo ſibi videri probabile B. Virginem nunquam fuiſſe in peccato originali. Hunc ſecuti ſunt in eodem ſæculo Petrus Aureolus Minorita S. Rom. Eccleſ. Cardinalis. Alter Scoti auditor , Antonius Andreas. Hervæus Natalis ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis ad illa verba Epiſt. 2. ad Corint. cap. 5. *ergo omnes mortui ſunt*. Franciſcus Mayron. in 3. diſt. 3. art. 3. Nicolaus Liranus ad illa verba, *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*. Alios citat Salazar , Adamum Goddam Anglicanum in 3. diſt. 3. q. 1. Bartholomæum Piſanum Dominicanum tract. de Virgine Deipara. Joan. Bachon Carmelit. in 3. diſt. 3. art. 1. Joan. Taulerum Dominicanum in ſermone de Purificatione Virginis. Tum vero Landulphum Neapolitanum, Hugonem de Caſtronovo, Armanum , Joannem Vitalem; Robertum Linconienſem , Holchot Dominicanum , Thomam Argentinenſem Auguſtiniani Ordinis Generalem.

Laudat & ſæculo 15. Vincentium Ferrerium Dominicanum ſerm. 1 de Nativit. Petrum de Allico in 3. diſt. 3. q. 1. S. Bernardum Senenſem tom. 1. ſerm. 51. de ſalutatione Angelica. Toſtatum Abulenſem ſuper prologum Divi Hieronymi cap. 6. Nicolaum Tudeſcum Abbatem Panormitanum, Joan. Baſſol. S. Laurent. Juſtinianum. Petrum de Aquila, Michaelem de Bononia Carmelitam, Nicolaum Cuſanum, Dionyſium Carthuſianum, Ambroſium Camaldulen-

ſem

ſem, Gabriel Biel nobilem Theologum, Marſilium, Robertum Gaguinum ex ordine SS. Trinitatis Præpoſitum Generalem, Joannem Pæum, Joan. major. Almainum, Joan. Ekium, Franciſcum Titelmannum, Joannem Roffenſem, Petrum Dore & Gulielmum Pipinum ambos e Dominicana familia. E ſæculo 16. quamplures alios commemorat Salazar immaculatæ Conceptionis præclaros vindices, quorum primas tenent Clictovæus Doctor Pariſienſis, Joannes Viguerius Dominicanus, Nicolaus de Orbellis, Thomas de Villanova Archiepiſcopus Valent. Dominicus Soto Dominicanus, Ambroſius Catharinus ex eodem Sodalitio Theologus magni nominis, Franciſcus Fevardentius, Joannes Cochlæus, Joannes Faber; quibus ultro conſenſerunt alii pene omnes ac ſinguli qui ſuperiori ſæculo piam hanc ſententiam unanima quadam conſpiratione ſcriptis ſuis conſignarunt; adeo ut neminem jam nactus ſit, qui ab illa communi omnium doctrina vel latum unguem diſcedere audeat.

Secundo & eandem ſententiam ſtatutis ſuis obfirmarunt celeberrimæ quæque Univerſitates. Magnus inprimis fuit Academiæ Pariſienſis in puram B. Virginis Conceptionem tuendam ardor & conatus; eam ob rem anno 1497. poſt nonnullas congregationes decretum emiſit, quo ſolemnem ſuper ea re conſtitutionem Synodi Baſileenſis calculo ſuo comprobavit, ut ſupra relatum eſt. Tum vero ſtatuit Sacra Facultas neminem deinceps ad doctorales infulas promovendum, quin prius Sacramento ſolemni ad tenendam hanc doctrinam ſe obſtrinxiſſet, quod quidem juramentum ab omnibus alumnis etiamnum perſolvitur; unde a trecentis annis frequentiſſimæ graveſque identidem cenſuræ quibus contrariam doctrinam confixit ſacer Ordo.

Hoc idem noſtrum imitando, ſanciverunt Academiæ ferè omnes catholicæ, Colonienſis, quæ, ut tradit Surius, ſtatuit neminem deinceps ad gradum Magiſterii promoveri debere, niſi prius ſacramento fidem dediſſet ſe immaculatam B. Virginis conceptionem ubique defenſurum. Idem præſtitit anno 1501. Facultas Theologica Moguntina. Tum vero Salmanticenſis, Toletana, Complutenſis, Cæſar-Auguſtana, Tarraconenſis, Hiſpalenſis & aliæ quæpiam.

Tertio fuit & iſta ſententia a multis Summis Pontificibus aſſerta, præſertim vero a Sixto IV. qui duas emiſit Conſtitutiones, quæ magnum in Eccleſia pondus habere debent, ex quo eas tanquam doctrinæ noſtræ ſuper hoc negotio normam & regulam conſtituerunt Patres Tridentini in ſua declaratione. Statuit ibi ſummus Pontifex ſine ulla peccati vel hæreſeos labe teneri poſſe a fidelibus B. Virginem ab originali peccato in ſua Conceptione præſervatam fuiſſe, non eſſe falſum, erroneum, & a veritate alienum id aſſerere & in concionibus publicare, unde Miſſam & Officium conceptionis ejuſdem Virginis celebrantibus indulgentias impertitur. Quibus adde autoritatem Innocentii VIII. Alexandri IV. Julii II. Leonis X. Pii V. Gregorii XIII. Pauli V. & Gregorii XV. qui vel præfatas Sixti conſtitutiones comprobarunt, vel novas ipſi ediderunt.

Quarto demum id aperte conficiunt duo Concilia, quorum primum Baſileenſe, ubi Patres hanc doctrinam, *tanquam piam & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei catholicæ rectæ rationi & Sacræ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam fore & amplectendam*, definiunt. Alterum vero Tridentinum, quod ſuper ea re ſtatuit *obſervandas eſſe conſtitutiones felicis recordationis Sixti IV. ſub pœnis in eis conſtitutionibus contentis*.

Ex quibus firmiſſimis fundamentis tandem effectum eſt, ut in piam hanc ſententiam tenendam conſpirantibus ultro omnibus Summis Pontificibus, Epiſcopis, Doctoribus, Univerſitatibus & Academiis, contrarium jam nemo publice

S 2 defen-

defendere poſſit, quin aliquam temeritatis notam incurrat.

Hinc inſcite non minus quam abſurde dixerunt nonnulli hanc noſtram ſententiam vulgi opinioni ſimillimam & omni autoritate carentem; id, ut puto, acceperunt a Cajetano, qui in tractatu de Conceptione fatetur, *Doctores tenentes B. Virginem fuiſſe præſervatam a peccato originali, eſſe numero infinito*, *ejuſmodi tamen pietatem*, vocat, *apparentem*, *fundamento ſolido deſtitutam*, *& non ſecundum ſcientiam*, quæ cum pronuntiavit Cajetanus, & pietati & ſcientiæ parum ipſe detulit, ut abunde demonſtrant momenta ſuperius adducta. Sane Cajetano reſpondere poſſumus quod olim in alia materia Juliano reponebat Divus Auguſtinus lib. 1. cap. 2. *Non tibi, ſicut calumniaris, ſolum populi murmur opponimus, quanquam & ipſe populus adverſus vos propterea murmurat, quia non eſt talis quæſtio, quæ poſſit etiam cognitionem fugere popularem, divites & pauperes, excelſi atque infimi, docti atque indocti, mares & fœminæ noverunt quid cuique ætati in baptiſmate remittatur*. Sic vero nos dicimus, B. Virginis Conceptionem immaculatam jam non vulgus modo agnoſcit; ſed & omnes penitus Theologi, Summi Pontifices agnoſcunt & Concilia.

Atque in hujus veritatis confirmationem jam tum acceſſiſſe univerſalem Eccleſiæ conſenſum ex eo maxime colligitur, quod jam ubique B. Virginis Conceptionis feſtivitas quotannis celebratur; unde ſaltem colligere eſt hanc ſententiam ut pie tenendam nunc proponi ab Eccleſia; quam conſequentiam veram fatebatur ipſe S. Bernardus in Epiſtola jam citata ad Canonicos Lugdunenſes, quos nempe eo nomine redarguit, quod celebritatem inducerent, *quam ritus Eccleſiæ neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio*. Qui ex adverſo fatetur ejuſdem Virginis Nativitatem ſolemniter celebrari poſſe, quia reapſe ſancta fuit & immaculata. *Fuit proculdubio*, inquit, *mater Domini ante ſancta, quam nata, nec fallitur omnino Sancta Eccleſia ſanctum reputans ipſum Nativitatis ejus diem, & omni anno cum exultatione univerſæ terræ votiva celebritate ſuſcipiens*.

Huic argumento communis olim ac pervulgata fuit Thomiſtarum reſponſio, feſtum Conceptionis B. Virginis celebrari tantum ratione ſanctificationis ejus in utero matris, quod quidem factum eſt poſt Conceptionem: hanc ſanctificationem appellant multi Conceptionem ſpiritualem, quia nempe fit ratione gratiæ...

At iſtud ſolemne feſtum non ſub nomine ſanctificationis, ſed ipſius materialis, ut ajunt, Conceptionis, manifeſte conſtat. 1. ex præfata S. Bernardi Epiſtola, ex qua colligitur, mentem non fuiſſe Eccleſiæ Lugdunenſis B. Virg. ſanctificationem in utero matris die feſtivo celebrare; tunc enim D. Bernardo nihil diſplicuiſſet, qui nimirum eam in utero fuiſſe ſanctificatam ultro confitebatur; quæ autem doctrina fuit Lugdunenſis Eccleſiæ, eadem plane fuit aliarum quæ iſtam deinceps imitatæ ſunt. 2. quia Concil. Baſileenſe, Sixtus IV. Martyrologia, & aliæ conſtitutiones de conceptione ſimpliciter loquendo mentionem faciunt, neutiquam vero de conceptione ſpirituali, vel de ſanctificatione. 3. quia licet Joannes Baptiſta ſanctificatus fuerit in utero matris, ejus tamen conceptioni feſto ſolemni celebrandæ non addicitur, ſed nativitati; quæ quidem manifeſte indicant totius Eccleſiæ mentem eſſe, B. Virginis Conceptionem ipſam non ſanctificationem celebrare, quæ nimirum ſentit in primo etiam conceptionis momento eam fuiſſe ſanctam.

Neque gravius eſt quod dicunt alii etiam illud primum materialis conceptionis inſtans ab Eccleſia celebriter agi, non quia ſanctum fuerit, ſed in gratiarum

rum

rum actionem, quia videlicet ex Dei beneficio factum eſt ut illa conciperetur, quam Deus ſibi poſtea in matrem elegit ad totius humani generis ſalutem procurandam, ſicut nonnullæ Eccleſiæ celebrant feſtum conceptionis B. Joannis Baptiſtæ 24 Septembris ut colligitur ex Græcorum Menologio, Martyrologiiſque Bedæ & Uſuardi: Eſt quippe hæc reſponſio omnino frivola, tum quia gratis conficta eſt & nullo innixa fundamento, iiſdemque revinci debet argumentis, ac prior mox confutata: certum eſt autem feſtum conceptionis S. Joannis Baptiſtæ ab Eccleſia non celebrari.

His omnibus accedunt nonnulla rationum momenta, quibus fortaſſe ducti Majores noſtri B. Virginis Conceptionem immaculatam docuerunt.

Prima eſt, quia plus honoris ei deferendum putarunt quam S. Joanni Baptiſtæ, plus gratiæ collatum Matri Dei quam Præcurſori; enim vero, inquit Edmundus Richerius, quanto B. Maria præ S. Joanne Baptiſta ſanctius atque differentius nomen hæreditavit: tanto & meliorem atque puriorem effectam nobis certo perſuadere debemus, nam cæteris hominibus veluti partes, in Mar. Virgine tota gratiæ plenitudo ſeſe effudit, juxta vocem Angeli, *Ave gratia plena Dominus tecum:* Quare ſi S. Joannes Baptiſta ſanctificatus eſt in utero, ita ut Nativitas ejus fuerit ſancta, potiori jure dici debet B. Virginem Deiparam non modo ante ortum, ſed & in ipſa conceptione debuiſſe ab omni peccati macula præſervari.

Secunda ratio eſt, quia communis fere omnium eſt opinio illam ab omni peccato actuali fuiſſe immunem: ſed quæcunque uſurpari ſolent, ut oſtendatur B. Virginem non ſubjacuiſſe per totam vitam peccato actuali, eadem probant illam a peccato originali fuiſſe præſervatam, ſeu hoc ipſum colligatur ex eo quod, ut ajunt, non decuit illam eſſe ſervam Diaboli quæ debuit eſſe mater Dei, ſeu ex eo quod honor & ignominia matris redundat in Filium, ſeu denique iſtud repetatur ex ſingulari conjunctione quæ fuit inter Chriſtum & B. Virginem.

Tertia ratio eſt, quia nihil obſtat quominus pie credatur peculiare iſtud privilegium B. Virgini matri ſuæ conceſſiſſe Deum potentiſſimum, quod certe ſine ulla abſurditate fieri potuit, ſed nulla ex parte repugnat ejuſmodi donum quantumvis maximum & ſingulare ipſi fuiſſe conceſſum; neque enim repugnat ſive ex parte Dei aut ullis ejus attributis, ejus juſtitiæ, & ſapientiæ; neque ex parte ipſius Virginis, quæ in ipſa conceptione non minus quam paulo poſt conceptionem & ante ſuam nativitatem ab originali macula præſervari potuit; nil vetat igitur, quominus ipſi conceſſum fuiſſe pie credamus.

Solvuntur Objectiones.

Objicies: ea ſententia nequidem tanquam pie credenda propugnari poteſt, quæ manifeſte adverſatur auctoritati Scripturarum & SS. Patrum: atqui hæc ſententia quæ docet B. Virginis Conceptionem fuiſſe immaculatam, manifeſte pugnat cum Scripturis ſacris & SS. Patribus: ſiquidem & Scripturæ & SS. Patres uno ore docent omnes homines in Adamo peccaſſe, ut ſatis perſpicuum eſt ex locis ſuperius adductis, cum adverſus Pelagianos communem omnibus & ſingulis hominibus peccati originalis propagationem oſtendimus, ad Romanos 5. cap. *per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors, & ita in omnes pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Ut autem ait S. Auguſtinus lib. de natura & gratia, *Et antiquos & recentiores & nos & poſteriores noſtros ſententia iſta complectitur.* Sed ſi B. Virgo non contraxit peccatum originale, falſum eſt omnes & ſingulos homines pec-

caſſe

caſſe in Adamo ; falſum eſt quod ait Apoſtolus , *in quo omnes peccaverunt* , non omnes antiquos & recentiores ſententia iſta complectitur : ergo hæc opinio pia non eſt , ſed impia , inquit Bandellus , ſiquidem impium eſt contradicere S. Scripturæ.

Neg. min. ad cujus probationem diſt. maj. & Scripturæ & Patres uno ore docent omnes homines peccaſſe in Adamo quoad debitum, C. quoad actum , N. explicuimus ſupra quid ſit peccare in Adamo quoad debitum , & quid ſit peccare quoad actum ; ubi nempe diximus B. Virginem Mariam contraxiſſe quidem peccatum originale quoad jus , debitum , obligationem , & in actu ſignato , ut ajunt ; non autem quoad actum de facto & in actu exercito ; quatenus nempe debuit illa juxta legem omnibus communem peccare , ſed tamen ſpeciali quodam Dei favore præſervata non peccavit . Ex illis autem omnibus & Scripturæ & Patrum propoſitionibus generalibus , in quibus univerſim & ſine ulla exceptione pronuntiatur omnes homines peccaſſe in Adamo , hoc unum inferri poſſe B. Virginem quoad debitum contraxiſſe Peccatum originale , non quoad actum liquet manifeſte ex duplici momento .

Primo , quia in univerſum ejuſmodi propoſitiones generales non debent aliter accipi , ſed ſine ullo veritatis præjudicio ſemper aliquam patiuntur reſtrictionem; quemadmodum colligi poteſt ex aliis quampluribus teſtimoniis , legitur v. g. Pſal. 13. *omnis homo mendax* . 1. Joan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus , ipſi nos ſeducimus , & veritas in nobis non eſt* . Quæ ſtatim & prima fronte indicant ſingulos homines peccatis actualibus eſſe obnoxios, propoſitiones enim ſunt generales ; ſed quia docet Fides Chriſtum Dominum , quantumvis verum hominem ; non fuiſſe mendacem; tum vero & communis ſit omnium vel etiam Dominicanorum ſententia B. Virginem caruiſſe peccatis actualibus , inde profecto ſequitur ejuſmodi propoſitiones tametſi generales cum aliqua reſtrictione accipiendas ; ita ut earum ſenſus ſit omnem hominem eſſe mendacem , & in quovis homine peccatum eſſe ; niſi aliunde conſtet illum vel natura ſua a peccato eſſe immunem , vel ſingulari privilegio præſervatum .

Sic vero & de aliis prope innumeris ejuſdem Scripturæ propoſitionibus judicandum eſt , ut cum legitur Pſal. 52. *omnes declinaverunt* . Joan. 12. *omnia traham ad me ipſum* . 1. Corint. 6. *omnia mihi licent* . Quæ quidem profecto cum aliqua reſtrictione intelligi debent ut & ſimiles aliæ , quæ leguntur paſſim apud SS. Patres ; quo fit ut & iſtæ propoſitiones generales , in quibus univerſim pronuntiatur omnes homines peccaſſe in Adamo , cum hac reſtrictione explicentur , ſi videlicet ſingulari Dei beneficio ab illa communi lege non eximantur , quod ipſum nunc dicimus de B. Virgine Maria .

Secundo hunc modum explicandi præfatas Scripturæ propoſitiones generales cum aliqua ſcilicet reſtrictione , ipſis Scripturis aperte non contradicere , ut ſcribit Bandellus , certo colligitur ex Patribus Tridentinis , qui in ſeſſione 5. decreto de peccato originali ex una parte ſimiles emittunt propoſitiones generales , ut ſub peccato originali omnes & ſingulos homines concludant , ex altera vero declarant poſtea ſuæ non eſſe intentionis B. Virginem comprehendere in hoc decreto , can. 2. *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli non ejus propagini aſſerit nocuiſſe . . . cum contradicat Apoſtolo dicenti , per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors , & ita in omnes homines mors pertranſiit , in quo omnes peccaverunt* . Can. 3. *Si quis hoc Adæ peccatum quod origine unum eſt & propagatione non imitatione transfuſum omnibus &c.* Quibus ſic univerſim pronuntia-

tiatis hanc reſtrictionem de B. Virgine ſubjungere non verentur, *declarat tamen hæc ipſa ſancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto ubi de peccato originali agitur, Beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem*. Quidni ergo nos Patrum Tridentinorum veſtigiis inhærentes non dicemus adductas Scripturæ propoſitiones quantumvis generales aliquam pati poſſe reſtrictionem; ita ut his Scripturis non contradicamus, cum B. V. Conceptionem immaculatam eſſe docemus?

Inſtabis, ſi ex eo quod præfatæ Scripturarum propoſitiones generales nonnullam patiuntur aliquando reſtrictionem, colligeretur B. Virginem actu non ſubjacuiſſe legi, actu non contraxiſſe peccatum originale, plane idem de quovis alio dici poſſet; aut certe jam non conſtaret quemquam alium actu contraxiſſe peccatum originis; quandoquidem vi legis a Deo latæ & propoſitionum Scripturæ, omnes & ſinguli homines non peccarunt in Adamo niſi quoad debitum: ſed nemo dixerit certo non conſtare, omnes & ſingulos Adæ poſteros actu contraxiſſe peccatum originale; hæc eſt enim vera & catholica fides, omnes & ſingulos homines ex ſemine Adæ procreatos actu contrahere peccatum originale ſua in conceptione, non quoad debitum duntaxat: ergo.

D ſt. maj. plane idem de quovis alio dici poſſet, ſi nempe ad illud affirmandum eadem affulgerent rationum momenta, C. ſi non adſit idem fundamentum, eadem ratio, N. non colligimus itaque B. Virginem a peccatô originali fuiſſe immunem, ex eo præciſe quod propoſitiones Scripturarum adductæ aliquam pati poſſunt exceptionem; fateor enim plane ineptam fore iſtam argumentationem, generales Scripturæ propoſitiones pati poſſunt aliquam reſtrictionem: ergo iſtæ quibus enuntiatur, omnes peccaſſe in Adamo, cum reſtrictione accipi debent, ita ut in iis non comprehendatur B. Virgo: verum inſuper neceſſe eſt ut ejuſmodi exceptio aliquo innitatur fundamento legitimo, quod vel ex graviſſimis rationibus vel autoritate ſufficienti deſumatur; quare idem de cæteris hominibus quod de B. Virgine affirmare non licet, neque enim par utrobique extat ejuſmodi exceptionis fundamentum. Adeoque admiſſa ejuſmodi exceptione in gratiam B. V. Deiparæ, manet certiſſimum omnes & ſingulos Adæ poſteros actu contrahere peccatum originale.

Inſtabis, cum illa veritas, qua ſtatuitur omnes & ſingulos homines peccaſſe in Adamo, expreſſe continetur in Scripturis, & aliunde unanimi SS. Patrum confirmetur, non ſatis idoneo ac ſufficienti fundamento ab illa communi lege excipitur Beata Virgo, niſi pariter ex iiſdem Scripturis, aut ſaltem ex SS. Patrum ſcriptis hoc ipſum eruatur: qua ex cauſa non obſtantibus præfatis Scripturæ propoſitionibus generalibus certo creditur peccatum nullum fuiſſe in Chriſto Domino, quia videlicet ex aliis Scripturæ teſtimoniis manifeſtum eſt eum ab omni peccato fuiſſe immunem: atqui tamen neque in Scripturis, neque apud SS. Patres legitur illa immunitas B. Virginis a communi noxa originali: ergo neque extat ſufficiens fundamentum, quo ipſa præ cæteris dicatur a communi lege immunis.

Nego maj. & dico ſpeciale hoc privilegium B. Virgini Deiparæ jure merito & ſine ulla temeritatis nota adjudicari poſſe, quantumvis expreſſe non contineatur in Scripturis Sacris, neque ſit ab antiquioribus SS. Patribus aperte traditum, cum præſertim hæc noſtra ſententia, qua declaratur B. Virgo ab originali peccato immunis, non propugnetur tanquam fidei catholicæ dogma; & aliunde graviſſimis innixa ſit fundamentis, autoritate ſcilicet multorum ac prope ſine numero Theologorum, mul-

multorum Summorum Pontificum, ipſiuſque Concil. Tridentini, quæ profecto ſatis virium habent, ut ſententiam piam & catholico cultui conſonam ſtabiliant.

Inſtabis: his fundamentis propugnari non poteſt ſententia, quæ non modo vel leviter inſinuatur in ſcriptis SS. Patrum, ſed quam expreſſe damnant & proſcribunt; atqui omnes univerſim SS. Patres, aliique poſtmodum Doctores fere omnes, uno ore atque expreſſe damnant illam ſententiam qua excipitur B. Virgo a communi lege: nam illi merito cenſentur hanc condemnare ſententiam qua B. Virgo a communi lege excipitur, qui cum de peccato originali diſſerunt, ab illa aommuni plaga ſolum Chriſtum diſerte excipiunt: neque enim ulla ratio excogitari poteſt, cum & ipſam B. Virginem velut ab illo peccato puram & immunem non appellarunt, ſi tum ea fuit eorum opinio illam ſingulari beneficio fuiſſe præſervatam: atqui Patres aliique poſtmodum Scriptores Eccleſiaſtici, cum de peccato originali loquuntur, ſolum Chriſtum diſerte excipiunt ab illa communi lege, nuſpiam vero B. Virginem.

Id ut invicte demonſtret Bandellus Ordinis Prædicatorum quondam Magiſter Generalis, plurimos laudat in Tractatu *de ſingulari puritate, & prærogativa conceptionis Jeſu Chriſti*, cap. 13. S. Ireneum lib. 5. contra hæreſes hæc ſcribentem: *Plaga ſerpentis omnes homines ſunt vulnerati, ſed per crucem Chriſti qui ſolus ſine peccato venit in ſimilitudine carnis peccati, ſanati ſunt.*

S. Cyprianum in 3. lib. ad Quirinum, ut allegatur a B. Hieronymo in 1. & 2. lib. contra Pelagium ſic dicente, *B. Cyprianus ad Quirinum ſcribens, neminem niſi ſolum Chriſtum eſſe ſine peccato dixit.*

S. Rethicium Auguſtodunenſem Epiſcopum apud S. Auguſtin. in 1. & 2. libro contra Julianum: *Omnes homines*, inquit, *excepto Chriſto, antiqui criminis tenentur obnoxii.*

Item S. Olimpium Hiſpanum Epiſcopum ibidem ſcribentem: *Vitium tranſgreſſionis protoplaſti eſt adeo germine ſparſum, ut omnes excepto Chriſto cum peccato naſcamur.* Addit S. Gregorium Nyſſenum in libro, ut ait, contra Novatianos, S. Baſilium, S. Cryſoſtomum.

S. Hilarium in libro de Trinitate: *Omnis caro, excepta illa qua ſine peccato venit ſimilitudine carnis peccati, ſub peccati origine & ſub peccati lege nata eſt, cujus vox hæc eſt: Ecce enim in iniquitatibus, &c.*

Laudat cap. 14. hæc S. Euſebii Emiſſeni in 2. ſerm. Nativitatis Domini, ubi ſic habet alloquens B. Virginem: *Initiator omnium rerum abs te initiatur, & ſanguinem pro mundi vita fundendum, e corpore tuo accepit, ac de te aſſumpſit unde etiam pro te ſolvat. A peccati enim originalis nexu nullus immunis extitit, nec etiam ipſa Genitrix Redemptoris. Solus enim Chriſtus, licet de debitrice naſcatur, legis veteris debito non tenetur.*

Hæc Origenis ex homil. 12. in Leviticum: *Omnis qui ingreditur hunc mundum ex hoc ipſo quod in vulva matris poſitus, materiam corporis ab origine paterni ſeminis ſumit, in patre & matre contaminatus dici poteſt, quia nemo mundus a ſorde nec ſi unius diei fuerit vita ejus: omnis ergo homo in patre & matre pollutus eſt, ſolus autem Dominus noſter J. C. in hac generatione mundus ingreſſus eſt, quia ipſe ſolus peccatum non ſervit.*

Item iſta Caſſiani ex penultima Collatione: *Aliud eſt eſſe ſanctum, quod de multis dici poteſt, & aliud eſt eſſe immaculatum & ſine peccato, quod unius Domini noſtri Ieſu Chriſti convenit majeſtati. De quo etiam Apoſtolus veluti quid præcipuum ac ſingulare pronuncians dicens, Qui peccatum non fecit.*

Et

Et B. Ephrem Syri in ſermone de Paſſione Domini : *Salvator atque Redemptor noſter , qui ſolus ſine peccato fuit , pro omnibus paſſus nobis eſt , & pro noſtris peccatis eſt crucifixus , qui ſolus ſine pecato fuit .*

Tum vero S. Cyrilli Alexandrini ſuper Lucam ; *Quando* , inquit , *venit Salvator , nullus erat juſtus ſuper terram , ſicut docet Apoſtolus dicens , non enim eſt diſtinctio ; omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei , id eſt , Chriſto qui ſolus fuit ſine peccato .*

Citaverat antea Bandellus nonnulla teſtimonia SS. Hieronymi , Ambroſii & Auguſtini .

Hieronymus quidem , inquit , ſcribit Dialogo 2. contra Pelagianos : *Juſtos homines poſſe eſſe concedo : ſine autem omni peccato neminem poſſe eſſe affirmo , etenim abſque omni peccato eſſe ſoli Chriſto competit , omniſque humana creatura peccato ſubjacet , & indiget Dei miſericordia .*

S. Ambroſius lib. 2. in Lucam n. 56. *Solus enim per omnia ex natis de fœmina Sanctus Domini Jeſus , qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non ſenſerit , & cæleſti majeſtate depulerit .* Idem in lib. de Arca Noe : *Per unum* , inquit , *Dominum Jeſum ſalus ventura nationibus declaratur , qui ſolus potuit juſtus in conceptione eſſe : cum omnis generatio hominum erraret , niſi natus ex Virgine , generationis obnoxiæ vinculo nomine teneretur .*

Idem commentar. ſuper Iſaiam : *Omnis homo mendax* , inquit , *& nemo ſine peccato , niſi unus ſolus Deus . Servatum eſt igitur ut ex viro & muliere , per illam corporum mixtionem , nemo conceptus expers ſit delicti , qui autem expers eſt delicti , expers eſt & hujuſmodi conceptionis .*

Et S. Auguſtinus innumeris propemodum in locis , in Pſal. 34. *Sic ergo* , inquit , *peccatum Domini quod factum eſt de peccato , quia inde carnem aſſumpſit de maſſa ipſa quæ mortem meruerat ex peccato . Etenim ut celebrius dicam , Maria ex Adam mortua propter peccatum , Adam mortuus propter peccatum , & caro Domini ex Maria mortua eſt propter delenda peccata .*

Lib. 10. de Geneſi ad Litteram c. 18. *Proinde* , inquit , *Corpus Chriſti , quamvis ex carne fœminæ aſſumptum eſt , quia de illa carnis peccati propagine concepta fuerat , tamen quia non ſic in eo conceptum eſt , quomodo fuerat illa concepta , nec ipſa erat caro peccati , ſed ſimilitudo carnis peccati .*

Tractatu 4. in Joan. *Solus ergo ille Agnus qui non ſic venit , non enim in iniquitate conceptus eſt , quia non de mortalitate conceptus eſt , nec eum in peccatis mater ejus in utero aluit .*

Lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia cap. 12. ubi de Chriſto loquens : *Solus ibi nuptialis concubitus non fuit , quia in carne peccati fieri non poterat ſine illa carnis pudenda concupiſcentia quæ accidit ex peccato , ſine qua concipi voluit qui futurus erat ſine peccato , non in carne peccati ſed in ſimilitudine carnis peccati : ut hinc etiam doceret , omnem quæ de concubitu naſcitur , carnem eſſe peccati , quandoquidem ſola quæ non inde nata eſt , non fuit caro peccati .*

Lib. 2. de peccatorum meritis c. 24. *Solus ergo ille etiam homo factus manens Deus peccatum nullum habuit unquam , nec ſumpſit carnem peccati , quamvis de materna carne peccati .* Quibus ſimillima paſſim leguntur apud eundem Auguſtinum .

Dehinc aliorum Patrum & Doctorum teſtimonia quamplurima profert Bandellus , in quibus vel expreſſe vel ſaltem implicite docet ſolum Chriſtum a peccato originali fuiſſe immunem ; ſic B. Leo Papa ſermone 2. de Nativitate Domini . S. Fulgentius lib. ad Donatum . S. Proſper lib. 2. de vita contemplativa S. Remigius Archiepiſcopus Remenſis in Pſalm. *Deus Deus*

Digitized by Google

meus reſpice in me . S. Maximus in quodam ſermone Aſſumptionis B. Virginis . S. Severinus dictus Boethius in libro de duabus naturis & una perſona Chriſti . Venerabilis Beda in quadam homilia ſuper Joannem . S. Theodorus Theotonicus libro quem metrice compoſuit de Hiſtoriis veteris & novi Teſtamenti . Rabanus ſuper Matthæum . Cæſarius Arelatenſis in quodam ſermone . B. Iſidorus Hiſpalenſis in lib. 1. ſententiarum ſuarum capitulo 12. & 14. S. Anſelmus in lib. *cur Deus homo* . S. Bernardus Epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes. S. Ildephonſus Epiſcopus Toletanus in lib. de Virginitate Beatæ Mariæ .

Laudat inſuper Bandellus autoritatem undecim Summorum Pontificum , item Doctorum XXII. in jure peritiſſimorum . Tum vero XX. antiquiorum Doctorum , quos inter primas tenet B. Joannes Damaſc. in ſermone Aſſumptionis . Dehinc capite ſequenti aliorum XXVII. Theologorum antiquorum & clariſſimorum . Profert cap. 22. autoritatem XIV. Doctorum Ordinis Ciſtercienſis . Cap. 23. dicta LXXII. Doctorum e familia Dominicana . Cap. 24. autoritatem XXXII. Franciſcanorum . Et poſtea Doctorum XVI. Ordinis Eremitarum , & duorum ordinis Carmelitarum , Conſtat igitur Chriſtum Dominum a peccato originali , *ſolum* fuiſſe immunem .

Huic argumento , quo potiſſimum innituntur adverſarii , reſpondeo negando minorem primi Syllogiſmi ; ad ſecundum vero diſt. min. Patres aliique poſtmodum Scriptores Eccleſiaſtici , *ſolum* Chriſtum diſerte eximunt a communi lege , eo ſenſu quod ſolus Chriſtus nec quoad actum nec quoad debitum contraxit peccatum originale , ſed ab eo ſuapte natura fuit immunis , C. eo ſenſu quod abſolute & ſimpliciter loquendo nemo præter Chriſtum ab illa communi plaga fuit præſervatus , N. quamquam igitur ſolemne eſt Patribus , quando dicunt omnes homines peccaſſe in Adamo , ſolum Chriſtum diſerte & nominatim excipere , nuſpiam vero B. Virginem Deiparam ; non idcirco tamen abſolute & ſimpliciter negant quempiam ab illa communi aliorum conditione factum fuiſſe immunem ; ſed eo ſenſu Chriſtum *ſolum* , tunc nominatim eximunt , quia revera ſolus Chriſtus ſuapte natura a peccato fuit liber ; ita ut nec quoad actum nec quoad debitum culpam contraxit originalem .

Et ratio eſt , quia cum his atque ſimilibus propoſitionibus fidem Eccleſiæ de peccati originalis propagatione ſartam tectamque aſſerere vellent Patres , neminem expreſſe excipiebant , de quo videlicet certo & ſine ulla dubitatione non conſtabat , quod tanquam certum non docebat Catholica Fides , ne ſi mere probabilia cum certis miſcuiſſent , aliquid nocumenti inde paſſa fuiſſet Religio .

Atque , quod in omni & quovis Eccleſiæ ſæculo veriſſimum fuit , locum præſertim habuit temporibus Pelagianorum ; tunc enim opportunum non fuit , ut ab originali peccato quiſpiam diceretur immunis ; unde mirum videri non debet , ſi , cum adverſus illos hæreticos rem habuit S. Auguſtinus , B. Virginem ab illa communi regula nominatim non exceperit , hinc quippe nata fuiſſet nova cum Pelagianis controverſia , quam pro ſua prudentia fugere debuit ſanctus Doctor .

Id autem inſuper ex eo colligitur , quod plerumque laudati Patres ejuſmodi propoſitiones generales efferunt , & *ſolum* excipiunt Chriſtum , quando etiam vel agitur de peccatis actualibus , vel ſermo eſt de hominum nativitate ; ſcilicet ajunt omnes homines naſci in peccato , tum vero neminem ſine peccato actuali vivere poſſe , neque tamen in iiſdem locis aut de B. Virgine aut

de

de ſanctificatione Jeremiæ & S. Joannis Baptiſtæ in utero materno quicquam commemorant, quia nimirum ejuſmodi exceptiones, quæ diſputantem quodammodo retardare poſſunt, referre nihil neceſſe eſt.

Cæterum triplici potiſſimum nomine notandus exſibilandusque hic venit Bandellus; primo, quia manifeſte fucum facit, cum in hoc ſuo tractatu de ſingulari puritate conceptionis J. C. adverſus conceptionem immaculatam B. Virginis congerit teſtimonia 260. Doctorum, quæ ad ejuſmodi propoſitum aut parum certe aut nihil omnino conferunt, id unum quippe in iis fere ſingulis legitur omnes homines contrahere peccatum originale, nec niſi in quibusdam Chriſtum *ſolum* ab illa communi lege fuiſſe immunem.

Secundo, quia in citandis illis autoribus ſuam aperte prodit inſcitiam, cujus nonnulla hic proferemus ſpecimina. Laudat v. g. autoritatem S. Gregorii Niſſeni, prout recitat Auguſtinus lib. 1. contra Jul. loco ſcilicet Gregorii Nazianzeni, & quoad dixerat Auguſtinus Gregorium ſcripſiſſe contra *novitiam peſtem* Pelagianorum, hoc intelligit Bandellus contra Novatianos. *Idem tenet*, inquit, *S. Gregorius Niſſenus in libro contra Novatianos*. Item citat ſub nomine Euſebii Emiſſeni ſermonem Nativitatis Domini falſo illi aſcriptum; ſic B. Ephrem Syro ſermonem de Paſſione Domini adjudicat, ut & Proſpero libros de Vita contemplativa, citat Boethium ſub nomine S. Severini, &c.

Tertio demum, quia mala prorſus fide præfatas Patrum & Doctorum autoritates exſcribit, nam v. g. apud S. Irenæum non reperiuntur hæc verba, *per Crucem Chriſti qui ſolus ſine peccato venit*. Nec iſta apud Reticium, *excepto Chriſto*, non iſta apud Olimpium *excepto Chriſto*, qua audacia hæc loca interpolaverit Bandellus, inferens quæ ſuo propoſito credebat profutura, ſane mirari ſatis nequeo. Quin & referendo ſententias Theologorum ſincerius non agit, in teſtimonio Petri Lombardi, addidit hæc verba, *in Maria*, quibus ſublatis merito dubitatur de hujus Doctoris opinione &c. Caute igitur aut non omnino ſuper iſta re legatur iſte Bandelli Tractatus.

Inſtabis: conſtat ſaltem ab illis partibus ſtetiſſe S. Auguſtinum: is quippe cenſuit B. V. actu contraxiſſe peccatum originale, qui dicit carnem Mariæ fuiſſe carnem peccati, nec corpus Chriſti ſic in ea conceptum, quomodo fuerat illa concepta, atqui docet S. Auguſtinus lib. 2. de peccat. meritis ſupra citato, carnem Mariæ fuiſſe carnem peccati, lib. 10. de Geneſi ad litteram, corpus Chriſti non ſic in Maria conceptum, quomodo fuerat illa concepta: ergo:

Diſt. min. carnem Mariæ fuiſſe carnem peccati & de illa carnis peccati propagine conceptam, quoad debitum, C. quoad actum, N. ſic vero hæc ſimilia, quæ quidem, ut fateor, multa reperiuntur apud S. Auguſtinum, emolliri tandem poſſunt, quia comparat in illis locis B. Virginem cum Chriſto Domino atque inter utriuſque conceptionem multum eſſe diſcriminis, in eo ſcilicet poſiti, quod caro Mariæ fuerit caro peccati, caro vero Chriſti nonniſi in ſimilitudinem peccati; quod ſane diſcrimen ſatis intelligitur, poſito quod caro Mariæ fuerit caro peccati quoad debitum, quod fuerit concepta in peccato quoad actum; cum ex adverſo caro Chriſti, quæ per nuptialem concubitum orta non eſt, nequidem quoad debitum fuerit caro peccati, fuerit in peccato.

Inſtabis: lib. 4. operis imperfecti cap. 122. Auguſtino crimini vertit Julianus, quod ex communi omnium conditione, orta ſcilicet ex doctrina peccati originalis Mariam facit peccati ream & Diaboli filiam, pejor hac in re Joviniano: *ille*, verba ſunt Juliani, *Virgini-*

ginitatem Mariæ partus conditione diſſolvit , tu ipſam Mariam Diabolo naſcendi conditione tranſcribis . Cui criminationi ſic reſpondet ſanctus Doctor , *Non tranſcribimus Diabolo Mariam conditione naſcendi , ſed ideo quia ipſa conditio ſolvitur gratia renaſcendi* .

Ubi aperte ſtatuit B. Virginem Diabolo non fuiſſe aſcriptam , quatenus per gratiam renaſcendi ab illa communi conditione ſoluta eſt : ſed quæ nonniſi per gratiam renaſcendi , immunitatem a communi lege peccati originalis conſecuta eſt , profecto non fuit immaculata & ſine peccato in ſua conceptione : ergo ex S. Auguſtino Conceptio B. Virginis Mariæ non fuit immaculata .

Quibus adde argumento Juliani aliter dubio procul reſponſurum fuiſſe Sanctum Auguſtinum , ſi tum ea fuiſſet ipſius opinio B. Virginem a peccato originali fuiſſe immunem ; nam aperte negaſſet Mariam ex conditione nativitatis ſuæ per peccatum Diabolo tranſcriptam ; quando quidem & in ipſa conceptione ſua a peccato originali præſervata fuerat .

Nego min. quando enim dicit Auguſtinus ab aliorum conditione ſolutam fuiſſe Mariam per gratiam renaſcendi , veriſimilius intelligit ipſius etiam conceptionem fuiſſe ab omni peccati macula immunem ; aliter minus accurate , ne dicam peſſime , reſpondiſſet Juliani argumento ; is quippe eo nomine invidiam creare volebat Auguſtino , quod ſemel admiſſa peccati originalis doctrina Mariam Diabolo aſcribebat , cui reponit ſanctus Doctor : *Non tranſcribimus Diabolo Mariam conditione naſcendi , ſed ideo quia ipſa conditio ſolvitur gratia renaſcendi* . Atqui , ſi per illam gratiam renaſcendi in mente S. Auguſtini non intelligatur ſingulare beneficium quo Deus voluit B. Mariæ Conceptionem eſſe immaculatam , ſed ſolummodo gratia qua in nativitate ſanata eſt a peccato ; dubio procul Juliani argumento neutiquam reſpondet Auguſtinus , eatenus enim fatetur Mariam Diabolo tranſcriptam uſque ad tempus nativitatis , quod ſatis eſſe videtur ad confirmandam Juliani accuſationem : cur ergo tam nitide , tam aperte reſpondet S. Auguſtinus , *Non tranſcribimus Diabolo Mariam conditione naſcendi ?*

Sane , ſi exiſtimaſſet S. Auguſtinus conceptionem B. Mariæ fuiſſe peccato obnoxiam , ita ut ſine præjudicio catholici dogmatis ab illa communi plaga immunis dici non potuiſſet ſancta Virgo , illico reſpondiſſet pro omnibus & ſingulis latam fuiſſe legem , ejuſmodi doctrinam B. Virginis non eſſe contumelioſam , quia aperte legitur in Scripturis ; ubique enim ſedulo cavet Auguſtinus , præſertim vero in concertationibus contra Julianum , ne quicquam inſinuet vel leviter a dogmate peccati originalis diſſentaneum ; negat tamen aperte Mariam Diabolo fuiſſe tranſcriptam ; non fatetur illam in inſtanti ſuæ conceptionis peccato originali fuiſſe maculatam ; adeoque his verbis , *ipſa conditio ſolvitur gratia renaſcendi* , eam immunitatem intelligit qua donata eſt in ipſa conceptione .

Si quis autem hæc S. Auguſtini verba ſcrupuloſius accipere voluerit , quaſi ſolam a peccato immunitatem pro Nativitate non pro Conceptione B. Virginis prædicet , ut iſta innuere videntur *gratia renaſcendi* : Reſpondeo jam tum nobis objici non debere hoc Sancti Auguſtini teſtimonium ; ſiquidem Juliano nonniſi de Nativitate B. Mariæ loquenti , *tu ipſam Mariam Diabolo naſcendi conditione tranſcribis* : Nonniſi de ejus nativitate ſimiliter reſpondet , *Non tranſcribimus Diabolo Mariam conditione naſcendi* , negans ſcilicet ſe affirmare B. Virginem in peccato natam , relicta interim & prætermiſſa diſputatione de ejus conceptione .

Objicies : omnes homines qui per Chriſtum redempti ſunt , aliquo pecca-

to

to fuerunt obſtricti ; ſiquidem Redemptio manifeſte ſupponit peccatum, peccati ſervitutem, ad Epheſios cap. 1. 7. *in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum.* Ad Galatas 4. cap. *miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret.* Quemadmodum dixerat Propheta Regius Pſal. 129. *Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus ejus.* Atque ut habet S. Auguſtinus Epiſtola 190. ad Optatum referens verba Zozimi Papæ: *Non eſt falſa etiam in parvulorum baptiſmate remiſſio peccatorum, nec verbo tenus dicitur, ſed veraciter agitur .... nullus enim niſi qui peccati ſervus eſt, liber efficitur, nec redemptus dici poteſt, niſi qui vere per peccatum fuerit ante captivus, ſicut ſcriptum eſt, Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.*

Atqui Beata Virgo Deipara fuit per Chriſtum redempta, ut colligitur ex Apoſtolo dicente 1. ad Timoth 2. *Unus eſt mediator Dei & hominum Chriſtus Jeſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Unde S. Auguſtinus lib. 3. contra Julianum cap. 3. *Ceterum rogo te, quomodo poteſt intelligi iſta redemptio niſi a malo redimente illo qui redimit Iſrael ab omnibus iniquitatibus ejus? Ubi enim redemptio ſonat, intelligitur & pretium; & quid eſt hoc, niſi pretioſus Sanguis Agni immaculati Jeſu Chriſti? De hoc autem pretio quare ſit fuſum, quid interrogamus alium? Redemptor ipſe reſpondeat, dicat ipſe mercator, hic eſt, inquit, ſanguis meus qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Unde etiam canit Eccleſia, *Jeſu Redemptor omnium.*

Ergo B. Virgo fuit aliquando ſub peccato.

Huic porro argumento aliud prope ſimile uſurpavit F. Joannes de Vert Dominicanus, dum Rothomagi concionaretur; ajebat nimirum B. Virginem quandiu vixit, Dominicam orationem frequentaſſe & aliorum more dixiſſe, *dimitte nobis debita noſtra*, quod argumento eſt illam non fuiſſe peccati originalis expertem.

Diſt. maj. aliquo peccato fuerunt obſtricti vel quoad actum vel quoad debitum, C. quoad actum ſemper, N. ſcilicet ut B. Virgo proprie loquendo redempta a Chriſto cenſeatur, ſatis eſt quod illa peccatum originale contraxerit quoad debitum, hoc eſt, ſub communi aliorum hominum lege concluſa debuerit ejuſmodi peccatum contrahere; ſic enim a peccato redempta, quatenus ab eo præſervata eſt, quam propterea redemptionem appellant Theologi præſervativam, eſtque longe majus beneficium alia redemptione quæ in peccati remiſſione poſita eſt. Id ſane agnovit Auguſtinus cum lib. 2. Confeſſ. cap. 7. ſummi beneficii loco ſibi eſſe teſtatur, quod liberatus fuerit a multis peccatis quæ admittere poterat, eaque dimiſſa quæ non fecerat: *Gratias agam, inquit, & confitear nomini tuo quoniam tanta dimiſiſti mihi mala & nefaria opera mea. Gratiæ tuæ deputo & miſericordiæ tuæ, quod peccata mea tanquam glaciem ſolviſti, gratiæ tuæ deputo, & quæcunque non feci mala, quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amavi? & omnia mihi dimiſſa eſſe fateor, & quæ mea ſponte feci mala, & quæ te duce non feci.*

Quæ vero in contrarium afferuntur cum ex Scripturis tum ex SS. Patribus, ut ſcilicet oſtendatur redemptionem ſupponere peccatum, eatenus vero Chriſtum appellari omnium Redemptorem, quatenus eos a ſervitute peccati liberavit, profecto ejuſmodi ſunt, ut a ſuſcepta ſententia diſcedere non cogant, in his enim & ſimilibus locis agitur de Redemptione juxta legem ordinariam conſiderata.

Inſtat Bandellus: omnis qui præſervatur ab aliquo malo vel peccato, debet prius per aliquod inſtans eſſe ſine illo

illo malo vel peccato : ſed B. Virgo ante inſtans ſuæ animationis non erat : ergo non potuit præſervari.

Nego maj. quia nempe recte intelligitur ſtatuiſſe Deum ante B. Virginis Conceptionem ſeu animationem, illam a culpa originali immunem facere ; ſane piget in disjiciendis ejuſmodi objectionibus diutius immorari ; nihil quippe vanum magis ac frivolum, ut cum dicit eum non cenſeri a captivitate proprie redemptum, ſed potius cuſtoditum, qui fuit præſervatus, quemadmodum præſervatus ab omni ægritudine, non poteſt dici *ſanatus*, & præſervatus a morte vere dici non poteſt *reſuſcitatus*.

Objicit inſuper Bandellus: omnes homines ex viro & muliere per libidinem & concupiſcentiam generati, peccatum originale neceſſario contrahunt, ut uno ore docent SS. Patres. *Ex hac carnis concupiſcentia*, inquit Sanctus Auguſtinus lib. 1. de nuptiis cap. 24. *quæcunque naſcitur proles, originali obligata peccato, niſi in illo renaſcatur*. Atqui Beata Virgo fuit ex viro & muliere per libidinem & concupiſcentiam generata : ſoli enim Collyridiani hæretici, de quibus fit mentio apud Epiphanium hæreſi 79. B. Virginem docuerunt ſine ſemine viri, opera Spiritus S. conceptam : ergo contraxit peccatum originale.

Diſt. maj. juxta legem ordinariam & niſi ſpeciali Dei favore fuerint præſervati, C. abſolute, neceſſario & in quacunque hypotheſi, N. vel etiam ut ſupra, peccatum originale neceſſario contrahunt quoad debitum, C. quoad actum, N. ſolutio patet ex dictis, neque enim alia hic occurrit difficultas præter illam quæ ex generalibus tum Scripturæ tum SS. Patrum propoſitionibus diluta eſt.

Objicit poſtea : omnes homines præter Chriſtum, qui poſt Adæ peccatum mortui ſunt, neceſſario ſupponuntur aliquod habere peccatum, ſiquidem Roman. 6. 23. *ſtipendia peccati mors*, fuitque a multis Conciliis definitum mortem eſſe pœnam peccati. *Placuit*, inquit Concilium Milevitanum, *quod ſi quis dixerit mortem non eſſe pœnam peccati, anathema ſit*. Atqui Beata Virgo mortua eſt, canit enim Eccleſia in feſto ejus Aſſumptionis, *Dei Genitrix mortem ſubiit temporalem*. Ergo fuit in ea aliquod peccatum ; non actuale, igitur originale.

Favet inſuper ratio, quia mors eſt pœna, quod idem plane judicium ferri debet de morbis aliiſque vitæ incommodis quibus obnoxia fuit B. Virgo Maria, pœna autem non infligitur innocenti ; quocirca S. Auguſtinus ſuper Pſalmum 54. id aperte declarat his verbis, *Maria ex Adam mortua eſt propter peccatum*.

Diſt. maj. ſi res ſpectentur juxta legem ordinariam, C. ſi ratio habeatur divini favoris alicui ſpecialiter indulti, N. non ſunt igitur hæc accipienda niſi juxta legem ordinariam, qua ſcilicet conſtat omnes hujus vitæ ærumnas mortemque ipſam eſſe peccati ſtipendia, ſicut & ipſum peccatum in omnes & ſingulos Adæ poſteros tranſmiſſum eſt ; non autem abſolute loquendo, quaſi mors B. Virginis non potuerit ex naturali corporum conditione contingere, poſito nempe quod fuerit ab ipſo peccato originali libera, quo plane pacto in ſtatu naturæ integræ homines nullo peccato maculati, forent tamen morti obnoxii ratione quatuor elementorum quibus eorum corpus conflaretur.

Quod autem ajunt juſte pœnam non infligi innocenti, reſpondeo mortem aliaſque vitæ præſentis calamitates, pœnæ inflictæ rationem non habere, niſi reſpectu eorum in quibus eſt peccatum originale ; niſi dicatur cum aliis innocentem ex omni parte non fuiſſe Beatam Virginem, quia licet non contraxerit actu peccatum originale, illud tamen contraxit quod debitum ; unde, in-

Digitized by Google

inquiunt, nocens fuit in proprio debito, quod ſufficit ut morbis, mortique ipſi mancipata fuerit.

An Fide Catholica credendum ſit Beatæ Virginis Conceptionem fuiſſe immaculatam.

NOnnulli de B. Virginis puritate ſentientes intemperantius, veriti non ſunt affirmare, tanquam certum atque indubitatum fidei catholicæ dogma, eam fuiſſe ſine peccato originali conceptam, rati forſitan quæſtionem in Concilio Baſileenſi definitam. Ita unus e noſtris alioquin doctiſſimus Faber Stapulenſis ſic mentem ſuam obiter declarans in Comment. in cap. 11. lib. 1. Joannis Damaſceni: *In eis, inquit, quæ necdum publico decreto definita ſunt, antequam aperte determinentur, diverſo interdum modo ſentire comperiuntur probati autores, quemadmodum de immaculata Conceptione ſacratiſſimæ Virginis Mariæ quod fuerit immunis & expers originalis culpæ, antequam Catholica id definiret Eccleſia, graves & celebres antiqui Patres diverſa ſentire deprehenduntur, quod tamen poſt definitionem univerſalis Eccleſiæ, ipſam ſcilicet contagionis & maculæ primævæ prorſus exortem eſſe, amplius in dubium revocare fas non eſt, aut refutare.*

In illa ſententia, cui plus æquo a trecentis annis propenſi fuerunt multi Magiſtri Pariſienſes, ſine dubio verſabatur Edmundus Richerius Doctor & Socius Sorbonicus, ut colligitur ex Hiſtoria Conciliorum Generalium lib. 3. cap. 5. ubi adducto Scholæ Pariſienſis decreto, quo Patrum Baſileenſium ſuper ea re doctrinam amplectuntur, ſic ipſe loquitur: *Et ita patet Facultatem Pariſienſem, cum ante Synodi Baſileenſis decretum pio quodam propoſito defenderet Conceptionem immaculatam B. Virginis, poſtea id ipſum tanquam fide catholica credendum propoſuiſſe.* In ejuſce rei confirmationem laudat Clitoveum qui lib. de Conceptione ſtatutum Academiæ Pariſienſis jusjurandum nominat fidei ſacramentum; tum vero Joannem Majorem, cui in 3. ſent. diſt. 3. qu. 1. concludit *poſt determinationem factam in Baſileenſi Concilio eſſe hæreticum tenere B. Virginem conceptam in peccato originali.* In eos autem ſit

CONCLUSIO.

Fide catholica non propugnatur Beatæ Virginis Conceptionem fuiſſe immaculatam.

Siquidem illud tanquam fidei catholicæ dogma non propugnatur in Eccleſia, quod neque reperitur in Scripturis, neque perpetua & conſtanti SS. Patrum traditione aſſertum, nec ab ullo demum Concilio generali definitum: atqui ſententia quæ docet B. Virginis Mariæ Conceptionem eſſe immaculatam, neque legitur in Scripturis Sacris, neque perpetua, & conſtanti SS. Patrum traditione fuit aſſerta, nec demum ullo Concilii generalis decreto ſancita; quin potius partem negantem, ſcilicet *B. Virginis Conceptionem non eſſe immaculatam*, tuentur plerique Patres & Theologi, inſuper vero prohibuit Concilium Tridentinum, ne quis diceret piam hanc ſententiam ad fidem pertinere.

Ac primo quidem B. Virginis immaculata Conceptio non legitur in Scripturis, ut enim ſupra oſtendimus, Scripturæ teſtimonia, quæ a multis in hunc finem uſurpari ſolent, non ſatis idonea videntur; non ſatis aperta ſaltem ut ex iis aliquod fidei catholicæ dogma afferatur.

Secundo, nec idem perpetua & conſtanti SS. Patrum traditione aſſertum eſt; quæ enim loca hoc in negotio proferunt Theologi melioris notæ, ut Richerius, aut parum aut nihil omnino efficiunt; laudat ſerm. 4. S. Athanaſii contra Arianos, S. Chryſoſtomum homil. 39. in 1. ad Corint. Theodoretum lib. divinorum de-

decretorum cap. 13. S. Joann. Damaſcenum orat. 1. de Nativitate Virginis, id appellat *tertium genus probationum quod complectitur antiquorum Patrum teſtimonia:* Sed quorum certe nullum vel minimam de Conceptione B. Virginis mentionem injicit.

Addimus contra, plurimos vel etiam ex antiquis aperte docuiſſe B. Virginem in peccato originali conceptam. Mitto propoſitiones generales, in quibus paſſim teſtantur SS. Patres, neminem a peccato fuiſſe immunem, & omnes & ſingulos homines in Adamo peccaſſe; diximus enim ex illis, ſi modo æquiori animo expendantur, colligi tantum poſſe B. Virginem quoad debitum contraxiſſe peccatum originale; eorum duntaxat nunc proferimus teſtimonia, quæ nullis plane interpretationibus leniri poſſunt.

S. Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia, ſeu Epiſt. 17. cap. 6. *Caro quippe Mariæ quæ in iniquitatibus humana fuerat ſolemnitate concepta, caro fuit utique peccati, quæ Filium Dei genuit in ſimilitudinem carnis peccati*. In eodem vero ſenſu non reponimus S. Auguſtinum, quanquam verbis plane iisdem uſus ſit, quia nempe is videtur alibi, ut ſupra obſervatum eſt, ab illa communi plaga immunem facere B. Virginem.

Petrus Damiani opuſculo 6. cap. 19. *ex ipſa carne Virginis*, inquit, *quæ de peccato concepta eſt, caro ſine peccato prodiit*.

Rupertus lib. 1. in Cantica: *Et tu quidem veraciter dicere poteras, Ecce enim in iniquitatibus concepta ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Cum enim eſſes de maſſa quæ in Adam corrupta eſt, hæreditaria peccati originalis labe non carebas*.

S. Anſelmus lib. 2. cur Deus homo cap. 16. huic aſſentitur doctrinæ: *Nam licet ipſa hominis ejusdem conceptio ſit munda, & absque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipſa, unde aſſumptus eſt, in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam mater ejus, & cum originali peccato nata eſt, quoniam & ipſe in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt*. Et poſtea primo nomine loquens: *Virgo autem illa, de qua ille homo aſſumptus eſt de quo loquimur, fuit de illis, qui ante Nativitatem ejus per eum mundati ſunt a peccatis, & in ejus ipſa munditia de illa aſſumptus eſt*.

Item S. Bernardus in Epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes jam citata, quem in hac parte ſequuntur quamplurimi Doctores Scholaſtici, S. Thomas locis ſupraſcriptis, Alexander Halenſis 3. p. q. 9. memb. 2. art. 2. S. Bonaventura in 3. ſent. diſt. 3. Ochamus in 2. ſent. diſt. 30. art. 1. Gregorius Ariminenſis in 2. ſent. diſt. 3. q. 2. Pelagius Alvarus Sylvenſis Epiſcopus lib. 2. de planctu Eccleſiæ c. 5. Durandus in 3. ſent. qu. 1. & alii ejusmodi, quos non vacat ſingulos percenſere.

Tertio demum nullo Concilii generalis decreto aſſerta fuit immaculata B. Virginis Conceptio: quin potius Concilium Tridentinum aperte ſanxit contrariam ſententiam ſine ulla hæreſeos nota propugnari poſſe, quatenus nempe in ſua declaratione, quæ legitur in ſeſſione quinta, innovat Sixti IV. conſtitutiones, in quarum altera improbat damnatque Summus Pontifex eos omnes *qui auſi fuerint aſſerere contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen vel peccatum incurrere mortale*.

Idem præſtitit Pius V. anno poſt Concilium Tridentinum ſeptimo; is enim in Bulla quæ incipit, *ſuper ſpeculam*, veniam fecit cuipiam in utramque partem ſentiendi; ita ut liceat viris doctis in publicis diſputationibus utramlibet partem affirmare vel impugnare, dummodo neutra velut erronea exagitetur: hæc igitur ſententia quæ docet

puram

Digitized by Google

puram & immaculatam fuiſſe B. Virginis Conceptionem, tanquam certum fidei catholicæ dogma propugnari non debet.

Objicies : Concilium Baſileenſe ſeſſione 36. ſuperius citata verbis expreſſiſſimis hanc doctrinam tradit : *Nos*, inquiunt Patres, *diligenter inſpectis autoritatibus & rationibus, quæ jam a pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinæ coram hac ſancta Synodo allegatæ ſunt, aliiſque etiam plurimis ſuper hac re viſis & matura conſideratione penſatis, doctrinam illam diſſerentem, glorioſam Dei Genitricem Mariam præveniente divini muneris gratia ſingulari nunquam actualiter peccato originali ſubjacuiſſe ; ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali & actuali culpa, ſanctamque & immaculatam tanquam piam & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei catholicæ, rectæ rationi & Sacræ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam fore tuendam & amplectendam definimus & declaramus, nullique de cætero licitum in contrarium prædicare & docere*. Ergo revera fide catholica tenendum eſt B. Virginem peccato originali nunquam ſubjacuiſſe.

Nego ant. Conſtat quippe ex illis iiſdem verbis mentem Concilii Baſileenſis ſolummodo fuiſſe, hancce noſtram ſententiam tenendam eſſe ut piam, tum vero cultui catholico, fidei catholicæ conſonam, quæ profecto ſignificant eum nihil quicquam detrahere vel fidei vel cultui catholico, qui docet B. Virginis Conceptionem fuiſſe immaculatam ; nihil enim aliud ſonant verba, non autem idipſum eſſe certum & indubitatum fidei catholicæ dogma. Nec moror quod dicant Patres Baſileenſes, *definimus & declaramus*, quibus verbis permoventur multi, his enim duntaxat definiunt declarantque ſententiam, quæ docet immaculatæ Conceptionis puritatem eſſe tenendam tanquam *piam*, quæ vox a nobis frequentiſſime uſurpatur, tanquam *fidei catholicæ conſonam*, id eſt, cum fide catholica minime pugnantem, contra quoſdam nimirum, qui hanc doctrinam de pura & immaculata Beatæ Virginis Conceptione tanquam impiam, fidei catholicæ & Scripturis contrariam, falſum honorem & cultum, quo non eget B. Virgo, introducentem, ubique paſſim clamabant.

His adde longe aliter definiri a Conciliis aliquam doctrinam quæ, tanquam certum fidei dogma, credenda proponatur : neque enim declarant ſolum rem eſſe fidei conſonam, ſed de fide tenendam, & quidem ſub anathemate, ſub pœna hæreſeos incurrendæ : Equidem Patres Baſileenſes definiunt nullis de cætero licitum eſſe in contrarium prædicare & docere, ſed neutiquam pronuntiant licitum non eſſe contrarium ſentire.

Mitto quod alii reſpondent Baſileenſe Concilium potius Conciliabulum quam Concilium fuiſſe, quando ſcilicet habita eſt ſeſſio trigeſima ſexta, aut ſaltem tunc temporis autoritatem non habuiſſe Concilii generalis ; quia, inquiunt, jam tum pauci intererant Baſileæ Præſules, cum alii longe majori numero plures ſe contuliſſent Florentiam, ut cum Eugenio IV. Summo Pontifice Græciſque pene univerſis aliud generale celebrarent Concilium, neque enim ad præſentem controverſiam attinet tam anxia longioris negotii inquiſitio ; ſatis ſit oſtendiſſe Patres Baſileenſes tanquam de fide certam non definiiſſe Conceptionem B. Virginis eſſe immaculatam.

Objicies : illud pro vero fidei Catholicæ articulo haberi debet, quod ab omnibus & ſingulis totius Eccleſiæ fidelibus creditur & tenetur ; in aliqua enim religionis materia fidem Eccleſiæ maxime exhibet concors & unanimis omnium Fidelium, Doctorum, & Paſtorum conſenſus : atqui B. Virginem peccato originali nunquam ſubjacuiſſe, jam uno ore docent omnes, paucis exceptis, in

in eam demum ſententiam a multis annis venerunt piiſſimi quique Fideles, Summi Pontifices, Epiſcopi, Doctores pene ſinguli, integræ Academiæ: verus eſt igitur catholicæ fidei articulus.

Atque id abunde confirmatur, ex dudum recepto in Eccleſia hujus Conceptionis cultu, ſolet nimirum nec immerito patefieri catholica fides ex ipſa praxi alicujus cultus communiter apud Chriſtianos populos recepti. Sunt porro qui dicant in Hiſpania Conceptionis immaculatæ feſtum a temporibus Apoſtolicis celebrari. Volunt alii nonniſi ætate S. Ildephonſi. Illud imprimis certum eſt, hoc ſolemne feſtum non quidem ſub nomine ſanctificationis, ſed ſub nomine Conceptionis jam actum in Galliis ſæculo duodecimo ſaltem ab Eccleſia Lugdunenſi, ut conſtat ex Epiſtola S. Bernardi ad Canonicos hujus Eccleſiæ. Dehinc Sixtus IV. an. 1476. conſtitutionem emiſit quæ incipit, *Cum præexcelſa*, ubi nimirum inſtitutionem feſti approbat, in ejusque gratiam easdem indulgentias largitur, Officium immaculatæ Conceptionis recitantibus, quæ impenſæ ſunt agentibus feſtum Corporis Chriſti: hanc conſtitutionem ſupra exſcripſimus. Alteram edidit publicavitque anno 1483. ubi ſic loquitur: *Sane cum Sancta Romana Eccleſia de intemeratæ ſemperque Virginis Mariæ Conceptione publice feſtum ſolemniter celebret, & ſpeciale ac proprium ſuper hoc Officium ordinaverit.*

In hoc officio quod in feſto Conceptionis publice decantatur, inter alias incertam hanc legimus collectam orationem, *Deus qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparaſti: præſta quæſumus, ut ſicut eam ab omni labe præſervaſti, ita nos quoque ejus interceſſione ad te pervenire concedas*. Quæ collecta, inquit Richerius, deinceps in Romanum Breviarium, quo Sixti IV. temporibus Romana Eccleſia utebatur, relata eſt; & paulo poſt in Breviarium Cardinalis Guignonii conjecta. Hoc porro Guignonii Breviarium a duobus Pontificibus Clemente VII. & Paulo III. ſolemniter approbatum fuit.

At ex Officio Conceptionis inferri pariter debet Eccleſiam fide Catholica tenere B. Virginem peccato originali nunquam ſubjacuiſſe: ut enim ait Cœleſtinus I. Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, *Lex ſupplicandi legem ſtatuit credendi, ita debemus credere, ſicut & oramus*. Alioquin Eccleſia mentiretur, ut ſaltem ſub dubio & certo fundamento legem ſtatueret.

His addi poteſt Julium II. & Leonem X. ſodalitium quoddam ſub nomine Immaculatæ Conceptionis inſtitutum confirmaſſe, cujus, inquiunt, regula tertia fert, credendum eſſe animam Beatæ Virginis a primo inſtanti creationis fuiſſe ſanctam.

Diſt. maj. quod ab omnibus & ſingulis Eccleſiæ fidelibus creditur tanquam certum de fide, pertinens ad fidem, C. tanquam pium ſolummodo & magis probabile, N. Itaque ut aliqua doctrina ad fidem catholicam pertinere cenſeatur, ſitque verus fidei articulus; ſatis eſſe non puto, quod communi tandem omnium conſenſu roborata ſit, ſic enim in opinione pure philoſophica vel in aliquo Hiſtoriæ puncto minime revelato omnes docti indoctive plerumque conſentiunt; ſed inſuper requiritur ut ejusmodi doctrinam omnes & ſinguli amplexi fuerint tanquam fide catholica certam. Jam vero hæc opinio quæ docet B. Virginis Deiparæ Conceptionem fuiſſe immaculatam, videtur quidem jam a nonnullis ſæculis quaſi omnium communi conſenſu conſecrata; ſed illam dubio procul tenent, credendamque proponunt tantum ut piam, maxime probabilem, non tanquam fidei catholicæ dogma, ut ſatis ſuperque demonſtratum eſt.

Neque plus virium habent quæ objiciun-

jiciuntur ex Feſti Conceptionis celebritate, ex Officii inſtitutione, indulgentiarum largitione & aliis ejusmodi, quæ dudum vel autoritate Summorum Pontificum in Eccleſia recepta ſunt. Ex hoc enim cultu communi quem fidelium pietas invexit, colligi ſolum poteſt piam eſſe & probabilem ſententiam, non autem fidei divinæ articulum. 1. quidem Summus Pontifex Sixtus IV. ex una parte in ſua conſtitutione Conceptionis feſtum approbat, ejusque officium dicentibus indulgentias impertit; ex altera vero declarat rem non pertinere ad fidem. 2. quia, ut ait Maldonatus, etiam Eccleſia ſuas habet opiniones, nec quicquid ſentit, ſentit tanquam fide catholica certum; quemadmodum & Prophetæ quædam dicebant humanitus & probabiliter, antequam afflarentur divino Spiritu; Eliſeus enim lib. 4. Regum cap. 4. ſibi perſuaſerat fore ut puer ille mortuus reviviſceret impoſito ſuper illum baculo, ſed opinione tantum humana, neque enim revixit puer.

Par vero & ſimile prorſus judicium ferri debet de officio Conceptionis B. Mariæ & precationibus in eo contentis; Eccleſia enim non orat ducta fide catholica, qua certo teneat Conceptionem eſſe immaculatam, ſed tantum aliqua opinione pia & magis probabili, ut contingit in aliis caſibus: nam in Eccleſia Catholica in die Epiphaniæ celebratur feſtum Regum, in publico officio Eccleſia vocat eos Reges, & tamen fide non conſtat eos eſſe Reges; ſic publicæ preces funduntur pro hoc vel illo homine defuncto ex opinione, non certa fide qua credatur illum eſſe in purgatorio.

Quæ vero Cœleſtini Summi Pontificis regula profertur, ſic demum intelligenda eſt, quod eodem animi ſenſu & fide affici debemus cum oramus ac cum credimus; ita ut, quia fide catholica credit Eccleſia omnibus hominibus orandum eſſe ut ſibi peccata dimittantur, recte ſequitur fide etiam catholica tenendum eſſe in omnibus hominibus eſſe peccata, de qua re eo loci agebat Cœleſtinus adverſus Pelagianos; unde ſequitur juxta eandem credendi & ſupplicandi legem, nonniſi ſub pia & probabili opinione recitandum eſſe officium Conceptionis, quia nonniſi pie creditur B. Virginem peccato originali vacaſſe.

Cæterum animus hic non eſt de veritate eorum omnium, quæ in præfatis Officiis & Breviariis continentur, nimis ſollicite atque anxie diſputare; fateor enim in Breviario Guignonii multa reperiri, quæ ſub nominibus SS. Patrum falſo circunferuntur, quod tamen Eccleſiæ labem nullam aſpergit, neque enim ejusmodi preces ab ipſa Eccleſia univerſa comprobatæ ſunt. Sane non raro etiamdum contingit quod olim dolebat S. Auguſtinus lib. 6. de baptiſmo cap. 25. *Multorum preces*, inquit, *emendantur quotidie, ſi Doctoribus fuerint recitatæ, & multa in eis reperiuntur contra catholicam fidem*. Addit vero ſanctus Doctor quod nonnihil conſolationis Fidelibus afferre debet: *Quid ita? Quia plerumque precis vitium ſuperat precantis affectus*. Quanquam valde optandum foret, ut non aliæ in Divinis Officiis uſurparentur preces, quam *quæ*, ut ait Concilium Milevitanum 2. can. 12. *probatæ fuerint in Concilio*.

Denique quod opponitur Sodalitium quoddam ſub nomine immaculatæ Conceptionis inſtitutum & comprobatum a nonnullis Summis Pontificibus, nullius plane roboris eſt; inde enim ſolum colligi poteſt doctrinam Conceptionis immaculatæ viſam fuiſſe piam & maxime probabilem.

Objicies: hæc fuit perpetua & conſtans Sacræ Facultatis Pariſienſis doctrina, tanquam fidei catholicæ dogma credendum eſſe B. Virginem Mariam ſemper & in ſua Conceptione a peccato

ori-

originali fuiſſe immunem; idque aperte ſignificavit, quoties occaſionem nacta eſt opportunam.

Primo quidem an. 1387. in negotio Hiſpani cujuſdam Dominicani Joannis de Monteſono, tum anno ſequenti in alia cauſa Gulielmi Ebroicenſis Epiſcopi. Inſuper cum definitionem Concil. Baſileenſis calculo ſuo comprobavit promulgavitque anno 1497. cum in hujus decreti executionem omnes ſuos alumnos ad ejuſmodi doctrinam ubique tuendam ſacramento obſtrinxit. Cum quemdam Joannem de Vert acri cenſura notavit eo præciſe nomine quod diceret liberum eſſe alterutram ſententiam propugnare juxta Sixti IV. Conſtitutionem, quæ quidem Sacræ Facultatis inſtrumenta ſuperius a nobis adducta ſunt.

Secundo in cenſura multarum Lutheri propoſitionum an. 1526. ſolemniter lata: cum enim ſcripſiſſet vafer ille Hæreſiarcha non eſſe reprobandam iſtam propoſitionem, *B. Virgo eſt concepta ſine peccato*, hanc opinionem atro calculo notat ſacer Ordo tanquam *falſam*, *ignoranter & impiè contra honorem immaculatæ Virginis aſſertam*.

Tertio & mentem ſuam aperuit eadem Facultas in alia cenſura quam edidit an. 1560. ſuper quibuſdam propoſitionibus, quas Fr. Petrus de Quercu conventus Nivellenſis Guardianus, & Fr. Ægidius de Querceto Guardianus Athienſis eidem examinandas miſerant; ex illis decima ſexta hæc legitur, *Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali: hinc B. Virgo mortua eſt propter peccatum quod contraxerat ex Adam, omneſque ejus afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum juſtorum, ſunt ultiones peccati originalis vel actualis. Unde & Job paſſus eſt & Martyres propter peccata ſua*. Cenſura vero, *hæc propoſitio pro omnibus partibus eſt hæretica, & B. Mariæ Virgini Dei Genitrici ac Sanctis injurioſa*.

Verum inſigne potiſſimum Pariſienſium doctrinæ argumentum deſumitur ex concertatione quam habuit cum Maldonato e Societate Jeſu Theologo clariſſimo: is anno 1574. legebat libros ſententiarum Pariſiis in Collegio Claromontano, acriterque diſputavit adverſus placita Sacræ Facultatis de immaculata Conceptione B. Virginis, eandem reprehendens quod a ſuis alumnis Sacramentum exigeret, ut tenerent tanquam de fide B. Virginem ſine peccato non eſſe conceptam. His de cauſis Rector Pariſienſis Academiæ quatuor convocavit Facultates, quæ communi omnium Ordinum conſenſu ſtatuerunt habendam eſſe expoſtulationem adverſus Maldonatum coram R. D. Petro Gondio Pariſienſi Epiſcopo, qui quidem re in deliberationem miſſa in favorem ſententiæ Maldonati pronuntiavit. Sed cum Facultas Theologica Majorum ſuper illo negotio placita reſcire vellet, an. 1575. ſolemnia indixit Comitia, in quibus Magiſtri omnes, octo aut novem exceptis qui ſtabant a partibus Epiſcopi Pariſienſis, conceptis verbis declararunt, *ſe credere & profiteri catholica fide tenendum, B. Virginem non fuiſſe conceptam in peccato originali: idque & conſtitutionem Synodi Baſileenſis, & formulam Sacramenti quod exigitur a Facultate declarare: necnon ſimiliter confirmari Officio & cultu Divino, quod ab Eccleſia Catholica in Feſto Conceptionis B. Mariæ celebratur*. Qua ex cauſa iterum multo gravius in ſacrum Ordinem excanduit Pariſienſis Præſul, qui nominatim Adamum Sequart Decanum, & Jacobum Fabrum Syndicum excommunicavit.

His omnibus, quæ, ut videre eſt, authentica inſtrumenta ad manifeſtandam Sacræ Facultatis doctrinam, addere poſſumus quam multos ejuſdem Ordinis Magiſtros in privatis lucubrationibus idem plane docuiſſe; unde Bernardus de Buſtis clariſſimus ſuæ ætatis in Italia concionator in ſuo de Concept. libro, quem approbavit Sixtus IV. Summus Pontifex,

Digitized by Google

ſex, ſcripſit Conceptionem B. Virginis ſine peccato originali, teneri in Univerſitate Pariſienſi ſicut articulum fidei, *in ſtudio Pariſienſi opinio de immaculata Conceptione quaſi articulus fidei*.

Quamobrem ex hisomnibus hoc pacto confici poteſt argumentum: Sacra Facultas Pariſienſis ſic docet B. Virginem nunquam ſubjacuiſſe peccato originali, ut opinionem oppoſitam declaret falſam, erroneam, impiam, hæreticam, ad idque tenendum ſuos aſtringat alumnos, & quidem ſolemni juramento: ejus itaque mens fuit hanc quæſtionem pertinere ad fidem.

Diſt. conſeq. ad fidem privatam & particularem, C. ad fidem catholicam, ut verum, & certum fidei catholicæ dogma, N. duplex itaque fides diſtingui debet, privata una quæ nonniſi ad alicujus ſodalitii & privati Ordinis doctrinam pertinet; alia vero catholica, quæ univerſam ſpectat Eccleſiam, omneſque & ſingulos Fideles. Ejuſmodi diſtinctio hoc nititur fundamento quod ſemper licuerit privatis Eccleſiis, vel etiam privatis Ordinibus in Eccleſia privatas ſtabilire ſententias, quibus non ſingulos totius Eccleſiæ Fideles, ſed ſuos tantum ſibique addictos alumnos aſtringere valeant, ne ſcilicet ordo & pax in privatis illis Eccleſiis vel ſodalitiis interturbetur; ita reſpondent Magiſtri Pariſienſes in quodam tractatu adverſus Maldonati accuſationes inſcripto, qui nimirum extat MSS. in Bibliotheca S. Sulpitii Pariſienſis cum actis Sacræ Facultatis de Immaculata Conceptione ſupra recenſitis. *In Eccleſia primitiva*, inquiunt, *erat indeciſum & indeterminatum generaliter, an Circumciſio eſſet neceſſaria, vel ſaltem licita ad ſalutem? Cum hac tamen differentia generali ſtabat fides particularium. In eadem primitiva Eccleſia erat eadem indifferentia; & indeciſio generalis circa cibos quibus liceret Chriſtianis veſci, cum hac tamen fides ſtabat particularis multorum circa uſum vel abſtinentiam a cibis*. Tantum abeſt autem, ut ejuſmodi privata fides generali Eccleſiæ definitioni ſeu fidei catholicæ repugnet, ut iſta nonniſi ex variis privatis deciſionibus efficiatur.

Atque nonniſi de fide privata & particulari, præfata Sacræ Facultatis decreta, conſtitutiones & cenſuras intelligi debere, patet ex iiſdem actis ſub finem: *Nec Facultas condidit articulum fidei de Conceptione, ſed propoſitum a Concilio Baſileenſi & Sixtinis credidit: quibus ſi autoritatem talem Conc. Trid. detraxit, & ſedes Romana Tridentinorum ſententiam Baſileenſibus præfert, ipſa Facultas ſe conformat & aſſentitur jam ſecundum Concil. Trident. affirmationem Conceptionis non eſſe articulum fidei catholicæ, nec pro hæretico notandum quiſquis aliter opinabitur; cum hoc tamen non impeditur nec prohibetur particularis fides, cui ſe conformare debent membra de eodem corpore, nec ſunt tolerandi ſecus ibi opinantes, ut fidem illam damnent, ſive impugnent, nec poſſunt id audere ſine ſcandalo, peccato & ſchiſmate, propter quæ ſunt accuſandi, judicandi & reſecandi juxta Sixtinas & Concilium Tridentinum*. Scilicet, quod ſemper & in quavis ætate licitum fuit, ut diximus, & privatis Eccleſiis & cuicunque congregationi, Sacra Facultas ſuam ac veluti propriam & in Ordine ſuo conſecratam de immaculata B. Virg. Conceptione doctrinam conſtitutionibus & cenſuris ſtabilivit; diſtricte prohibens, ne quis contrarium opinaretur, ut ſcilicet variis hinc & inde altercationibus & rixis non interturbaretur Ordo ſacer; ſed non idcirco pertendit unquam id habendum eſſe tanquam certum atque indubitatum fidei catholicæ dogma, quod univerſam ſtringeret Eccleſiam; quanquam, ut fateor lubens, ut hanc ſuam fidem privatam tradant, verbis paulo expreſſioribus quæ fidem Catholicam indicare videntur, uſi plerumque fuerint.

Et

Et certe nonniſi de privata fide, qua ſcilicet alumnos ſuos ligare voluerit, non autem de fide catholica, quæ omnes univerſæ Eccleſiæ fideles ad conſenſionem adigat, intelligendas eſſe Facultatis conſtitutiones, ex eo manifeſte colligitur, quod nec ignorare nec impugnare potuerit, quod ſuper hoc negotio definitum fuerat a Sixto IV. & Concil. Trident. ſcilicet liberum eſſe unicuique ſentire quod voluerit, nec eos hæreſis crimen, vel peccatum mortale incurrere qui contrariam tenent opinionem; quibus certe Sixti & Concilii decretis aperte contradixiſſe Sacram Facultatem nemo ſibi in animum induxerit, niſi ſit plane neſcius quanto cum ſtudio & veneratione decreta Concilii Trident. & conſtitutiones Summorum Pontificum ſemper & ubique tueri & amplecti amaverint Majores noſtri.

Ergo, inquiebat Maldonatus, *plures erunt fides, catholica & particularis, privata & generalis*.

Reſpondent *non eſſe plures in re ſeu materialiter, ſed eadem inchoari a particularibus ad univerſos ſerpere quoad recipiatur & fiat catholica*.

Si quæras utrum ejuſmodi fides privata conſcientiam ligare poſſit ſub pœna peccati mortalis.

Reſpondent, ſingulos *non teneri ſub peccato mortali aliis particularibus ſe conformare, donec innotuerit ipſis & fuerit revelatum, ſeu propoſitum ab iis quibus debent credere. Deinde quamvis credendo Conceptionem quis non peccaret, ſi tamen pertinaciter & animo contradicendi in Eccleſia in qua creditur, reſiſteret, non tantum mortaliter peccaret, ſed per Sixtinas excommunicationem incurreret, & de Schiſmate reus eſſet*.

Inſtabis: illi merito præſumuntur verba facere de fide catholica & univerſali, qui in hac ſua doctrina aſſerenda nituntur potiſſimum autoritate Concilii Baſileenſis, quod reputabant generale: atqui Magiſtri Pariſienſes hoc in negotio nitebantur potiſſimum auctoritate Conc. Baſileenſis quod univerſale reputabant cum tota Eccleſia Gallicana, ut patet ex Comitiis Bituricenſibus anno 1438. habitis: ergo.

Major primum negari poteſt, quia, ut ſupra obſervatum eſt, non definitur in Concilio Baſileenſi fide catholica tenendum B. Virg. Deiparam nunquam ſubjacuiſſe peccato originali, ſed tantummodo ſententiam id aſſerentem, piam eſſe & fidei catholicæ conſonam, hoc eſt, cum fide catholica minime pugnantem.

2. Non omnino conſtat exiſtimaſſe Majores noſtros, & ſub finem decimi quinti ſæculi, quando ſolemnem ſuam de Conceptione immaculata B. Virginis emiſerunt conſtitutionem, & quando rem habuerunt celebremque controverſiam cum Maldonato an. 1574. hanc ſeſſionem 36. Concilii Baſileenſis, in qua legitur decretum pro aſſerenda Conceptione immaculata, vim habuiſſe Synodi generalis.

Inſtabis: quæcunque tandem ſit illa fides, qua ſtatuunt Magiſtri Pariſienſes credendum eſſe B. Virg. Conceptionem fuiſſe immaculatam, certum eſt illos in his ſuis conſtitutionibus & cenſuris aperte pugnaſſe cum Sixtinis Bullis & Concilii Tridentini declaratione, quibus nempe cautum eſt, ne quis dicat iſtam opinionem pertinere ad fidem, eoque vel hæreſim vel peccatum mortale incurrere qui contrarium affirmant: ſiquidem contra ſtatuunt aperte, rem eſſe de fide, aliter opinantes nota hæreſeos & impietatis inurunt &c. Frivola itaque videtur ejuſmodi diſtinctio duplicis fidei, ut hac in controverſia Sacræ Facultatis Pariſienſis fama vindicetur.

Nego ant. & dico Sixtinis conſtitutionibus & Concilii Tridentini declarationi minime adverſatos fuiſſe Majores noſtros, quia loquuntur iſti de fide particulari; Sixtus vero Summus Pontifex, cu-

cujus conſtitutiones innovavit Synodus Tridentina, dubio procul verba facit de fide catholica quæ omnes & ſingulos fideles ad conſenſionem adigat. *Stat ergo*, inquiunt Doctores in actis jam citatis, *juxta Sixtinas & Concilium Tridentinum indeciſio & indeterminatio & indifferentia generalis utriuſque partis cum particulari fide & determinatione apud quoſdam, quam qui propter generalem indeciſionem rejicit & condemnat, damnandus dicitur & excommunicandus; ut patet ex Sixtina excommunicante eos qui credentes improbant vel damnant.*

Inſtabis: in præfata cenſura quæ an. 1560. lata eſt ab iiſdem Doctoribus, hæc propoſitio, *Nemo præter Chriſtum eſt abſque peccato originali &c.* declaratur *hæretica*; putabant igitur hanc quæſtionem pertinere ad fidem Catholicam; neque enim hæreſeos notam incurrit, qui nonniſi privatæ fidei reſiſtit.

Diſt. ant. hæretica late & improprie loquendo, C. ſtricte & proprie loquendo, N. diſſimulare non poſſum paulo acerbiorem eſſe hanc vocem qua uſi ſunt Patres noſtri in hac cenſura; vox etenim hæreſeos ſonat animi pertinaciam in aliqua opinione tuenda adverſus fidem catholicam & in univerſa Eccleſia receptam: tamen fatendum eſt ex altera parte, quoniam duplex fides diſtingui poteſt, duplicem quoque improprie loquendo diſtingui poſſe hæreſim: quocirca & iſta Sacræ Facultatis cenſura leniri tandem & explicari debet ex principiis & reſponſionibus quibus uſa eſt poſtea in controverſia cum Maldonato.

Omitto hic pluribus referre quæ in hanc cenſuram, quo fidem ejus velut ſubreptitiæ & adulterinæ elevarent, nonnulli critici recentiores congeſſerunt, ſcilicet dicunt 1. vel in ipſo titulo mentitum fuiſſe Petavium qui primus eam in publicum emiſit, tom. 3. Theolog. dogmat. lib. 5 in fine; quamvis enim, inquiunt, dixiſſet ſe eadem qua ſervantur in Facultatis tabulario, formula, iiſdemque verbis illam exhibere, hæc tamen falſo & mala fide addidit, *Cenſura in propoſitiones quaſdam Joannis de Lovanio, alias Heſſels, & Michaelis Baii*. Quæ poſteriora verba non extant in Facultatis Cartophylacio. 2. obſervant nullam ibi fieri mentionem cujuſvis deliberationis a Doctoribus factæ ſuper propoſitionibus quas illa cenſura confixit; hæc enim ſolummodo leguntur, *anno Domini 1560. die 27 Junii die Jovis, Facultas Theologiæ Pariſienſis edidit cenſuram ſequentem ad inſtantiam fratrum Petri de Quercu & Ægydii de Querceto Conventus Nivellenſis & Atbacenſis reſpective Guardianorum*. Ex tempore ſcilicet ſine ulla deliberatione adverſus perpetuam & laudabilem Facultatis conſuetudinem, qua ſolent in variis diſtinctiſque comitiis ſibi delatas propoſitiones rigoroſo examini ſubjicere. Addunt tertio acriori hac cenſura nonnullas condemnari propoſitiones tanquam falſas, erroneas & hæreticas, quæ nec minimam reprehenſionem merentur, qualis eſt iſta quæ quarta recenſetur, *liberum arbitrium ex ſe non poteſt niſi peccare*. Quæ propoſitio eſt Concilii Arauſicani ſecundi.

Non defuerunt autem qui his velut frivolis puerilibuſque expoſtulatiunculis reſpondere aggreſſi ſunt, omnibus ut conſtaret hanc cenſuram verum eſſe & genuinum Sacræ Facultatis fœtum, ſi enim, inquiunt, nonnihil roboris ſit in præfatis rationibus, vix alia eſt ulla Sorbonæ Cenſura quæ vim aliquam obtineat, nemo eſt qui pari jure alias ut extortas & ſine matura deliberatione confectas rejicere non poſſit: hac arte Melanchton illam eludebat qua Lutheri errores proſcripſerat eadem Facultas.

Addunt probationis loco, ſi adulterina eſt ejuſmodi cenſura, quomodo in Sacræ Facultatis tabularium irrepſit? Cur in eodem tabulario etiamnum jacet? Cur non expungitur? Cur ex quo exire

cœ-

cœpit in lucem, non reclamant Magiſtri Pariſienſes, cur illam non ejurant, ſi quâ propoſitio ibi condemnatur ut hæretica quæ non ſit hæretica? Atque hæc ſatis multa de Conceptione immaculata B. Virginis.

De variis Peccati originalis effectibus.

VArii recenſentur peccati originalis effectus, & qui proinde loco pœnæ ſunt in hominibus. Quidam autem pertinent ad hanc mortalem vitam, alii vero futuram reſpiciunt. Effectus peccati originalis qui in homines derivantur hac in vita ſunt: 1. in anima privatio juſtitiæ originalis: 2. ignorantia: 3. concupiſcentia: 4. in corpore variæ calamitates, fames, ſitis, morbi, morſque ipſa. Adduntur quidam alii qui dicuntur externi; hoc eſt, extra hominem poſiti, ut quod terra victum homini non ſuppeditet niſi cum magno cultu & labore, quod hominibus nocivæ ſint belluæ &c. Sunt demum & alii peccati originalis effectus, qui alteram vitam ſpectant, ſcilicet pœna damni & pœna ſenſus, de quibus omnibus & ſingulis ſingillatim dicendum.

De privatione juſtitiæ, & quo pacto homo fuerit vulneratus per Peccatum originale.

CUm Pelagianorum ſolemne fuerit dogma, nullum eſſe peccatum originis, docebant conſequenter nullum naturæ humanæ inflictum vulnus per Adami peccatum; hæc enim definitiva eorum ſententia, *quod peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit & non genus humanum*, ut habetur apud Auguſtinum lib. de geſtis Pelagii cap. 11.

Nefandum hunc errorem inde potiſſimum perſuadere conabantur, quod nulli iſtorum vulnerum medeatur Chriſti gratia, ut loquuntur lib. 2. de peccatorum merit. cap. 30. his verbis: *Si primi hominis peccato factum eſt ut moreremur, Chriſti adventu fieret ut credentes in eum non morerentur. Neque enim prævaricatoris tranſgreſſio plus nobis nocuit, quam incarnatio vel redemptio profuit Salvatoris.*

Hinc ſolebant parvulorum integritatem magnifice prædicare, ab iis removentes omnem morbum animi, omnem ægritudinem, vulnus omne quod in pœnam peccati foret inflictum. Verba ſunt Pelagii apud eundem Auguſtinum lib. de natura & gratia cap. 20. *Primo de eo diſputandum eſt quod per peccatum debilitata dicitur & immutata natura. Unde ante omnia quærendum puto, quid ſit peccatum, ſubſtantia aliqua, an omnino ſubſtantia carens nomen, quo non res, exiſtentia, non corpus aliquod, ſed perperam facti actus exprimitur, credo ita eſt. Et ſi ita eſt, quomodo potuit humanam debilitare vel mutare naturam, quod ſubſtantia caret?*

Nos vero, quoniam divinis litteris & SS. Patrum oraculis invicte oſtendimus, omnibus & ſingulis hominibus communem fuiſſe Adami culpam, iiſdem monumentis evinci poſſe putamus omnium poſtea malorum cohortem ex eodem ſcelere derivatam. Primum porro quod recenſemus, privatio juſtitiæ originalis eſt, quæ res ita demum intelligi debet.

Supponendum 1. Adamum primitus fuiſſe in juſtitia originali conſtitutum, legitur enim Eccleſiaſtici cap. 7. *Fecit Deus hominem rectum*. Et ad Epheſios cap. 4. *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.*

Supponendum 2. ejuſmodi juſtitiam & rectitudinem in qua creatus dicitur primus homo, fuiſſe gratiam ſupernaturalem & bonam voluntatem quæ infuſa Dei dilectio eſt, charitas ipſa, ut a nobis oſtenſum eſt in Tractatu noſtro *de Gratia Dei*, pag. 437.

Sup-

Digitized by Google

Supponendum eſt 3. quod ibidem diximus, cum illa perfecta integritate & juſtitia, Adamum inſuper omnium animi & corporis bonorum poſſeſſione fuiſſe cumulatum. Hinc nimirum in ejus intellectu ſcientia perfectiſſima rerum omnium ipſius ſtatui debita, Hinc in ejus voluntate perfecta & expedita libertas omnis pravæ in malum libidinis expers. Hinc ad ejus nutum pars inferior ſubdita erat ſuperiori, in illo ſcilicet tantæ felicitatis ſtatu, in quo nondum caro concupiſcebat adverſus ſpiritum. Hinc denique tunc temporis nullæ miſeriæ, nullæ ex iis calamitatibus quibus affligimur.

Hæc aliter explicare ſolent Theologi. Ajunt nimirum juſtitiam originalem tres potiſſimum habuiſſe effectus. Primus erat, hominem Deo ſubjicere per gratiam & charitatem. Secundus, vires inferioris appetitus rationi ſubmittere. Tertius, totum corpus animæ ſubdere, ita ut anima nunquam per ægritudinem aut laſſitudinem corporis a ſuis operationibus obeundis impediretur.

Quamobrem quando dicimus, prout docet fides catholica contra Pelagianos, per peccatum primi parentis amiſſam penitus juſtitiam originalem; intelligimus demum hominem non modo gratia gratum faciente, ſed & aliis præfatis donis fuiſſe ſpoliatum; ſic enim in Pelagium qui naturam humanam per Adæ peccatum debilitatam atque mutatam fuiſſe negabant, inſurgit S. Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 19. *Videte quaſo, quomodo neſciens nitatur evertere medicinalium eloquiorum voces ſaluberrimas. Ego dixi, Domine miſerere mei, ſana animam meam quia peccavi tibi. Quid ſanatur, ſi nihil eſt vulneratum, nihil ſauciatum, nihil debilitatum, atque vitiatum?.... Cernitiſne quo tendat & quo manus porrigat hæc diſputatio? Ut omnino fruſtra dictum putetur, vocabis nomen ejus Jeſum, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum. Quomodo enim ſalvum faciet, ubi nulla eſt ægritudo?*

Quærunt nonnulli quid ſit hominem vulneratum eſſe ac debilitatum per Adæ peccatum.

Reſpondeo primo hominem per peccatum originale fuiſſe vulneratum in naturalibus; nam idipſum probat ex profeſſo S. Auguſtinus libro mox citato cap. 20. ubi oſtendit Pelagio per peccatum, etſi ſubſtantia non ſit, vitiatam fuiſſe naturam humanam. *Nec exiſtimemus peccato naturam humanam non poſſe vitiari, ſed divinis credentes Scripturis peccato eam eſſe vitiatam, quomodo id fieri potuerit, inquiramus. Quoniam peccatum jam didicimus non eſſe ſubſtantiam, nonne attenditur, ut alia omittam, etiam non manducare, non eſſe ſubſtantiam? A ſubſtantia quippe receditur, quoniam cibus ſubſtantia eſt. Sed abſtinere a cibo non eſt ſubſtantia, & tamen ſubſtantia corporis, ſi omnino abſtinetur a cibo, ita langueſcit, ita valetudinis inæqualitate corrumpitur, ita exhauritur viribus, ita laſſitudine debilitatur & frangitur, ut ſi aliquo modo perduret in vita, vix poſſit ad eum cibum revocari, unde abſtinendo vitiata eſt. Sic non eſt ſubſtantia peccatum, ſed ſubſtantia eſt Deus, ſummaque ſubſtantia, eſt ſolus verus rationalis creaturæ cibus, a quo per inobedientiam recedendo, & per infirmitatem non valendo capere, quo debuit paſci & gaudere; audis quemadmodum dicat, percuſſum eſt ſicut fœnum, & aruit cor meum, quoniam oblitus ſum manducare panem meum.*

Favet aperte Concil. Arauſicanum can. 1 *Si quis per offenſam prævaricationis Adæ non totum, id eſt, ſecundum corpus & animam in deterius dicit hominem commutatum, ſed animæ libertate illæſa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus adverſatur Scripturæ dicenti, &c.* Can. 2. *definit peccatum Adæ non ipſi ſolum nocuiſſe*. Quod quidem con-

firmat Concilium Tridentinum iiſdem plane verbis, ſeſſ. 5. can. 1. & 2.

Reſpondeo ſecundo hominem per peccatum originale eo ſenſu non fuiſſe vulneratum in naturalibus, quod fuerit ſpoliatus aliqua perfectione naturali & ſubſtantiali; ſi quam enim perfectionem aut proprietatem naturalem amiſit per peccatum, maxime libertatem arbitrii; atqui homo per peccatum Adæ non amiſit libertatem arbitrii: docent enim præfata Concilia liberum arbitrium propter illam primi parentis culpam fuiſſe vitiatum, læſum, labefactatum, attenuatum, non penitus extinctum: igitur homo non fuit per peccatum vulneratus in naturalibus eo ſenſu quod aliqua naturali & eſſentiali proprietate fuerit ſpoliatus.

Reſpondeo tertio vulneratum dici hominem in naturalibus per peccatum Adæ, non præciſe quia deſtitutus eſt donis indebitis & ſupernaturalibus; ſed etiam quia infirmiores remanſerunt ejus potentiæ naturales, quæ propoſitio eſt contra Medinam 1. 2. qu 85. art. 3. & alios nonnullos. Ratio eſt, quia univerſe loquendo nemo dici debet læſus, vulneratus, immutatus, vitiatus, eo præciſe quod eſt ſpoliatus, quod eſt denudatus: atqui homo per peccatum originale & a Patribus & a Conciliis dicitur læſus, vulneratus, immutatus, vitiatus: præterquamquod igitur donis gratuitis & ſupernaturalibus fuit ſpoliatus, infirmiores ac debiliores factæ ſunt ejus potentiæ; debilius quippe remanſit liberum arbitrium; quod quidem ut ait Concil. Arauſicanum II. can. 25. *Per peccatum primi hominis inclinatum & attenuatum fuit.*

De ignorantia, num ea ſit Peccati originalis effectus.

PErmulta jam diximus de ignorantia hominis in hoc noſtræ Theologiæ decurſu. In tractatu de Gratia Dei pag. 500. examinavimus, utrum homo ſine ullo divinæ gratiæ adjutorio omne verum naturale cognoſcere poſſit. Sed longe fuſius de ignorantia diximus in tractatu de Actibus humanis, ubi variis definitionibus & diviſionibus allatis, accurate expendimus, an quæ ſunt ex ignorantia ſint voluntaria, an & quænam ignorantia excuſet a peccato, an ſit ipſa peccatum, quæ quidem omnia facile conſuli poſſunt.

Unum hic pertractatur, an ignorantia in qua profundiſſima jacent homines, ſit quædam peccati originalis pœna.

Sane in pœnam peccati originalis nunc in homine deſiderari rerum etiam naturalium cognitionem, qua inſtructus fuiſſet, ſi non peccaſſet Adamus, non uno in loco adverſus Pelagianos docet S. Auguſtinus Lib. 1. de peccatorum meritis cap. 36. *In illas igitur*, inquit; *ignorantiæ denſiſſimas tenebras, ubi anima infantis recentis ab utero. utique anima rationalis non ſolum indocta, verum etiam indocilis jacet, quare, aut quando, aut unde contruſa eſt? Si natura eſt hominis ſic incipere, & non jam vitioſa eſt iſta natura, cur non talis creatus eſt Adam? Cur ille capax præcepti, & valens uxori & omnibus animalibus nomina imponere? Nam & de illa dixit, (hæc vocabitur mulier, & quodcunque vocavit Adam animam vivam, hoc eſt nomen ejus.) Iſte autem neſciens ubi ſit, a quo creatus, a quibus genitus ſit, jam reus delicti, nondum capax præcepti tam profunda ignorantiæ caligine involutus & preſſus, ut neque tanquam de ſomno excitari poſſit, ut hæc ſaltem demonſtrata cognoſcat, ſed expectetur tempus quo hanc neſcio quam velut ebrietatem non per unam noctem, ſicut qualibet graviſſima ſolet, ſed per aliquot menſes atque annos paulatim digerat.* Hinc inſolita ad diſcendum tarditas, immo & ipſa fatuitas cum qua quidam naſcuntur, inquit idem Auguſtinus Epiſt. 166. cap. 6. *De ingeniorum di-*

Digitized by Google

diverſitate, inquit, *immo abſurditate quid dicam, quæ quidem in parvulis latet, ſed ab ipſis exordiis naturalibus ducta, apparet in grandibus, quorum nonnulli tam tardi & obliviosi fuerunt, ut ne prima quidem diſcere litterarum elementa potuerint: quidam vero tantæ ſunt fatuitatis, ut non multum a pecoribus differant, quos moriones vulgo vocant*. Lege inſuper quæ ſcribit lib. 22. de Civitate Dei cap. 32. lib. 10. Confeſſ. cap. 35. & lib. de natura & grat. c. 22.

Neque vero ejuſmodi ignorantia ad naturalem hominis conditionem pertinet, quaſi ex ea ſolum cauſa inſit homini quod nondum facta atque diſpoſita ſint ejus organa: quantumvis enim ab organorum conformatione aliquo modo ſuſpenſa pendeat hominis ſcientia; ita ut cum adolevit, minor in eo ſit ignorantia, tamen ad ſolam naturalem conditionem referri non debet hæc profundiſſima in qua jacet rerum fere omnium ignoratio; tum quia in ætate adulta eandem fere ignorantiam experiuntur homines: *Multi enim*, ut modo referebamus ex Auguſtino, grandes dico, *ne prima quidem diſcere litterarum elementa potuerunt. Quidam vero tantæ ſunt fatuitatis, ut non multum a pecoribus differant*. Tum quia, ſi Adamus non peccaſſet, nulla fuiſſet in diſcendo tarditas, nulla in retinendo moleſtia, nec demum tanta in obliviſcendo facilitas; *Si enim*, inquit idem Sanctus Doctor, *natura eſt hominis ſic incipere, & non jam vitioſa eſt iſta natura; cur non talis creatus eſt Adam? Cur ille capax præcepti & valens uxori & omnibus animalibus nomina imponere?*

De concupiſcentia, ſitne Peccati originalis pœna, & de ſe aliquid bonum vel malum.

DE concupiſcentia cum Pelagianis, imprimiſque cum Juliano acerrime diſputavit S. Auguſtinus. Duo potiſſimum inter eos veniebant in controverſiam circa concupiſcentiæ naturam; primum an concupiſcentia profluat ex naturali hominis conditione, ut dicebat Julianus; an vero ex primi parentis peccato, ut docuit S. Auguſtinus. Alterum item contendebat ſanctus Doctor, concupiſcentiam ingentis mali loco habendam, contra vero comminiſcebantur hæretici eam de ſe bonam & innocentem.

Id utrumque ut majori cum luce pertractemus, præmittendum eſt tripliciter accipi poſſe nomen concupiſcentiæ. Primo enim ſumitur pro appetitu concupiſcibili qui eſt in homine facultas, vel pro actu ordinato ejuſdem facultatis ſenſitivæ, quo ſenſu reperitur in quovis homine præcise prout homo eſt, adeoque in Chriſto Domino & in Adamo ante peccatum. Secundo ſumitur concupiſcentia pro actibus inordinatis quibus voluntas contra legem bono ſenſibili adhæret, de qua loquitur S. Joannes 1. Epiſt. cap. 2. 1. his verbis, *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt & concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ*. Tertio demum accipitur pro habituali quadam propenſione ad malum, quam Apoſtolus appellat legem in membris repugnantem legi mentis, quæ paſſim dicitur concupiſcentia carnis, vel concupiſcentia ſimpliciter; obſervat enim S. Auguſtinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 7. concupiſcentiam, ſi non addatur cujus rei ſit, in malo intelligi. *Mala ſunt iſta*, inquit, *ſi malus eſt amor; bona, ſi bonus... Hoc tamen loquendi obtinuit conſuetudo, ut ſi cupiditas vel concupiſcentia dicatur, nec addatur cujus rei ſit, nonniſi in malo poſſit intelligi*.

Quod idem ſcribit in Pſal. 118. ſerm. 8. dicens duplicem eſſe concupiſcentiam, unam laudabilem, aliam damnabilem, ita ut hæc ſemper intelligatur, quoties ſine addito nominatur.

De concupiſcentia priori ſenſu accepta hic nulla quæſtio eſt; conſtat quippe eam eſſe facultatem naturæ hominis a natura inſitam, quæ nec mali loco haberi poteſt, nec peccati originalis pœna; quocirca quatuor in concupiſcentia ſedulo diſtingui oportere docet Auguſtinus lib. 4. contra Jul. cap. 14. neceſſitatem ſentiendi, utilitatem ſentiendi, vivacitatem ſentiendi, & libidinem ſentiendi, quorum poſtremum duntaxat pro vitio habendum eſſe contendit.

Tum vero nec quæſtio eſt de concupiſcentia pro actibus inordinatis ſpectata, ſunt enim totidem peccata actualia, ut fatentur omnes.

Quamobrem difficultas ſupereſt de concupiſcentia prout eſt quædam propenſio, quoddam habituale pondus hominem incitans ad peccandum, & quæritur utrum a peccato primi parentis tanquam pœna a Deo inflicta proficiſcatur, & aliunde mali & vitii loco haberi debeat; quod utrumque, quoniam in libris adverſus Pelagianos invictiſſime docuit S. Auguſtinus, paucis admodum ejuſdemque ſancti Doctoris autoritate & momentis demonſtrabimus.

Prima Conclusio.

Concupiſcentia eſt in homine peccati originalis effectus & pœna. Siquidem ea conſtans certaque fuit ſententia S. Auguſtini concupiſcentiam in Paradiſo ante peccatum non fuiſſe, lib. 1. operis imperfecti cap. 67. *Unuſquiſque autem*, inquit, *tentatur, ſicut ait Apoſtolus Jacobus, a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Hoc malum eſt in corpore mortis hujus. Hoc malum non fuit in Paradiſo ante peccatum, quia nondum erat hæc caro corpus mortis hujus, cui dicetur in fine, ubi eſt mors contentio tua? Sed tunc dicetur, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, nunc autem corpus eſt mortis, quia idem ipſe dixit Apoſtolus (corpus mortuum eſt propter peccatum)*, adducta vero SS. Ambroſii & Gregorii autoritate ſic in Julianum inſurgit: *Reſiſtens his viris & aliis eorum ſociis fidei ſanæ, tot tantiſque Doctoribus, cogeris implere Paradiſum, etiamſi nemo peccaſſet, dolore parturientium, labore naſcentium, gemitibus languentium, funeribus morientium, mœrore lugentium*. Cap. 68. *Hoc malum non erat in corpore vitæ illius, ubi aut voluntati ſervientibus etiam genitalibus membris, libido nulla erat, aut omnino ſe unquam contra voluntatis arbitrium non movebat. Hujus mali repente puduit eos, qui priuſquam peccarent nudi erant & non pudebat eos*.

Ad id vero quod objiciebat Julianus hanc eandem concupiſcentiam extitiſſe in Paradiſo, *Quia*, inquit, *non alia prorſus in Paradiſo fuit conditio commixtionis, quam qualis nunc in conjugiis agitur, quam a ſe inſtitutam Deus, tam ipſorum conditione ſexuum & qualitate membrorum, quam frequentata benedictione perdocuit*. Reſpondet S. Auguſtinus in illo felicitatis & tranquillitatis loco, proprie loquendo non fuiſſe libidinem. *Remanet*, inquit, *ut ſi libido ubi eſſet, ita eſſet ſubdita voluntati, ut rectam quietamque mentem, nec ad delictum traheret, nec ad prælium provocaret, & ſpiritum obedientem Deo, ac fruentem Deo nec peccare, nec pugnare compelleret. Quæ quoniam nunc talis non eſt, ſed ipſa licita inhianter, non obtemperanter appetit, in illicitis autem aut ſpiritum dejicit, aut contra ſpiritum concupiſcit, agnoſcite malum vitiata naturæ integritate contractum*.

Inſtat Julianus cap. 71. ejuſdem libri: *Hanc autem voluptatem & concupiſcentiam ante peccatum in Paradiſo fuiſſe res illa declarat, quia ad delictum via*

per

Digitized by Google

per concupiſcentiam fuit, quæ eum pomi decore oculos ſpe etiam jucundi irritavit ſaporis. Et hæc eſt omnium objectionum, quas ſuper hoc negotio proponit Julianus, urgentiſſima.

Reſpondet S. Auguſtinus ſolam voluntatem, non autem concupiſcentiam fuiſſe cauſam primi peccati ab Adamo commiſſi: *Ergone & in Paradiſo ante maleſuadi venena ſerpentis, ante corruptam ſermone ſacrilego voluntatem, illiciti cibi libido jam fuit?.... Ergo intelligite, vel intelligentibus obſtrepere vana loquacitate nolite. Præceſſit mala voluntas, qua ſerpenti ſubdolo crederetur, & ſecuta eſt mala concupiſcentia, qua cibo inhiaretur illicito. Non itaque ibi qualiſcunque cupiditas qualicunque reluctata voluntati, ſed ei potius depravatæ depravata ſervivit. Ac per hoc quamvis jam utraque mala eſſet, tamen voluntas cupiditatem, non voluntatem cupiditas duxit: non præceſſit voluntatem, nec reſtitit voluntati*.

Hæc porro divi Auguſtini reſponſio melius adhuc intelligitur ope diſtinctionis qua duplicem admiſimus concupiſcentiam, unam quæ ipſa eſt facultas naturalis, alteram quæ eſt prava quædam qualitas potentiæ naturali addita ex peccato; quod enim ait Julianus *hanc concupiſcentiam in Paradiſo fuiſſe ante peccatum*, *quia ad delictum via per concupiſcentiam fuit*, veriſſimum eſt, ſi ſermo ſit de concupiſcentia, prout eſt potentia naturalis quæ ſecum importat neceſſitatem non libidinem ſentiendi; non autem ſi agatur de concupiſcentia, quæ non modo præcedat voluntatem, ſed ipſi reſiſtat & reluctetur, ſitque in homine non facultas naturalis, ſed vitium facultatis, lex fœda peccati, lex miſera, vulnus, tabes, languor.

Atque in hoc præſenti naturæ corruptæ ſtatu præter concupiſcentiam quæ potentia naturalis eſt, ineſſe homini ejuſmodi libidinem quæ continuo in peccata impellat, in quo præciſe poſita eſt controverſia Julianum inter & S. Auguſtinum, ex multis paſſim Scripturæ locis demonſtrat S. Doctor, ex Apoſtolo ad Roman. cap. 7. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati quæ eſt in membris meis*. Ad Galat. 5. 17. *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem, hæc enim ſibi invicem adverſantur; ut non quæcunque vultis, illa faciatis*. Quam libidinem non eſſe potentiam naturalem, ſed peccati originalis fœtum ex eo maxime oſtenditur quod in iiſdem Scripturis negatur eſſe a Deo, Epiſt. S. Jacob. cap. 1. 13. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur, Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat. Unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus*. Conſuli poſſunt iterum quæ ſcribit S. Auguſtinus lib. 2. oper. imperf. cap. 218. lib. 3. cap. 187. & lib. 4. cap. 37.

SECUNDA CONCLUSIO.

Concupiſcentia eſt aliquod malum, ſimpliciter loquendo, & ſine addito dici debet mala, non bona.

Primo, quia expreſse malum quid dicitur ab Apoſtolo, Rom. 7. 21. *Quoniam mihi malum adjacet*, hoc eſt concupiſcentia, ſeu lex peccati & membrorum quæ homini volenti facere bonum, adjacet. Unde S. Auguſtinus lib. 3. contra Julian. cap. 26. *Hoc enim volumus*, inquit, *cum perfectionem juſtitiæ concupiſcimus, hoc intentione non intermiſſa velle debemus; ſed quia id perficere in iſta corruptibili carne non poſſumus; ideo dixit ad Romanos, (velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio)* & paulo ante *deſcribebat* Apoſtolus *humanam in hac corruptibili carne naturam, non opere Dei cum vitio primitus injuſtitiam, ſed ex voluntatis arbitrio veniente primorum hominum vitio ſauciatam*.

Secundo, quia dicitur peccatum, Rom. 6. 12. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mor-*

mortali corpore, hoc eſt, non regnet concupiſcentia, non dominetur concupiſcentia, addit enim, *ut obediatis concupiſcentiis ejus*. Unde S. Auguſt. lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 11. *Liberari ergo eſt a corpore mortis hujus omni ſanato languore concupiſcentiæ carnis, non ad pœnam corpus recipere, ſed ad gloriam*. Ubi tamen concupiſcentia dicitur peccatum, eo quod ad peccatum voluntatem incitet, non quod ipſa peccatum ſit, ut ſupra fuſius oſtendi, cum de natura peccati originalis agebatur.

Tertio, quia ibidem dicitur lex peccati, cap. 7. 23 *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati quæ eſt in membris meis*. Unde Auguſtinus lib. de nuptiis cap. 22. *Et ideo legem peccati verbis Apoſtolicis nuncupatam, quod hominem ſibi ſubditum fecerit, quia Deo ſuo ſubditus eſſe voluit*. Cap. 23. *Hæc omnino concupiſcentia, hæc lex peccati habitans im membris, cujus lex juſtitiæ vetat obedire, dicente Apoſtolo, non ergo regnet peccatum &c.*

Quarto, quia deſignatur ſub nomine carnis cujus mala ſunt opera, ad Galat. 5. 17. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum..... Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuries, idolorum ſervitus. &c.* Unde S. Auguſtinus lib. 1. de nuptiis cap. 27. *Agit enim*, inquit, *aliquid concupiſcentia carnis, & quando ei non exhibetur, vel cordis aſſenſus ubi regnet, vel membra velut arma quibus impleatur quod jubet. Agit autem quid, niſi ipſa deſideria mala & turpia? Non enim ſi bona & licita eſſent, eis obededire prohiberet Apoſtolus, non regnet peccatum &c.*

Quinto, quia domanda eſt continuo & expugnanda 1. Cor. 9. 27. *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo*. Unde S. Auguſtinus ſic Julianum alloquitur Lib. 3. cap. 21. *Quæ ſunt autem*', inquit, *ſanctarum Virginumglorioſa certamina, niſi quia non vincuntur a malo, ſed vincunt in bono malum? Et tu, ni fallor, in iſto es certamine conſtitutus; & quia te fideliter pugnare exiſtimas, vinci times. A quo quæſo te vinci times? A bono an malo? An forte ſic a me vinci times, ut adhuc malum neges, & tanquam bonum laudes, a quo vinci times?*

Sexto, quia non eſt a Deo, 1. Joan. 2. *Quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt*. Quod autem non eſt a Deo, malum eſt. Unde S. Auguſtinus ibidem: *Quæ igitur eſt illa quæ non eſt a Patre? An etiam ipſam quomodolibet intelligas, laudare diſponis? Porro ſi malum eſt ipſa, ubi erit? quando erit? Quandoquidem iſta, etiamſi male quiſque utatur, bonum erit: nec ipſa, ut dicis, ſed ille erit malus, qui bono utitur male. Ac per hoc fruſtra dixit Joannes, concupiſcentiam carnis non eſſe a Patre, hanc enim tu bonam, & ob hoc a Patre eſſe contendis, etiam cum ea quiſque male utitur, quia bono male utitur.*

Idipſum vero probat S. Auguſtinus multis in locis, quod ſtatim atque peccaverunt primi parentes, propter hanc concupiſcentiam membra ſui corporis tanquam pudenda contexerunt, lib. 1. de nuptiis cap. 6. *Hunc itaque motum ideo indecentem, quia inobedientem, cum illi primi homines in ſua carne ſenſiſſent, & in ſua nuditate erubuiſſent, foliis ficulneis eadem membra texerunt., ut ſaltem arbitrio verecundantium velaretur quod non arbitrio volentium movebatur, & quoniam pudebat, quod indecenter libebat, operiendo fieret quod decebat*. Et cap. 22. *Si interrogetur illa carnis concupiſcentia, qua pudenda facta ſunt, quæ prius pudenda non fuerant, nonne reſpondebit, ſe in membris hominis poſt peccatum eſſe cepiſſe? Et ideo legem peccati verbis Apoſtolicis nuncupatam, quod hominem ſibi ſubditum fecerit, quia Deo ſuo ſubditus eſſe noluit, ſeque eſſe de qua & primi conjugati*

tunc

Digitized by Google

tunc erubuerunt, quando pudenda texerunt & nunc omnes erubeſcunt, quando ad concumbendum ſecreta conquirunt, neque hujus operis teſtes audent habere vel filios quos inde genuerunt.

Item ex eo quod concupiſcentia eſt morbus, ſi autem morbus, inde ſequitur eam eſſe malam. *Cur ergo*, inquit lib. 3. contra Jul. cap. 15. *quando ego iſtam concupiſcentiam morbum eſſe dico, tu negas, qui tamen ei neceſſarium remedium confiteris? Si agnoſcis remedium, agnoſce morbum; ſi negas morbum, nega remedium.* At concupiſcentiam eſſe morbum ex hoc Apoſtoli teſtimonio efficitur, quod pro ea in remedium aſſignatur matrimonium ab Apoſtolo 1. Corint. 7. 9. *quod ſi non ſe continent, nubant.*

Objicies cum Pelagianis, quod naturale eſt homini, non eſt malum: atqui concupiſcentia naturalis eſt homini; ergo non eſt mala.

Diſt. min. naturalis eſt eo ſenſu, quod a natura & quidem corrupta, & prout per peccatum originale vitiata eſt, trahitur, C. naturalis eo ſenſu, quod eſt cum natura hominis prout a Deo creata eſt, conjuncta, N. ſcilicet, ut ſupra dixi, concupiſcentia hic non ſumitur prout eſt potentia naturalis, ſed quatenus eſt ejuſdem potentiæ morbus, languor, & vulnus; aliter enim & uſus concupiſcentiæ meretricius foret bonus, eſt enim naturalis, ut egregie reſpondet S. Auguſtinus lib. 2. de nupt. cap. 20.

Objicies, illud non eſt malum quo quis bene uti poteſt: atqui concupiſcentia bene uti poſſunt homines; ea bene utuntur pii & ſancti homines, qui nempe modum tenent; verba ſunt Juliani apud S. Aug. lib. 2. de Nupt. cap. 19. *Concupiſcentiæ naturalis qui modum tenet, bene utitur; qui modum non tenet, bono male utitur.* Ergo concupiſcentia de ſe non eſt mala.

Nego maj. pius enim quivis & ſanctus vir eatenus bene utitur concupiſcentia, quatenus eam vincit, ope nimirum gratiæ, ubi autem victoria ibi pugna; ſi vero colluctatur & concupiſcit caro adverſus ſpiritum, ergo mala eſt, tametſi ea bene juſtus utatur. Inſuper concupiſcentia bene ut plurimum utuntur homines, quatenus confugiunt ad remedium nuptiarum; at remedium ſupponit morbum, ergo concupiſcentia morbus eſt, quo quis bene uti poteſt, adeoque falſum eſt concupiſcentiam eſſe bonam, quia bene ea uti poſſumus, quin potius malum eſt quo quis bene uti poteſt. Ita S. Auguſtin. lib. 2. de Nupt. cap. 21. *Proinde pudenda libidine, qui licite concumbit malo bene utitur, qui autem illicite, malo male utitur; rectius enim accipit nomen mali quam boni; unde erubeſcunt & mali & boni, meliuſque credimus ei qui dicit, Scio quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum*, vide & lib. 3. contra Jul. cap. 21.

Inſtat Julianus: bona eſt natura panis & vini, quanquam iis male utendo aliquis peccet: ergo a pari concupiſcentia bona eſt, tametſi peccet qui male ea utitur, non peccat enim qui modum tenet, & ea bene utitur.

Nego conſ. & par. diſparitas eſt, quia nulla ex cauſa affirmaretur naturam panis & vini eſſe malam; neque enim aliquid dicitur malum eſſe, ex eo præciſe quod illo male utimur: at vero multa ſunt quæ perſuadent concupiſcentiam eſſe malam, dicitur enim lex peccati & peccatum, dicitur morbus, languor, vulnus, a peccato eſt non a Deo. Quo fit ut ſimpliciter loquendo mala dici debeat non bona; ita S. Auguſtinus lib. 3. contra Jul. c. 20. *Atque ita vis*, inquit, *intelligamus libidinem bonum, ſed homines qui ea male utuntur, eſſe culpabiles; ſicut bona eſt creatura panis & vini, quamvis ea male utendo peccetur. Ita enim non intelligis quid loquaris, ut non videas, creaturam panis*

nis & vini non concupiſcere adverſus ſpiritum, ſed ipſam potius inhoneſte a male utentibus concupiſci, & eam forinſecus in noſtrum corpus intrare.

Objicies: quod Deus aliquando contulit pro munere bonum eſt: atqui Deus concupiſcentiam aliquando contulit pro munere; conſtat quippe, inquit Julianus apud S. Auguſtinum contra eundem lib. 3. cap. 11. *Hanc fuiſſe redditam Dei munere Abrahæ & Saræ ſenio confectis emortuiſque corporibus.* Ergo concupiſcentia bona eſt.

Reſpondeo 1. S. Auguſtinus pro munere datam non fuiſſe libidinem Abrahæ, tametſi ei reſtitutus fuerit corporis vigor, *Quaſi vero*, inquit, *ſi claudum hominem reſuſcitet Deus viventibuſque reſtituat, qui utique mortuus jam claudicare non poterat, etiam claudicationem debet videri pro munere contuliſſe. Ita ergo ſi reſtitutus eſt, qui fuerat in viridioribus, corporum vigor, ſic utique reſtitutus eſt, ut ſe habet conditio corporis mortis hujus; non enim eos ad illum ſtatum revocari oportebat, in quo Adam fuit ante peccatum, ut poſſent ſine lege in membris quæ repugnat legi mentis filios procreare.*

Reſpondeo 2. Abrahæ & Saræ redditam non fuiſſe libidinem, ſed fœcunditatem. *Miraculum ergo Dei factum eſt*, inquit. *ut conciperetur Iſaac, non parentibus ejus libidine reddita, ſed fœcunditate donata.*

Objicies: nuptiæ non ſunt ſine concupiſcentia: ergo hæc bona eſt, ſiquidem ea cum bono conjungitur.

Diſt. ant. per accidens & in præſenti naturæ corruptæ ſtatu, C. per ſe neceſſario & in quolibet hominis ſtatu, N. fuit enim conjugium in ſtatu naturæ innocentis, fuiſſetque generatio ſi diutius perduraſſet, neque tamen fuiſſet concupiſcentia; ita S. Auguſtinus paſſim in duobus libris de nuptiis & concupiſcentia.

Objicies: quod eſt commune homini cum brutis, non poteſt dici malum & peccati pœna: atqui concupiſcentia communis eſt homini & brutis: ergo.

Nego min. hæc quippe concupiſcentia, de qua hic quæſtio eſt, non eſt potentia naturalis animæ ſenſitivæ præciſe, ſed prava quædam libido non modo carnis in ſpiritum, ſed & ſpiritus contra rectam rationem concupiſcentis, quæ ſane non reperiuntur in belluis. Ita S. Auguſtinus lib 4 contra Julian. cap. 14. *Jam vero & antea diximus* c. 5. *propterea hoc non eſſe in pecoribus malum, quia in eis caro non concupiſcit adverſus ſpiritum: Non enim habent rationem, qua libidines ſubjugent ſuperando, fatigentve pugnando.*

De morte, morbis, aliiſque corporis calamitatibus, num ſint effectus peccati originalis?

Hic iterum rem habemus cum Pelagianis, qui omnes corporis miſerias, morbos, mortemque ipſam ad ſolam naturalem corporis fragilitatem & conditionem revocabant; quas in eam rem proponebant rationes facile mox diluemus.

CONCLUSIO.

Morbi aliæque corporis miſeriæ, tum vero mors ipſa, ſunt effectus peccati originalis.

Ac primo, morbos, labores, aliaſque corporis ærumnas, quibus affligimur in hac mortali vita, eſſe pœnas peccati originalis, ex eo manifeſte liquet, quod a ſtatu naturæ innocentis in perpetuum exulaſſent, ut colligitur ex cap. 7. Eccleſiaſtis verſu 30. *Solummodo hoc inveni quod fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus*, hoc eſt, ut plerique exponunt interpretes, infinitis miſeriis & calamitatibus. Unde S. Auguſtinus lib. 5. contra Jul. cap. 5. *Quanta*

tæ autem & quam tranquillæ poteſtatis eſſemus etiam de his motibus, quibus alimenta ſumuntur & digeruntur in illa felicitate Paradiſi, quis poſſit ut certum eſt indagare? quis ut dignum eſt explicare? Ubi abſit ut credamus aliquid fuiſſe unde ſenſum noſtrum ſive intrinſecus aut dolor pungeret, aut labor fatigaret, aut pudor confunderet, aut ardor ureret, aut algor ſtringeret, aut horror offenderet. Scilicet ejuſmodi miſerias veriſſime pœnas eſſe, quæ infligerentur innocenti, niſi homines a primo parente culpam traherent originalem, infinitis in locis contra Pelagianos demonſtrat ſanctus Doctor.

Sic lib. 3. contra Jul. cap. 6. *Malum vero*, inquit, *ſi nullum ex origine traherent, nunquam cum vitiis vel corporalibus naſcerentur: Deus enim qui eſt animarum, ipſe eſt etiam corporum conditor, qui utique humana in ipſa conditione naturæ vitia non infligit immeritæ.* Et lib. 4. cap. ultimo: *Quid igitur reſtat, niſi ut cauſa iſtorum malorum ſit aut iniquitas, vel impotentia Dei, aut pœna primi veteriſque peccati? Sed quia nec injuſtus, nec impotens eſt Deus, reſtat quod non vis, ſed cogeris confiteri, quod grave jugum ſuper filios Adam a die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ in mortem omnium non fuiſſet, niſi delicti originalis meritum præceſſiſſet.*

Secundo, id ſpecialiter oſtenditur de morte corporis, cui profecto obnoxii non fuiſſent homines, ſi Adam non peccaſſet, ut aperte colligitur ex his Scripturæ ſacræ teſtimoniis, Geneſ. c. 2. *in quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Sapientiæ cap. 1. *Deus mortem non fecit.* Cap. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum; invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Ad Romanos c. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors;* ubi certe mors corporis deſignatur; mors enim animæ non intravit per peccatum, ſed ipſum formaliter peccatum eſt. Et c. 8. *Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus vero vivit propter juſtificationem.*

His locis paſſim utitur S. Auguſtinus contra Pelagianos, l. 1. de peccatorum meritis c. 4. *Præter hoc autem*, inquit, *quod puniens Deus dixit, Terra es & in terram ibis, quod niſi de morte corporis, quomodo intelligi poſſit ignoro, ſunt & alia teſtimonia quibus evidentiſſime appareat, non tantum ſpiritus, ſed etiam corporis mortem propter peccatum meruiſſe genus humanum. Ad Romanos Apoſtolus dicit (ſi autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum &c.) Puto quod non expoſitore, ſed tantum lectore opus habet tam clara & aperta ſententia: corpus, inquit, mortuum eſt, non propter fragilitatem terrenam, quia de terra pulvere factum eſt, ſed propter peccatum: quid amplius quærimus? & vigilantiſſime non ait mortale ſed mortuum.*

Eam ob rem Conc. Arauſicanum II. ſic loquitur can. 2. *Si quis mortem tantum corporis, quæ pœna peccati eſt, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, per unum hominem in omne genus humanum tranſiiſſe teſtatur, injuſtitiam Deo dabit, contradicens Apoſtolo dicenti, per unum hominem &c.* Quod idem definit Concil. Trident. ſeſſ. 5. can. 1. his verbis: *Si quis non confitetur primum hominem incurriſſe per offenſam prævaricationis mortem quam antea illi Deus comminatus fuerat, anathema ſit.*

Objicies: fames, ſitis, morbi aliaque corporis infirmitates & miſeriæ ex ipſius corporis conſtitutione profluunt, corpus enim ex quatuor elementis ſibi contrariis compoſitum, facile diſſolvi concipitur, ſi partes ab aliquo agente fortiori ſeparentur; hæc igitur non ſunt peccati originalis effectus.

Nego ant, & dico corporis miſerias & ca-

Digitized by Google

& calamitates, mortemque ipſam in ſolam corporis humani conſtitutionem de ſe & ex natura ſua fragilem refundi non poſſe. Eſto quod poſſibilis ſit ſtatus naturæ puræ, in quo hæc omnia forent naturæ humanæ appendices, nec neceſſariam habeant cum peccato connexionem in quolibet ſtatu poſſibili; tamen præſuppoſita ſemel hypotheſi noſtra, in qua videlicet homo in ſtatu juſtitiæ originalis conſtitutus, fuit conſequenter omnium animi, & corporis bonorum poſſeſſione cumulatus; cum eum videmus miſeriis & perturbationibus undequaque afflictum, inferimus cum Auguſt. *quid igitur reſtat, niſi ut cauſa iſtorum malorum ſit aut iniquitas, vel impotentia Dei, aut pœna primi veteriſque peccati?*

At, inquies, Adam in ſtatu juſtitiæ originalis erat mortalis: ergo mors non eſt originalis peccati effectus.

Reſpondeo Adamum in ſtatu juſtitiæ originalis fuiſſe mortalem eo ſenſu quod peccare poterat, & conſequenter mori, vel etiam eo ſenſu quod ex naturali ſua conditione ſublato juſtitiæ originalis beneficio morti fuit obnoxius; ſed nego eum fuiſſe mortalem remanente dono juſtitiæ originalis, quo nempe immortalitatem conſecutus fuerat primus parens. Ita S. Auguſtinus l. 1. de peccat. mer. cap. 2. *Qui dicunt Adam ſic creatum, ut etiam ſine peccati merito moreretur, non pœna culpæ, ſed neceſſitate naturæ profecto illud quod in lege dictum eſt (qua die ederitis, morte moriemini) non ad mortem corporis, ſed ad mortem animæ quæ in peccato fit, referre conantur . . . proinde ſi non peccaſſet Adam, non erat expoliandus corpore, ſed ſuperveſtiendus immortalitate & incorruptione.* Cap. 3. *Habebat enim quantum exiſtimo & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & ligno vitæ ſtabilitatem contra vetuſtatem.*

Urgebis: potuit homo in illo ſtatu innocentiæ non comedere, pro ea ſcilicet qua præditus erat libertate: atqui tunc mortuus fuiſſet, egebat enim potu & cibo ad vitam ſuam ſuſtentandam: ergo mors non eſt neceſſario effectus peccati originalis.

Diſt. maj. & in hoc ipſo peccaſſet, C. & non peccaſſet, N. Homo igitur pro neceſſitate corporis non comedens peccaſſet, ordinem a Deo præſcriptum perturbans, unde prius peccaſſet quam fuiſſet mortuus.

Objiciunt Pelagiani apud Auguſtinum lib. 2. de peccat. mer. cap. 30. *Si primi hominis peccato factum eſt ut moreremur, Chriſti adventu fieret ut credentes in eum non moreremur; neque enim prævaricatoris tranſgreſſio plus nobis nocuit, quam Incarnatio vel Redemptio profuit Salvatoris.* Scilicet ſublata cauſa tollitur effectus: atqui tamen ſublato peccato originali per baptiſmum non tollitur propterea mors: ergo non eſt peccati originalis effectus.

Diſt. maj ſublata cauſa tollitur effectus, eo ſenſu quod niſi cauſa exiſtat effectus non producatur, C. eo ſenſu quod effectus ſemel productus pereat ſemper ſublata cauſa, N. non eſt igitur, ut per ſe patet, alius iſtius axiomatis ſenſus, ut plurimum enim ſublata cauſa quæ aliquem produxit effectum, non idcirco tollitur effectus; ſublato mucrone quo quis confixus morti datus eſt, non ideo vitam confeſtim iſte recuperat. Quamobrem ſublato per baptiſmum peccato originali, non omnis propterea tollitur ejus effectus, homini baptizato gratia quidem ſanctificans reſtituitur, ſed remanent alia ejuſdem peccati originalis vulnera, ignorantia, concupiſcentia, infirmitas, morbi, morſque ipſa, ſic nimirum volente Deo unum ex illis effectibus, non autem ſimiliter alios removere. *Poterat etiam*, inquit ibidem S. Auguſtinus, *hoc donare credentibus, ut nec iſtius experirentur corporis mortem: ſed ſi hoc feciſſet, carni quædam felicitas adderetur, minueretur*

retur autem fidei fortitudo. Ubi & alias hujuſce rei ſubjungit rationes.

De externis Peccati originalis effectibus.

SUnt & alii peccati originalis effectus quos appellamus externos, quia extra hominem poſiti ſunt. Hos recenſet Moſes Geneſ. cap. 3. poſtquam primi parentis inobedientiam, & peccatum deſcripſit.

1. Enim ſerpens fuit maledictus. *Et ait Dominus Deus ad ſerpentem, Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia*. In eo vero ad litteram maledictus eſt ſerpens quod præ cæteris animantibus venenatus eſt & homini noxius; quod tamen ſymbolice convenit Dæmoni, inquiunt Interpretes, qui ſuis venenatis adhortationibus ad graviſſima quæque flagitia homines impellit.

2. Pœna infligitur mulieri, *multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, in dolore paries filios*. Cui nempe dolori conjunctum eſt perſæpe periculum vitæ, tum matris, tum prolis; quem dolorem in Evam aliaſque mulieres invexit peccatum, Deique beneficio ſtatu naturæ innocentis effugiſſent.

3. Et ipſa terra maledicitur: *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane*. Nimirum licet ante peccatum naturaliter ſpinas quoque & tribulos germinaſſet, illud tamen ipſum jam factum eſt pœna hominis peccantis, quatenus & terræ fertilitas imminuta eſt, & plures tribulos germinat, quod ſignificatur his verbis Eccleſiaſtici c. 40. *jugum grave ſuper filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ*.

Neque objici debet a Moſe dictum fuiſſe Geneſ. 2. cap. Deum poſuiſſe hominem in Paradiſo, ut operaretur; quibus ſignificat etiam ſublato peccato homines fuiſſe laboraturos, terramve culturos. Id quippe intelligitur eo ſenſu quod in Paradiſo Adamus laboraturus erat, non labore ſervili ex neceſſitate ſuſtentandæ vitæ, ſed honeſta animi voluptate, ut ſeſe oblectaret.

Quarto demum alia conſecuta eſt peccati originalis pœna, ut beſtiæ hominibus nocerent, quæ antea in Paradiſo minime nocebant, ut conſtat ex c. 2. Geneſ. ubi omnes beſtiæ in conſpectum Adami adductæ ſunt, ut illis nomina imponeret.

De pœna damni pro infantibus ſine baptiſmo decedentibus.

POEna peccati originalis pro altera vita duplex vulgo diſtinguitur, una *damni*, quæ poſita eſt in privatione beatitudinis, ſeu viſionis intuitivæ Dei; altera *ſenſus*, quæ eſt inflictio ſupplicii dolorem afferentis; de pœna ſenſus articulo ſequenti differemus, nunc de pœna damni dicendum.

Pelagiani, quoniam putabant nullius peccati vinculo obſtrictos eſſe infantes, aliunde vero Deum infelicitatis auctorem eſſe non poſſe, niſi peccato hujuſmodi pœna debeatur, docebant conſequenter, illos morte præventos ſine baptiſmo, non intraturos quidem in regnum cœlorum, ſed vitam æternam eſſe habituros, quid autem per vitam æternam intellexerint, paulo infra explicabimus.

Secunda ſententia fuit Vincentii cujuſdam Victoris qui, tametſi admitteret peccatum originale, contendebat tamen infantes ſine baptiſmo ex vita abreptos non excludi a regno cœlorum; id conſtat ex S. Auguſtino lib. 1. de anima & ejus origine cap. 9. *De illis parvulis*, inquit, *qui morte præveniuntur priuſquam baptizentur in Chriſto, cum reſpondere voluiſſet*, Vincentius, *auſus eſt eis promittere non ſolum Paradiſum, verum*

Digitized by Google

etiam regnum cœlorum. Is tamen aliquando Paradiſum, non autem regnum cœlorum eis tribuebat, ut conſtat ex lib. 2. cap. 10.

Tertia ſententia eſt eorum, qui putant infantes privandos quidem viſione intuitiva Dei, nullum tamen percepturos dolorem interiorem ex ejuſmodi privatione viſionis Dei. Ita S. Bonaventura 2. ſent. diſt. 33. art. 3. q. 2. & S.Thomas in quæſtionibus diſputatis qu. 5. de pœna peccati originalis art. 3. ubi ait pueros de amiſſione beatitudinis ſupernaturalis non dolere, quia ſe propter illius beatitudinis adeptionem eſſe creatos ignorant. Similia docent Innocent. V. 2. ſent. diſt. 33. dicens non ſolum infantes non paſſuros ullam pœnam ſenſus, ſed etiam percepturos eſſe majorem voluntatem quam quiſquam mortalium experiatur in hac vita, contemplatione ſcilicet rerum naturalium. Scotus q. unica. Durandus q. 3. Gabriel q. 1. art. 2. Sotus lib. 2. de natura & gratia cap. 14. & Vaſquez in 1. 2. diſp. 134. cap. 3.

Quarta ſententia eſt Alberti Pighii, Ambroſii Catharini, & quorumdam aliorum, qui docuerunt infantes ante ſuſceptum baptiſma fato functos viſione quidem intuitiva Dei carere, ſed aliunde naturali quadam beatitudine donari ſine ulla moleſtia, ſine ullo dolore.

Hanc porro ſententiam, aut aliam ea longe pejorem tradidit non ita pridem Cardinalis Sfondratus in libro cui titulus eſt *Nodus prædeſtinationis diſſolutus*, ubi hæc leguntur num. 13. *Parvulos quod attinet qui ſine baptiſmo decedunt, cœleſti quidem regno quaſi paternæ culpæ reos nec expiatos excluſit. Non excluſit tamen naturalibus bonis & a peccato præſervavit, æternoque ſupplicio, quo ſi adoleſcerent, puniendi eſſent, cum ſola præſervatio a peccato pluribus valeat, majoriſque pretii ſit, quam regnum ipſum cœleſte*. Num. 23. *In hac parvulorum cauſa conſiderandum eſt, licet Deus ad cœleſtem gloriam eos non admiſerit, alio tamen multoque majori beneficio affeciſſe, quod illi ipſi longe cœlo prætuliſſent, & nos quoque ſi electio daretur, multo majoris pretii quam cœlum duceremus*. Et paulo poſt: *Quid ergo conqueri de Deo poſſunt, quid illis malè fecit, ſi non quidem cœlo, aut alio beneficio donavit, quod multo præſtantius cœlo eſt, quodque & ipſi & omnes ſapientes cœlo præferrent?* Unde in iiſdem infantibus baptiſmo nondum tinctis, *innocentiæ perſonalis* donum, & *immunitatis a peccato*, toties deprædicat Eminentiſſimus Cardinalis.

Ut autem majori cum perſpicuitate præfatas opiniones conterere valeamus, indeque vera & catholica fides de parvulorum damnatione clarius aſſeratur, tria nunc demonſtranda ſunt, 1. homines cum ſolo originali peccato decedentes non habituros eſſe vitam æternam, idque contra Pelagianos, unde & aperte convelletur commentum Vincentii dicentis infantes ante ſuſceptum baptiſma fato functos non excludi a regno cœlorum. 2. fictitiam & male omnino excogitatam beatitudinem naturalem quæ infantibus tribuitur tum a Catharino tum a Cardinali Sfondrato. 3. demum & eoſdem infantes interiorem animi dolorem paſſuros ex privatione viſionis beatificæ, contra D. Bonaventuram, S. Thomam, alioſque mox recenſitos Doctores: quocirca ſit

Prima Conclusio.

Infantes ante baptiſma ſuſceptum decedentes, non habebunt vitam æternam.

Id potiſſimum oſtendimus auctoritate S. Auguſtini, qui paſſim in libris integris adverſus Pelagianos docet fictitium, plane abſurdum, & Scripturis manifeſte contrarium quod dicere ſolebant, infantes ante ſuſceptum baptiſma decedentes, non ingreſſuros quidem regnum cœlorum,

Digitized by Google

rum, juxta hanc Domini ſententiam, Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei*. Sed tamen vitam æternam habituros, quaſi vita æterna aliud omnino ſit quam regnum cœlorum. Sic v. g. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 20. *Terrentur iſti ſententia Domini dicentis, (niſi quis natus fuerit denuo non videbit regnum Dei) quod cum exponeret, ait, (niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit in regnum cœlorum.) Et propterea conantur parvulis non baptizatis innocentiæ merito ſalutem ac vitam æternam tribuere, ſed quia baptizati non ſunt, eos a regno Cœlorum facere alienos, nova quadam & mirabili præſumptione, quaſi ſalus ac æterna vita poſſit eſſe præter Chriſti hæreditatem, præter regnum cœlorum*.

Et lib. 3. cap. 3. *Poſtremo quod ſine peccato imago Dei non admittatur ad regnum Dei, quoniam (niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu non poteſt introire in regnum Dei:) atque ita vel in æternam mortem ſine peccato præcipitetur, vel quod eſt abſurdius, extra regnum Dei habeat vitam æternam, cum Dominus prædicens quid ſuis in fine dicturus ſit, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab initio mundi, manifeſtaverit etiam quid ſit ipſum regnum quod dicebat, ita concludens (ſic ibunt illi in combuſtionem æternam, juſti autem in vitam æternam.)*

Idem habet lib. 2. de anima & ejus origine cap. 10. lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagianorum cap. 4. lib. 3. contra Jul. cap. 12. lib. 6. cap. 10. Epiſt. 186. c. 8. ſermone 294. de baptiſmo parvulorum, olim ſerm. 14. de verbis Apoſtoli, & in aliis multis locis.

Hanc vero catholicam fidem ex eo præſertim aſtruit Sanctus Doctor, quod manifeſtum ſit in Scripturis Sacris vitam & ſalutem æternam non differre a regno cœlorum, quod enim Joan. 3. verſ. 5. Dominus dixerat regnum Dei, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua non poteſt introire in regnum Dei*, ibidem verſ. 15. appellat vitam æternam, *ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam:* verſ. 16. vocat ſalutem, *ut ſalvetur mundus per ipſum*.

Tum vero & iſta profert Scripturæ teſtimonia in quibus legitur neminem habere vitam æternam ſine fide vel baptiſmo Chriſti, Joan. 3. *Qui incredulus eſt Filio, non habebit vitam*. Cap. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ad Romanos c. 6. *Gratia Dei vita æterna*. 1. Joan. 5. *Qui non habet Filium Dei, vitam non habet*. Qua de re plura paulo poſt dicturi ſumus ſequenti diſſertatione, ubi de pœna ſenſus parvulorum.

Quærunt Theologi quid intellexerint Pelagiani per illam vitam æternam, quam parvulis ſine baptiſmo decedentibus promittebant, an beatitudinem quandam naturalem, an vero ſupernaturalem ſitam in viſione clara Dei.

Conrius Hibernus ex Ordine Fratrum Minorum ad Archiepiſcopatum Thuamenſem aſſumptus ſcribit in *tractatu de ſtatu parvulorum ſine baptiſmo decedentium ex hac vita*, Pelagianos per vitam æternam intellexiſſe beatitudinem ſupernaturalem ſitam in clara Dei viſione, hoc videlicet nixus momento, quod ubicunque D. Auguſtinus ex Scripturis Sacris hanc Pelagianorum ſententiam impugnat, Scripturas illas & ratiocinationes adhibet, quas certo conſtat nihil niſi de ſupernaturali vita æterna concludere. Sic l. 1. de peccat. mer. c. 27. ex Joanne Evangeliſta ratiocinatur: *Qui de ovibus meis ſunt, vocem meam audiunt, & ego novi illos, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Quoniam ergo de ovibus ejus eſſe non incipiunt parvuli niſi per baptiſmum, profecto ſi hoc non accipiunt, peribunt; vitam enim æternam quam ſuis dat ovibus non habebunt*. Porro vita æterna,

quam

quam Chriſtianis velut ovibus ſuis dabit Chriſtus, eſt ſupernaturalis.

Similia ſunt quæ ibidem leguntur: *Et hoc eſt teſtimonium quia vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio ejus eſt. Qui habet Filium habet vitam, qui non habet Filium non habet vitam. Non ſolum igitur regnum cœlorum, ſed nec vitam parvuli habebunt, quem niſi per baptiſmum ejus habere non poſſunt.* At vita ad quam obtinendam baptiſmus neceſſarius eſt, non eſt alia quam ſupernaturalis.

Dixerat cap. 24. ejuſdem libri, parvulis illam promitti a Pelagianis ſalutem & vitam, quæ per baptiſmum, corpus & ſanguinem Domini ex catholicæ fidei inſtitutione ſperatur.

Si ergo, inquit, *ut tot & tanta divina teſtimonia concinunt, nec ſalus nec vita æterna ſine baptiſmo & corpore & ſanguine Domini cuiquam ſperanda eſt, fruſtra ſine his promittitur parvulis.*

Ex quibus omnibus, aliiſque ſimilibus quæ innumera proferri poſſent, manifeſte colligitur, inquit Conrius, quem & nonnulli hac in parte ſequuntur, aut in mente S. Auguſtini Pelagianos per illam vitam quam tribuebant parvulis, intellexiſſe vitam ſupernaturalem ſitam in clara Dei viſione, aut in manifeſta æquivocatione perpetuo verſatum eſſe, quando hunc Pelagianorum errorem debellabat; ut qui certe, cum ſciret de beatitudine naturali diſſerere Pelagianos, ipſe tamen totis ingenii viribus & rationes & Scripturarum loca congereret ad aſſerendam beatitudinem ſupernaturalem, aera, ut ajunt, ſic verberans, quod tanto viro plane indignum eſſe videtur.

Sed ego quidem arbitror Pelagianos per illam vitam æternam intellexiſſe beatitudinem quandam naturalem quam parvulis, utpote in eorum mente naturaliter innocentibus, extra regnum cœlorum tribuebant.

1. Quia hanc vitam æternam Pelagianorum appellat S. Auguſtinus, *quamdam ſuam vitam* lib. de hæreſibus hæreſi 88. *Promittunt eis*, inquit, *extra regnum quidem Dei, ſed tamen æternam & beatam quandam vitam ſuam.* Lib. de prædeſt. SS. cap. 13. *Hoc ſi auderent Pelagiani, non jam laborarent negando originale peccatum, quærere parvulis extra regnum Dei neſcio cujus ſuæ felicitatis locum.* Hic autem loquendi modus *vitam ſuam, beatam quandam vitam*, manifeſte oſtendit non vitam æternam ſimpliciter, qualem admittebat ipſe Auguſtinus cum cæteris Catholicis, ſed genus quoddam inauditum vitæ æternæ ordinis mere naturalis.

2. Quia ubique docuerunt Pelagiani idcirco parvulos baptizari ut adoptarentur in filios Dei, id conſtat ex lib. 1. de peccat. merit. cap. 18. *Sed illi movent*, inquit, *& aliquid conſideratione ac diſcuſſione dignum videntur afferre, qui dicunt parvulos recenti vita editos viſceribus matrum, non propter remittendum peccatum percipere baptiſmum, ſed ut ſpiritalem procreationem non habentes creentur in Chriſto, & ipſius regni cœlorum participes fiant, eodem modo filii & hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti.* Et lib. 2. contra duas Pelagianorum Epiſtolas cap. 6. eos alloquens ſic habet: *Nam etſi eos negatis attrahere, quod in baptiſmo remittetur originale peccatum, tamen illo regenerationis lavacro adoptari ex filiis hominum in Dei filios non negatis, immo etiam prædicatis.* Cenſebant igitur Pelagiani parvulos ante baptiſma ſuſceptum decedentes non eſſe filios Dei & hæredes, quantumvis certam quandam haberent vitam: quid autem eſt eſſe hæredem Dei niſi Deum poſſidere clara & beatiſſima ejus contemplatione?

3. Quia contendebant Pelagiani parvulos vaſa eſſe nec in honorem nec in contumeliam, lib. 1. oper. imperf. cap. 137. *Contra Apoſtolum dicentem, ex eadem maſſa aliud vas in honorem aliud*

aliud in contumeliam Deum facere, *nec dicentem*;, *aliud nec in honorem*, *nec in contumeliam*; *quod utique diceret*, *ſi hoc quod vos de parvulis crederet*. Atqui, ſi exiſtimaſſent parvulos ſine baptiſmo decedentes habere vitam æternam ſupernaturalem, profecto minime negaſſent eos eſſe vaſa in honorem; hoc enim eſt magnæ & excellentis gloriæ, Deo frui ejusque naturæ clara contemplatione, igitur, &c.

4. Quia ex frequentibus S. Auguſtini concertationibus cum Pelagianis, manifeſte liquet ejusmodi hæreticos per illam vitam æternam quam parvulis promittebant, nihil aliud intellexiſſe quam certam quandam quietem qua fruebantur ab omni damnatione, hoc eſt, ab omni ſupplicio & pœna immunes; cum enim aſſerebant parvulos ſine baptismo decedentes, habituros eſſe vitam æternam, ex hoc ut plurimum id refutat Sanctus Doctor, quod infantes ibunt in combuſtionem æternam, ut fuſius oſtendetur ſequenti diſputatione, id aperte legitur in Epiſt. 294. S.Aug. *Cum enim dicunt*, *non eſſe baptizandos ſalutis & æternæ percipiendæ cauſa*, *ſed tantummodo regni cælorum & regni Dei*, *baptizandos quidem fatentur*, *ſed non propter vitam æternam*, *ſed propter regnum cælorum*. *Quid de vita æterna? Habebunt*, *inquiunt*; *Quare habebunt? Quia nullum peccatum habent*, *& ad nullam damnationem pertinere poſſunt*. Ubi primum ſatis clare ſignificat Pelagianos nihil aliud intelligere per vitam æternam, quam libertatem a damnatione, hoc eſt, ab ulla pœna; unde paulo poſt fictitium hunc errorem ex eo impugnat, quod certum ſit ex Scripturis infantes igne æterno comburendos. *Certe*, inquit, *habere poteſt vitam æternam qui non baptizatur? Non erit in dextra*, *id eſt*, *non erit in regno*. *Vitam æternam computas ignem ſempiternum?* Noverat igitur Auguſtinus per hanc ſuam vitam æternam Pelagianos removere tantum damnationem, ſeu pœnam & ſupplicium, ſine acceſſione ullius gloriæ, ullius lætitiæ, quod ſatis conſentaneum erat illorum principiis, parvulis enim vitam æternam pollicebantur, *quia nullum peccatum habent*, *& ad nullam damnationem pertinere poſſunt*.

Quibus adde Pelagium aperte profiteri ſolitum, ſe penitus ignorare quisnam futurus ſit ille parvulorum ſtatus, quænam futura ſit eorum felicitas; ſic enim loquitur apud Auguſtinum lib. de peccato originali cap. 21. *Sine baptiſmo parvuli morientes*, *quo non eant ſcio*, *quo eant neſcio*; id eſt, ut ibidem interpretatur S. Doctor, *non ire in regnum cælorum ſcio*, *quo vero eant*, *ideo ſe neſcire dicebat*, *aut dicit*, *quia dicere non audebat in mortem illos ire perpetuam*; ſed non ita incertus fuiſſet parvulorum ſtatus in mente Pelagianorum, ſi exiſtimaſſent illos frui viſione beatifica Dei. Igitur, &c.

Neque movere debet quod ait Conrius Auguſtinum, ubicunque hanc Pelagianorum doctrinam oppugnat, illa Scripturarum loca adhibere, quæ non niſi de vita æterna ſupernaturali explicari poſſunt, ſupponens conſequenter illos vitam æternam ſupernaturalem parvulis promittere, ſiquidem in hac argumentatione Pelagianos redarguens, quod neſcio quandam fictitiam admittebant vitam æternam, huc uſque inauditam, tunc loquitur de vita æterna naturali; cum autem probat vitam æternam obtineri non poſſe ſine baptiſmo, illud de vita æterna ſupernaturali accipit; neque profecto eam ob rem in manifeſta æquivocatione verſatur ſanctiſſimus Doctor.

Scilicet in ejusmodi diſputatione vitam æternam dupliciter accipere debuit, ad ſenſum Pelagianorum pro beatitudine quadam naturali, & ad ſenſum catholicorum pro beatitudine ſupernaturali, ſeu clara Dei viſione vitam æter-

nam

Digitized by Google

nam ſumit priori ſenſu, cum oſtendit Pelagianis ejusmodi vitam fictitiam eſſe ab ipſis ſolis excogitatam, veteribus plane incognitam, veteribus plane incognitam & Scripturis contrariam: in poſteriori vero ſenſu accipit vitam æternam, cum argumentis poſitivis oſtendit vitam æternam haberi non poſſe ſine baptiſmo, a regno cœlorum minime ſejunctam, &c. Et in eo nec luſcum nec obliquum eſt Divi Auguſtini argumentum, aera non verberat, quia nempe in eodem ſenſu primum accipit vitam æternam ac Pelagiani, quando nempe oſtendit fictitiam eſſe ejusmodi vitam æternam quam admittebat, naturalem ſcilicet; inſuper vero probat ex Scripturis vitam æternam, nimirum ſupernaturalem, quæ ſola deſtinata eſt hominibus, obtineri non poſſe ſine baptiſmo, ibi certe ne vel minima eſt æquivocationis umbra.

Secunda Conclusio.

Infantes ſine baptiſmo decedentes nulla fruuntur beatitudine naturali.

Ratio eſt quia hujus beatitudinis naturalis, infantibus peccato originali obſtrictis tam liberaliter conceſſæ, nullum plane fundamentum afferri poteſt ab illius damnoſæ ſententiæ aſſertoribus, de ejusmodi felicitate ne vel minima injicitur mentio aut in divinis Codicibus aut in Scripturis SS. Patrum; niſi hoc ſolum momento ſuffulta dicatur, quod infantes nullo perſonali peccato contaminentur, hoc etenim unicum videtur eſſe Sfondrati argumentum iisdem infantibus innocentiam *perſonalem* tribuentis, quod certe cum fundatiſſimo fidei catholicæ dogmate de peccato originali conſentire neutiquam poteſt; neque enim patitur inconcuſſa hæc fides, *innocentem* dici perſonam infantium, ad quos peccatum primi hominis vere ac proprie loquendo tranſmiſſum eſt, ut non ſemel in Conciliis definitum conſtat.

Id vero inſuper demonſtratur ex eo quod ſtatus ille parvulorum ante ſuſceptum baptiſma decedentium, iis paſſim nominibus denotatur, tum in Scripturis, tum apud SS. Patres, quæ cum ejusmodi beatitudine naturali conciliari non poſſunt.

Primo enim appellatur ſtatus mortis, mors æterna, ſecunda mors, Geneſ. 2. cap. *in quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, tu & tecum cæteri homines, morte ſcilicet animæ; nam peccatum originale eſt mors animæ, inquit Concilium Tridentinum; 2. Cor. 14. *Quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*. Quemadmodum dixerat 1. Epiſt. cap. 15. *Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*. Unde S. Auguſtinus infinitis in locis tradidit infantes, niſi baptizentur, pertinere ad mortem ſecundam, baptizatos autem pertinere ad vitam æternam; ita nimirum lib. 1. de peccat. merit. cap. 28. lib. 3. contra Jul. cap. 1. lib. de peccato originali cap. 21. &c. Quis vero dixerit eos in ſtatu beatitudinis collocatos, in quo proinde gaudeant & lætentur, qui morti æternæ addicti ſunt?

Secundo, in illo ſtatu infantes dicuntur eſſe cum Diabolo in damnatione, in diaboli regno & ſub ejus poteſtate, quemadmodum loquitur S. Auguſtinus lib. de peccat. mer. 28. his verbis: *Quia ſicut per unum omnes ad condemnationem, ſic per unum omnes ad juſtificationem. Nec eſt ullus ulli medius locus, ut poſſit eſſe niſi cum diabolo, qui non eſt cum Chriſto; Hinc & ipſe Dominus volens auferre de cordibus male credentium iſtam neſcio quam medietatem, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, ut quaſi merito innocentiæ ſint in vita æterna, ſed quia non ſunt baptizati non ſint cum Chriſto in regno ejus, definitivam protulit ad hæc ora obſtruenda ſententiam, ubi ait: (qui mecum non eſt, adverſum me eſt.)* Conſtitue-

ſtitue igitur quemlibet parvulum, ſi jam cum Chriſto eſt, ut quid baptizatur? Si autem quod habet veritas, ideo baptizatur, ut ſit cum Chriſto, profecto non baptizatus eſt cum Chriſto, & quia non eſt cum Chriſto, adverſus Chriſtum eſt. Et lib. 3. contra Jul. cap. 5. *Nos certe cauſam cur ſub diabolo ſit qui naſcitur, donec renaſcatur in Chriſto, peccati ex origine dicimus eſſe contagium. Vos autem qui hoc negatis, ea ſaltem quæ aperta ſunt, intuemini, cur nonnulli etiam dæmonem patiantur infantes, niſi forte & ipſos aut eſſe, aut ſub diabolo eſſe negabitis*. Quod idem docet lib. 1. de nuptiis cap. 20. & lib. 2. cap. 18. Sane aſſerere homines in diaboli regno & ſub ejus poteſtate conſtitutos, frui tamen beatitudine naturali, perfatuum cuipiam ratione utenti videbitur.

Tertio, & alia ſunt permulta quæ infantibus ſine baptiſmo decedentibus tribuuntur, quæ cum beatitudine naturali ſtare non poſſunt; nonnulla recenſet idem S. Doctor lib. 1. de peccat. mer. cap. 27. *Nam nomina eorum*, inquit, *erant prius, filii carnis, filii ſæculi, filii iræ, filii diaboli, immundi, peccatores, impii: poſtea vero filii Dei, &c.* An vero Chriſtianæ aures ferre poſſunt, æterna felicitate & lætitia donari filios iræ, filios ſæculi, filios diaboli, immundos, peccatores, impios?

Quibus adde eosdem infantes pœnam ſenſus, pœnam ignis paſſuros, ut mox oſtendam; at cum ejusmodi pœna conſiſtere non poteſt ulla beatitudo; qui enim beatus eſt, quæcumque ſit illa felicitas, naturalis aut ſupernaturalis, dubio procul ab omni miſeria & dolore liber eſſe debet.

Nec moror quod dicit Catharinus ejusmodi infantes absque baptiſmo decedentes non amplius fore ſub diaboli poteſtate poſt extremi judicii diem, quo tempore duntaxat incipient eſſe beati beatitudine naturali; ſiquidem hujus opinionis nullum fundamentum proferre poteſt iſte Scriptor, & aliunde in eam aperte militant momenta ſuperius adducta; cum enim infantes ſint filii iræ, filii diaboli, & ſub illius poteſtate propter peccatum originale, quandiu remanet peccatum remanere debet pœna; adeoque in altera vita perinde ac iſta ſub poteſtate diaboli conſtituti ſunt.

Tertia Concluſio.

Infantes ſine baptiſmo decedentes paſſuri ſunt interiorem animi dolorem ex privatione viſionis beatificæ.

Primo, quia opinio contraria, quæ nonnullis excidit non infimæ notæ Theologis, nullo plane fundamento nititur; nihil enim legitur vel in Scripturis, vel in Conciliis, vel apud SS. Patres, quod vel minimum inſinuet ejusmodi immunitatem ab interiori dolore, qua donentur infantes in altera vita, eo quod cum ſolo peccato originali deceſſerint; cum tamen ex illis locis erui deberet doctrina tanti momenti, non autem ex quibusdam tantum leviſſimis conjecturis, quales in præſenti materia adhibent præfati Theologi.

Secundo, quia in animum ſibi nemo induxerit, eos nullum cordis dolorem, nullam mœſtitiam paſſuros, quos conſtat viſione intuitiva Dei privandos, tum vero a regno cœlorum, a vita æterna, a regno Dei æternum excluſos; cum præſertim id ipſis loco pœnæ ſit; oportet enim ut acerbiſſimo animi dolore crucientur, qui ſummo aliquo bono privantur in pœnam ſui criminis; ut egregie ſcribit ſanctus Auguſtinus non uno in loco; lib. 3. contra Jul. cap. 3. *Vos*, inquit, *excellentiſſimi amatores illius vitæ, quæ futura eſt æterna cum Chriſto, nullam pœnam putatis eſſe imaginis Dei, in æternum exulare a regno Dei, cum ſi parvam pœnam eſſe diceretis, non eſſet hæc vox beati amatoris illius regni, ſed miſeri contemptoris*.

ptoris. Porro autem ſi quod huic ſufficit cauſæ, parvam ſaltem pœnam fatemini eſſe, quæ magna eſt, ut imago Dei non ſinatur intrare in regnum Dei, &c. Ex quibus colligitur mentem ſancti Doctoris fuiſſe parvulos ſine baptiſmo decedentes magnam inde pœnam experturos, quod a regno Dei propterea exulabunt; quin & ipſos Pelagianos diffiteri non potuiſſe parvam ſaltem fore illorum pœnam.

Sermone 294. cap. 6. *Hæc illis ſola pœna eſt*, inquit, *non eſſe in patria. Si amatur patria, magna pœna; ſi autem non amatur patria, pejor eſt cordis pœna. Parvum malum eſt in hominis corde, qui ſocietatem non quærit Sanctorum, qui non deſiderat regnum cœlorum? Si non deſiderat, pœna eſt de perverſitate; ſi autem deſiderat, pœna eſt defraudata charitate.*

Eximium eſt & ad rem hanc maxime accommodatum, quod ſcribit in Enchiridion cap. 121. *Fruſtra itaque*, inquit, *nonnulli, immo quamplurimi, æternam damnatorum pœnam & cruciatus ſine intermiſſione perpetuos humano miſerantur affectu, atque ita futurum eſſe non credunt, non quidem Scripturis divinis adverſando, ſed pro ſuo motu dura quæque moliendo & in leniorem flectendo ſententiam quæ putant in eis terribilius eſſe dicta quam verius..... quæ ſi ſola eſſet, quanta ibi minima cogitari poteſt, perire a regno Dei, exulare a civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei quam abſcondit timentibus ſe, perficit autem ſperantibus in ſe, tam grandior eſt pœna, ut ei nulla poſſint tormenta, quæ novimus, comparari.*

Tertio demum, iſta opinio ſatis accedit ad aliam Catharini & Cardinalis Sfondrati mox confutatam; ſi enim infantes in altera vita ex privatione viſionis beatificæ nullum patiuntur dolorem, plane neceſſe eſt eos frui aliqua beatitudine; quin & Pelagianis ipſis non parum favent molliores illæ ſententiæ, ita ut cuipiam illas propugnanti fere nullum ſuppetat argumentum, quo poſſit iſtorum hæreticorum doctrinam confutare, ut in ſimili prope caſu arguit S. Auguſtinus Epiſt. 294. c. 6. *Quid ſi aliquis dicat parvulos merito innocentiæ ſuæ, ſicut dicitis, atque immunitatis ab omni delicto, non ſolum habituros ſalutem & vitam æternam, ſed & regnum Dei; unde apud vos definitum certumque eſt ſine baptiſmo regnum Dei non habituros parvulos; ut divideretis eis pro arbitrio veſtro, non adjutores parvulos, ſed oppreſſores miſerorum, ut divideretis eis pro arbitrio veſtro, & daretis eis ſalutem & vitam æternam præter regnum cœlorum? Alius benevolentior vobis & miſericordior, & ut putatis juſtior, totum eis dabit, & vitam æternam & regnum cœlorum. Iſtum quomodo ſuperabitis?* Sic vero in præfatas opiniones jam liceat inſurgere, contenditis parvulos baptizatos frui aliqua beatitudine, aut ſaltem nullum perpeti dolorem, Pelagiani vobis benevolentiores docent inſuper eoſdem infantes habere vitam æternam, quomodo illos ſuperabitis?

Neque vero ullius momenti eſt quod dicunt adverſarii, nullum interiorem animi dolorem paſſuros eſſe infantes, quia nempe ignorabunt ſibi deſtinatam eſſe illam intuitivam Dei viſionem; cum id nonniſi per fidem qua ſemper caruerunt, cognoſci poſſit. At, inquam, hæc ratio per ſeſe ipſa corruit; falſum eſt enim per ſolam fidem innoteſcere poſſe hominibus deſtinatam Dei viſionem beatificam; omnia quippe manifeſtabuntur in die judicii generalis quando omnes judicabuntur, adeoque iſti infantes coram tremendo judice ſtantes, audita & ſua & aliorum ſententia abunde cognoſcent unde ipſi propter peccatum originale exciderint, & quid Deus rependat electis quibus pronuntiabit, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete*

te paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. Ut taceam quid ipſis fortaſſe revelabitur vel in ipſo judicio particulari.

De pœna ſenſus parvulorum.

INter ea quæ de conditione infantium ante ſuſceptum baptiſma mortuorum diſputantur, omnium graviſſima quæſtio eſt de pœna ſenſus, an videlicet una cum pœna damni ſeu privatione viſionis Dei, realem & ſenſibilem patiantur in inferno cruciatum necne.

Duplex autem ſuper illo negotio diſtinguitur Theologorum ſententia, ita tamen ut neutra tanquam ad fidem catholicam pertinens defendatur. Prima eorum eſt qui putant parvulos cum ſolo peccato originali mortuos nulla ſenſus pœna afficiendos, quibus nempe medium quemdam aſſignant locum inter Paradiſum ſeu regnum cœlorum, & infernum ſeu gehennam ignis, qui quidem locus ab iis appellari ſolet Limbus: aut ſaltem medium quemdam ſtatum inter pœnam ſenſus & beatitudinem. Alii contra docent fictitium eſſe ejuſmodi ſtatum medium inter gloriam æternam beatorum & gehennam ignis damnatorum, parvuloſque veram & realem ſenſus pœnam, licet mitiſſimam experturos, cui ſententiæ lubenti animo ſubſcribimus.

CONCLUSIO.

Infantes cum ſolo peccato originali decedentes torquentur in inferno pœna ſenſus.

Probatur 1. ex Scripturis, Math. 3. cap. verſ. 12. de Chriſto Domino ſic loquitur S. Joan. Baptiſta, *Cujus ventilabrum in manu ſua & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*. Quod idem repetitur Lucæ 3. c. His autem verbis duo hominum genera manifeſte ſignificantur, prædeſtinatorum videlicet qui dicuntur triticum, & reprobatorum qui ſub nomine paleæ exhibentur: omnes igitur reprobi, quemadmodum palea igne inextinguibili comburentur; & quæro ab adverſariis, infantes ante ſuſceptum baptiſma mortui, ſuntne triticum, ſuntne in numero electorum computandi? Quod poſtremum quia ſine aperta hæreſi proferri non poſſet, ſupereſt, ut iidem infantes velut palearum faſciculi in ignem conjiciendi ſint plane inextinguibilem.

Neque audiendi ſunt adverſarii qui dicunt ejuſmodi parabolam nihil omnino ad infantes pertinere quia per aream intelligitur Eccleſia in cujus ſinu non continentur infantes nondum baptizati: quocirca, inquiunt, non erunt iſti neque inter frumenta, neque inter paleas. At frivola eſt hæc reſponſio: licet enim diei poſſit per aream ſignificari Eccleſiam, nihil tamen vetat quominus & eam interpretemur de mundo univerſo, ut ſatis intelligitur ex alia & prope ſimili parabola quæ legitur Math. 13. cap. *Simile factum eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo: cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus & ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & abiit..... Colligite primum zizania & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum*. Ubi & iſtam parabolam explicans ipſemet Chriſtus ait poſtea, *ager autem eſt mundus*. Quapropter præfato hoc ſuo ſubterfugio nihil omnino proficiunt adverſarii, infantes enim ſunt in agro, quandoquidem per agrum intelligitur mundus; non ſunt triticum, ſunt igitur zizania, proindeque alliganda in faſciculos ad comburendum ex ipſius Chriſti Domini ſententia.

Similem legimus parabolam in eodem capite 13. Math. quam eodem nugamento fruſtra eludere conantur adverſarii; eſt enim in rem hanc maxime appoſita.

Digitized by Google

Iterum ſimile eſt regnum cœlorum, inquit Dominus, *ſagenæ miſſe in mare & ex omni genere piſcium congreganti, quam cum impleta eſſet educentes & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt. Sic erit in conſummatione ſæculi, exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium*.. Certe infantes aut juſti ſunt aut mali, citra impietatem inter juſtos annumerari non poſſunt: ergo ſunt mali proindeque mittentur in caminum ignis, ibique vera, torquebuntur ſenſus pœna, quæ profecto per fletum & ſtridorem dentium denotatur, niſi divinis teſtimoniis vim manifeſtam inferre velint adverſarii.

Eſt & alia parabola quæ legitur Math. 3. cap. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur*. At infantes cum peccato originali mortui, ſunt arbores quæ non faciunt fructum bonum; ergo excidentur & in ignem mittentur.

Inſigne vero eſt præ ceteris quod legitur Math. 25. ubi Chriſtus Dominus extremum & generale judicium deſcribens, nihil medium facit inter regnum cœlorum pro electis, & ignem æternum pro reprobis. *Cum autem venerit Filius hominis in majeſtate ſua & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis, & ſtatuet oves quidem a dextris ſuis, hædos autem a ſiniſtris. Tunc dicet Rex his qui a dextris ejus erunt, Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi .... Tunc dicet & his qui a ſiniſtris erunt, Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus ... Et ibunt hi in ſupplicium æternum, & juſti in vitam æternam*. Ex quibus patet omnes gentes in die judicii univerſalis ſecandas in duas partes, unam fore juſtorum ad dexteram, aliam peccatorum ad ſiniſtram: ergo parvulos ſolo peccato originali obſtrictos in alterutra eſſe neceſſe eſt, at non in dextra, non poſſidebunt regnum, neque enim ſunt benedicti Patris; non vitam æternam ſolis juſtis conceſſam: reſtat igitur ut ſint in ſiniſtra inter maledictos, qui in ignem æternum, quæ eſt pœna ſenſus, abituri ſunt.

Reſpondent adverſarii eo loci ita fieri mentionem generalis judicii, ut tamen deſcribatur ſolum forma qua judicabuntur qui ſunt in Eccleſia, adeoque iſtud non pertinere ad infantes non baptizatos: 1. inquit Bellarminus, quia ibi comparantur boni & mali ovibus & hœdis qui ad eundem gregem ejuſdem paſtoris pertinent; hunc autem gregem conſtat eſſe Eccleſiam. 2. Qui ſunt a ſiniſtris damnantur non quod rectam fidem non habuerint, ſed quod opera bona non exercuerint, *Eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare*. At certe parvuli non judicabuntur propter bona opera omiſſa, cum ſint rationis expertes. 3. Quia cum Evangelium ad ſolos fideles pertineat, non erat opus in Evangelio deſcribere formam qua judicabuntur infideles, ſed ſatis fuit dicere, *qui incredulus eſt Filio, non habebit vitam*. 4. demum, quia huic doctrinæ aſtipulatur S. Auguſtinus lib. contra Donatiſtas poſt. Collationem cap. 4. & lib. de fide & operibus cap. 15.

Sed iſta reſponſio ex omni parte mihi videtur ſupra modum vana & abſurda, ſiquidem omnes gentes diſertiſſime exprimuntur in hoc S. Matthæi teſtimonio, *& congregabuntur ante eum omnes gentes*, ſcilicet homines omnis temporis, omni conditionis, omnis ſexus, omnis ætatis. Certum eſt inſuper Chriſtum Dominum futurum omnium judicem abſque ulla exceptione, unde ſibi non conſtat Bellarminus cum fatetur judicium futurum univerſale, *cui omnes omnino aderunt: puſilli cum magnis, fideles cum infi-*

infidelibus, *juſti cum peccatoribus;* addit vero in illo cap. 25. S. Matthæi, *ſolum deſcribi formam*, *qua judicabuntur ii qui in Eccleſia ſunt*.

Ad primum autem Bellarmini momentum dico falſum eſſe, nullum alium dari gregem quam Eccleſiam: hic enim univerſus mundus intelligitur, ut aperte colligitur ex ipſo textu, *& congregabuntur coram eo omnes gentes*, *& ſeparabit eos ab invicem*, *ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis*. Ubi grex dicitur mundus, congregatio videlicet omnium gentium, cujus oves ſunt juſti, hœdi vero peccatores. Vel dici poteſt in eo ſolum ſtare hanc comparationem, quod in die ultimi judicii electos a reprobis ſeparabit Deus, quemadmodum paſtor ſeparat oves ab hœdis.

Ad ſecundum reſpondemus, Chriſtum his verbis, *Eſurivi enim & non dediſtis &c.* unam ſpeciem pro toto genere poſuiſſe, ſicut in exemplis facere conſuevimus; neque enim omnibus etiam adultis qui damnabuntur, dicturus eſt, *Eſurivi & non dediſtis &c.* quemadmodum nec omnibus qui ſalvandi ſunt, dicturus eſt, *Eſurivi enim & dediſtis &c.* quocirca inde non ſequitur infantes huic omiſſionis peccato minime obnoxios, non fore propterea judicandos.

Nec plus virium eſt in tertio momento: Evangelium quippe eo ſenſu ad omnes homines pertinet, quod multas complectatur ſententias quæ omnes illos reſpiciunt, ut cum dicitur, *omnis homo mendax*, *omnes reſurgent*, *omnes in Adamo peccaverunt &c.* Certum eſt enim non ſolos fideles, ſed omnes alios homines eſſe mendaces, omnes in Adamo peccaſſe, omnes reſurrecturos.

Quod autem quarto loco addit Bellarminus huic doctrinæ favere S. Auguſtinum tam falſum eſt quam quod falſiſſimum, eſt enim luce meridiana clarius, ut mox oſtenſuri ſumus, ubique & conſtanter docuiſſe hunc ſanctum Doctorem infantes cum adultis in ignem æternum mittendos.

Reſpondent 2. adverſarii, tametſi infantes iſti collocandi ſint a ſiniſtris adeoque mittendi in ignem æternum, tamen id nonniſi de loco, qui forte communis erit adultis & parvulis, non de pœna & cruciatu ignis quem paſſuri ſint, intelligi debere.

Sed ita reſpondere, meo quidem judicio aperte jocari eſt de divinis litteris. 1. Quia Scriptura eo loci non diſtinguit inter iſtos infantes & adultos reprobos, ſed perinde de utriſque pronuntiat illos in ignem æternum ituros; aut igitur infantes in igne torquebuntur ut adulti; aut adulti ab illa pœna eximi poſſunt, ut & infantes; idem enim & par de utriſque judicium. 2. Quia in fine capitis legitur, *& ibunt hi in ſupplicium æternum:* quæ vox *ſupplicium*, non ſolum inferni locum deſignat, ſed & ipſam pœnam, ut per ſe patet, pœna enim & ſupplicium apud omnes, duæ ſunt voces ſynonymæ: qui Scripturam aliter voluerit interpretari, ſane poterit facile ad nutum quidlibet pervertere.

Atque hoc locupletiſſimum S. Matthæi teſtimonium aliis inſuper confirmari poteſt, in quibus clare aſſeritur infantes pœna ſenſus afficiendos, idem Evangeliſta jam dixerat cap. 13. *Sic erit in conſummatione ſæculi*, *exibunt Angeli*, *& ſeparabunt malos de medio juſtorum*, *& mittent eos in caminum ignis*, *ibi erit fletus & ſtridor dentium*. Qui quidem locus diſertiſſimus eſt, ut jam obſervavimus.

Denique Apocalypſeos cap. 20. ſic deſcribitur judicium generale. *Et vidi mortuos magnos & puſillo ſtantes in conſpectu throni*, *& libri aperti ſunt*, *& alius liber apertus eſt*, *qui eſt vitæ*, *& judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum*. *Et dedit mare mortuos qui in eo erant*, *& mors & infernus dederunt mortuos ſuos qui in ipſis erant*, *& judicatum eſt de ſingulis ſecundum opera ipſorum*.

Et

Digitized by Google

Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis, hæc eſt mors ſecunda. Et qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis. Jam quæro ex adverſariis, infantes qui ante ſuſceptum Baptiſma decedunt, eruntne in libro vitæ ſcripti? Solus Pelagianus id affirmabit, ergo mittentur in ſtagnum ignis.

Quod autem dicunt ibi ſermonem eſſe de ſolis adultis propter hæc verba, *& judicatum eſt de ſingulis ſecundum opera ipſorum*, manifeſte falſum revincitur ex ipſo textu; ait enim S. Joannes: *Et vidi mortuos magnos & puſillos.* Cum aliunde conſtet tunc congregandas omnes gentes, omnes judicandos bonos & malos, adultos & infantes, & ut ferunt verba Scripturæ, *magnos & puſillos*. Hi autem & ſua habent opera ſive bona quæ geſſerunt per alios quando per alios credunt, quando baptizantur; ſive mala, quia peccaverunt in Adamo, ut docet Sanctus Auguſtinus lib. *6.* contra Jul. c. 10. explicans hunc locum 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unusquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum ſive malum.*

Atque adeo clara & aperta ſunt hæc Scripturarum teſtimonia, ut meo quidem judicio, temeritatis nota inuri debeat nonnullorum ſententia, qui negarunt parvulos ſiſti debere in judicio generali, ibique ad dexteram vel ad ſiniſtram collocandos, cum præſertim id a Conciliis definitum fuerit, audacior vero illa quorumdam Theologorum opinio nonniſi vanis & futilibus fulciatur conjecturis.

Audiatur ſuper ea re S. Auguſtinus in Epiſt. *166.* cap. 8. ubi loquens de eorum opinione qui contendunt infantes ſine Baptiſmo decedentes non eſſe reſurrecturos, ſic eam perſtringit: *Hanc opinionem*, inquit, *nunquam audivi, nunquam legi. Sed plane audivi, & credidi propter quod & locutus ſum, (quia venit hora, quando omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus, & procedent qui bene fecerunt in reſurrectionem vitæ) ipſa eſt de qua dicitur (& per unum hominem reſurrectio mortuorum) ipſa eſt qua (in Chriſto omnes vificabuntur; qui autem male egerunt, in reſurrectionem judicii.)*

Probatur 2. ex perpetua & conſtanti veterum traditione.

Ac primo quidem in præſidium hujus doctrinæ merito proferre poſſumus eorum omnium autoritatem qui ab ipſis Apoſtolorum temporibus hominem agnoſcentes per peccatum originale, vita æterna privatum, a regno Dei excluſum, & pœnis æternis obnoxium; tum vero Baptiſmum non modo adultis, ſed & infantibus eſſe neceſſarium; quæ quidem in illorum ſcriptis frequentiſſime occurrunt, ut videre eſt initio hujuſce tractatus; conſequenter docuerunt infantes ſine Baptiſmo fato functos pœnis ſenſibilibus afficiendos, is quippe medius ſtatus parvulorum quo neque in cœleſti gloria collocentur, neque in igne comburantur, plane fictitius eſt & ante Pelagianos inauditus; quo fit ut eos omnes in noſtram ſententiam merito trahamus, qui dogmata de peccato originali, de pœnis æternis, de neceſſitate Baptiſmi ſcriptis ſuis conſignatur, hæc enim cum pœnis & cruciatibus parvulorum indivulſe cohærent.

Quænam vero ſuper ea re mens fuerit Scriptorum Eccleſiaſticorum qui tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis vixerunt, ſi verbis eorum expreſſiſſimis non ſatis pateat, quia hujus negotii de ſtatu parvulorum tractanti nondum data erat occaſio; id profecto ſine dubitatione tradunt qui poſt exortam Pelagianorum hæreſim cum illis hæreticis de infantium damnatione dimicarunt.

Proferimus primum autoritatem Sancti Auguſtini. Is non uno in loco docet infantes, ſi moriantur ſine baptiſmo,

mo, mortem æternam incurrere, l. 1. de peccat. mer. cap. 28. *Quæ cum ita ſint neminem unquam eorum qui ad Chriſtum acceſſerunt per Baptiſmum, ſana fides & ſana doctrina putavit exceptum a gratia remiſſionis peccatorum, nec eſſe poſſe alicui præter regnum ejus, æternam ſalutem. Hæc enim parata eſt revelari in tempore noviſſimo, hoc eſt in reſurrectione mortuorum, pertinentium non ad mortem æternam quæ ſecunda mors appellatur, ſed ad vitam æternam.* Lib. 3. contra Jul. cap. 1. *Qui ergo negatis*, inquit, *eſſe in parvulo malum quod Baptiſmate diluatur, dicite quo merito parvulus non baptizatus æterna morte plectatur?*

Atqui in doctrina S. Auguſtini mors æterna cruciatum æternum ignis complectitur, ut aperte colligitur ex lib. 13: de civit. Dei cap. 2. *Quamvis enim humana anima veraciter immortalis perhibeatur, habet tamen quandam etiam ipſa mortem ſuam ...... Mors igitur animæ fit, cum eam deſerit Deus, ſicut corporis cum id deſerit anima. Ergo utriuſque rei, id eſt, totius hominis mors eſt, cum anima a Deo deſerta deſerit corpus. Ita enim ex Deo vivit ipſa, nec corpus ex ipſa. Hujuſmodi autem totius hominis mortem illa ſequitur quam ſecundam mortem divinorum eloquiorum appellat autoritas. Hanc Salvator ſignificavit, ubi ait, Eum timete, qui habet poteſtatem & corpus & animam perdere in gehennam. Quod cum ante non fiat, quam cum anima corpori ſic fuerit copulata, ut nulla direptione ſeparentur; mirum videri poteſt, quomodo corpus ea morte dicatur occidi, qua non ab anima deſeritur, ſed animatum ſentienſque cruciatur.* Et paulo infra: *Verum in damnatione noviſſima quamvis homo ſentire non deſinat, tamen quia ſenſus ipſe nec voluptate ſuavis, nec quiete ſalubris, ſed dolore pœnalis eſt, non immerito mors eſt potius appellata quam vita.*

Item pœnam infantium non renatorum appellat paſſim idem ſanctus Doctor tormenta, ſupplicia, gehennam ignis, cruciatum, aliiſque ſimilibus vocabulis quæ pœnam ſenſibilem aperte ſignificant. Sic v. g. Epiſt. 205. n. 14. *Ergo iſtam commutationem in melius ſine dubitatione oportet intelligi, quia omnes & juſti & injuſti reſurrecturi ſunt, ſed ſicut Dominus in Evangelio loquitur: Qui bene fecerunt, in reſurrectionem vitæ; qui vero male egerunt, in reſurrectionem judicii, judicium appellans pœnam ſempiternam; ſicut alio loco, Qui non credit, inquit, jam judicatus eſt. Proinde illi qui ad judicium reſurrecturi ſunt, non commutabuntur in illam incorruptelam, quæ nec doloris corruptionem pati poteſt. Illa namque fidelium eſt atque ſanctorum: Iſti vero perpetua corruptione cruciabuntur, quia ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur.* Ibi porro & de parvulis loquitur S. Auguſtinus, agit enim de reſurrectione generali omnium juſtorum & injuſtorum.

Enchiridion cap. 26. *Hinc poſt peccatum exul effectus, ſtirpem quoque ſuam quam peccando in ſe tanquam in radice vitiaverat, pœna mortis & damnationis obſtrinxit, ut quicquid prolis ex illo & ſimul damnata per quam peccaverat conjuge, per carnalem concupiſcentiam, in qua inobedientiæ pœna ſimilis retributa eſt, naſceretur, traheret peccatum originale, quo traheretur per errores doloreſque diverſos ad illud extremum cum deſertoribus angelis viatoribus & poſſeſſoribus & conſortibus ſuis ſine fine ſupplicium.* Quo nomine *ſupplicii* utitur ſimiliter lib. 21. de Civit. Dei cap. 12. & 35. quemadmodum & nomine tormenti lib. 6. contra Jul. cap. 16. expreſſe vero lib. 5. cap. 10. *Et tamen quos ignibus æternis præſcivit arſuros creare non deſinit*, videtur ibi loqui de infantibus non renatis ob verba ſequentia, *Et quoſdam infantes etiam baptizatos, &c.*

Sed

Sed omnium illuſtriſſimum eſt teſtimonium ejusdem S. Auguſtini e ſermone 294. alias 14. de verbis Apoſtoli petitum, ubi ſic inſurgit in errorem Pelagianorum, ut & adverſariorum quoque ſententiam penitus conterat: *Primus hic error, inquit, averſandus ab auribus, extirpandus a mentibus, hoc novum in Eccleſia, prius inauditum eſt, eſſe vitam æternam præter regnum cœlorum, eſſe ſalutem æternam præter regnum Dei. Primo vide, frater, ne forte hinc nobis conſentire debeas, quisquis ad regnum Dei non pertinet, eum ad damnationem ſine dubio pertinere. Venturus Dominus & judicaturus de vivis & mortuis, ſicut Evangelium loquitur, duas partes facturus eſt dextram & ſiniſtram, ſiniſtris dicturus (Ite in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & angelis ejus); dextris dicturus (Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi) hac regnum nominat, hac cum diabolo damnationem. Nullus relictus eſt medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis & mortuis judicabitur: alii erunt ad dextram, alii ad ſiniſtram, non novi aliud. Qui inducis medium, recede de medio: non te offendat qui dextram quærit. Et te ipſum admoneo, recede de medio, ſed noli in ſiniſtram. Si ergo dextera erit & ſiniſtra, & nullum medium locum in Evangelio novimus, Ecce in dextera regnum cœlorum eſt; percipite, inquit, regnum; qui ibi non eſt, in ſiniſtra eſt. Quid erit in ſiniſtra? (Ite in ignem æternum) in dextra ad regnum utique æternum, in ſiniſtra in ignem æternum; qui non in dextra, procul dubio in ſiniſtra; ergo qui non in regno, procul dubio in igne æterno .... Extrema autem ſententia, ut doceret quid ſit regnum & quid ſit ignis æternus, tunc, inquit, abibunt iſti in ambuſtionem æternam.*

Hoc teſtimonio, quo nullum aliud luculentius hac in re operari poteſt, mirum in modum torquentur adverſarii; quo fit ut ad illius vim infringendam manifeſtas, ut ego quidem arbitror, abſurditates laborioſe congerant; 1. enim dicunt S. Auguſtinum loqui de peccatoribus univerſim; nuſpiam vero infantes deſignare. 2. Tametſi & ipſos infantes his complecteretur verbis, inde ſolum colligi poſſe eos cum adultis in infernum detrudendos, non autem eandem paſſuros pœnam. Addunt 3. hunc ſanctum Doctorem, quando de parvulis nominatim differit, pœnam eorum appellare mitiſſimam, ut patet ex Enchiridion cap. 93. quo ſane pacto minime locutus fuiſſet, ſi eos exiſtimaſſet pœnam ſenſus perpeſſuros.

Sed mirum eſt ejuſmodi nugamenta vel unico Theologo placuiſſe, neque enim vel minimam veri ſpeciem præ ſe ferunt.

Ad primum quod attinet, certum eſt S. Auguſtinum ibi de infantibus ut & de adultis verba facere, tum quia de iis omnibus loquitur qui reſurrecturi ſunt, quos nempe omnes & ſingulos in duas tantum diſtribuit partes; tum quia verbis immediate ſequentibus infantes nominatim appellat: *Ecce, inquit, expoſuit tibi quid ſit regnum & quid ſit ignis æternus, ut quando confiteris (parvulum) non futurum in regno, fatearis futurum in igne æterno.* Sic vero & in integro ſermone de infantibus manifeſte differit, ſane pudet me ejuſmodi objectionem refellere.

Nec plus virium habet quod ſecundo loco proferunt; non modo enim eundem infantibus atque adultis locum adſcribit ſanctus Doctor; ſed & eandem pœnam ſi non gradu, ſaltem genere, idem ignis nempe ſupplicium, quod ſatis ſignificant hæc Chriſti verba quæ uſurpat, *Ite in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & angelis ejus*. Quiſquis enim mitti dicitur in ignem, ſatis intelligitur igne torquendus, ut in alio loco, puta in lib. de fide & operibus,

ribus cap. 15. diſerte agnoſcit his verbis: *Neque illud dici hic poterit in quo nonnulli ſe ipſos ſeducunt, ignem æternum dictum, non ipſam pœnam æternam; per ignem quippe, qui æternus erit, tranſituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt ſalutem. Ut videlicet ipſe ignis æternus ſit, combuſtio vero eorum, id eſt, operatio ignis non ſit in eo æterna, cum & hoc prævidens Dominus tanquam Dominus ſententiam ſuam ita concluſerit dicens, (ſic ibunt illi in combuſtionem æternam: juſti autem in vitam æternam.) Erit ergo æterna combuſtio ſicut ignis, & eos in illam ituros Veritas dicit, quorum non fidem, ſed bona opera defuiſſe declaravit*. Tum vero & idem in hoc ipſo ſermone declarat, nimirum cap. 3. his verbis: *Extrema autem ſententia, ut doceret quid ſit ignis æternus; tunc, inquit, abibunt iſti in ambuſtionem æternam, juſti autem in vitam æternam*. Ubi quod dixerat Chriſtus Dominus, *ibunt in ignem æternum*, dixit Auguſtinus, *ibunt in ambuſtionem æternam*. Quæ vox, *ambuſtio*, ut per ſe patet, pœnam indicat. Unde capite ſequenti ejuſdem ſermonis hæc leguntur, in ſerie nimirum hujus diſputationis cum Pelagianis, *ut cum viderint ſe perdere ſpem regni, non viderent eſſe conſequentem niſi pœnam ignis æterni*. Et paulo poſt: *Non dixit, illi & illi, tales & tales, igni æterno torquebuntur*: Et cap. 6. *Videris enim tibi miſericors, quia non ei aufers vitam, damnas tamen quem ſeparas a regno cœlorum, damnas, non eum percutis, ſed in exilium mittis; nam & qui exulant, vivunt, ſi ſani ſunt, in doloribus corporis non ſunt, non torquentur, non carceris tenebris affliguntur*. Ubi ait ſatis non eſſe, ſi dicatur cum Pelagianis infantes non baptizatos ſeparari a regno cœlorum & in exilium mitti, ſiquidem affirmari debet eos percuti, in doloribus corporis eſſe, torqueri.

Denique quod addunt S. Auguſtinum pœnam parvulorum nonnumquam appellare mitiſſimam, ut inde conficiant in ejus mente nullam omnino ignis pœnam eos eſſe paſſuros; ſane ab omni ratione mihi videtur alienum: plane enim liquet nonnullam eſſe pœnam quando mitiſſima eſt pœna.

His accedit autoritas petita e libr. 5. *Hypognoſticon* aut *Hypomneſticon*, quem nonnulli putarunt eſſe Auguſtini, alii Sixti presbyteri Romani qui poſt Cœleſtinum ſedem Apoſtolicam occupavit, alii demum Martii Mercatoris; quiſquis vero tandem ille ſit, vetuſtiſſimus certe ſcriptor, ſic loquitur libri citati cap. 5. *Primum enim locum*, inquit, *fides catholicorum divina autoritate regnum credit eſſe cœlorum, unde, ut dixi, non baptizatus excipitur: ſecundum gehennam, ubi omnis apoſtata, vel a Chriſti fide alienus æterna ſupplicia experietur: tertium penitus ignoramus, immo nec eſſe in Scripturis ſanctis invenimus. Finge, Pelagiane, locum ex officina perverſi dogmatis tui, ubi alieni a Chriſti gratia vitam requiei & gloriæ poſſidere parvuli poſſint. Dextera eſt juſti ſedentis judicis & ſiniſtra, regnum eſt & gehenna, vita eſt & mors, juſti ſunt & iniqui. In dextera igitur juſti ſunt conſtituti, in ſiniſtra operarii iniquitatis; in regno requies baptizatorum, in gehenna pœna incredulorum: vita ad lætitiam gloriæ, mors ad fletum & ſtridorem dentium; juſti in regno Patris cum Chriſto, iniqui in igne æterno parato diabolo & angelis ejus. Sed hæc dicens, non diviſiones locorum multorum dedi, niſi duorum tantum: quoniam ad duo, regnum videlicet & gehennam hæc omnia referuntur, etiamſi plura dicantur. Dextera enim, vita, juſti, vel ſi, ut dixi, addamus, juſtitia, ſanctitas, beatitudo & cætera bona ad regni cœlorum requiem referuntur; ſiniſtra vero, id eſt, ii qui ſiniſtræ aſtabunt, iniqui, mors, injuſtitia, doloſitas, impietas, & quan-*

quantalibet mala ad gehennæ tormenta, ubi mors quæ ſecunda dicitur, non finitiva, ſed cruciatu durabilis erit. Ab Auguſtino ne latum unguem diſcedit antiquiſſimus iſte ſcriptor, iiſdemque verbis plane eandem tradidit doctrinam.

Atque non modo hæc privata fuit S. Auguſtini ſententia, ſed & eam ultro amplexa eſt univerſa Eccleſia Africana.

Idem primum colligitur ex eo quod hæc imprimis Eccleſia, Pelagianorum errores in variis conventibus & Conciliis anathemate perculit, eorum unus nominatim fuit quod dicerent, *pueros quoque parvulos, ſi nullius innoventur chriſtianæ gratiæ ſacramentis, habituros vitam æternam*, ut ſcribunt Patres Numidiæ Provinciæ in Epiſtola ad Innocentium I. quæ eſt inter Auguſtinianas 176. & quibus ſic reſcripſit Summus Pontifex: *Illud vero quod eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt*. Quod idem proſcriptum eſt in Concilio Carthaginenſi anno 418. contra Pelagianos celebrato: ſed in hac perverſa Pelagianorum ſententia non ſolum redarguebant Africani Patres, quod vitam quandam æternam extra regnum cœlorum parvulis non baptizatis aſſignarent, verum etiam quod in ejuſmodi vita pueros dicerent nullo cruciatu, nullo ſupplicio afficiendos; ſic enim argumentari liceat: Synodi Africanæ & ſummus Pontifex Innocentius illam vitam æternam negant parvulis ſine baptiſmo decedentibus, quam eiſdem tribuebant Pelagiani: ſed parvulis in peccato originali mortuis vitam æternam dabant Pelagiani, quæ ſita erat in excluſione cujuſcunque doloris & cruciatus, hoc potiſſimum fulti momento neminem ſub Deo juſto miſerum eſſe debere ſine peccato, quales putabant eſſe parvulos: igitur hæc certa fuit Patrum Africanorum & Innocentii I. ſententia parvulos ſine baptiſmo decedentes pœnis ſenſibilibus puniendos.

Secundo id ipſum clare intelligitur ex libro de Incarnatione & gratia apud S. Fulgentium, quod opus non modo Fulgentii, ſed & aliorum quatuordecim Epiſcoporum in Sardinia exulum, ut conſtat ex hoc ejus principio, *Dilectiſſimis & in Chriſti fide atque gratia plurimum amplectendis ſanctis fratribus Petro Diacono, Joanni, Leontio & alii Joanni, cæteriſque fratribus quos una vobiſcum in cauſa fidei Romam directos litteris intimaſtis, Datianus, Fortunatus, Boethus, Victor Scholaſticus, Orontius, Vindicamus, Victor, Januarius, Victorianus, Photinus, Quodvultdeus, Fulgentius, Felix, & Januarius in Domino ſalutem*. Sic vero loquuntur libri citati cap. 14. *Quæ juſtitia eſt ut imago Dei, quæ nihil potuit per ſe ipſam delinquere, ſi non redimatur ſanguine Filii Dei, in regnum Dei non permittatur intrare? Quo utique quiſquis non ingredietur, interminabilibus ignis æterni pœnis cruciabitur. Qua igitur juſtitia Deus juſtus infantibus ſine peccato naſcentibus ingerit pœnam in quibus pœnæ non invenit cauſam?* Et cap. 30. *Si ergo ad ſalvandos homines, ſicut iſti volunt, non excitat, neque mutat, ſed expectat hominum voluntates, quomodo infantibus qui baptizantur & in eadem infantia moriuntur, donat æternam ſalutem, quorum bonam nec expectat nec invenit voluntatem? Item alios quomodo ſine baptiſmate mortuos æternis cruciatibus damnat, cum in eis nullam culpam malæ voluntatis inveniat? Nonne iſtos inimicos gratiæ Dei nec defenſores humani, ſed deceptores arbitrii, ad hoc ſua perverſitas cogit, ut Deum putent iniquum in obitu omnium parvulorum, ubi nulla interveniente vel bonitate vel malitia voluntatis, alios vident potiri regno, alios interminabili deputatos incendio?*

Ex quibus abunde intelligitur cum Augu-

Auguſtino alios omnes Eccleſiæ Africanæ Præſules conſtanter docuiſſe infantes ſine Baptiſmo defunctos in inferis puniri pœna ſenſus.

Quin & idem tanquam fidei dogma credendum propoſuit Fulgentius iam laudatus in libro de fide ad Petrum, ubi hæc ſcribit cap. 27. *Firmiſſime tene & nullatenus dubites non ſolum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui ſive in uteris matrum vivere incipiunt & ibi moriuntur, ſive jam de matribus nati ſine Sacramento ſancti Baptiſmatis, quod datur in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, de hoc ſæculo tranſeunt, ignis æterni ſempiterno ſupplicio puniendos; quia etſi peccatum propriæ actionis nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione & nativitate traxerunt.* Unum eſt illud capitulum ex iis quadraginta, quæ cum recenſuiſſet, his verbis commendat cap. 44. *Hæc quadraginta capitula ad regulam veræ fidei firmiſſime pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende. Et ſi quem contraria his dogmatizare cognoveris, tanquam peſtem fuge, & tanquam hæreticum abjice.*

Idem Fulgentius lib. 1. de veritate prædeſt. & Grat. cap. 12. hæc habet: *Nulla igitur eſt cauſa diverſitas in infantibus, qua faciat unum eligi, alterum reprobari. Si vero parentum conſideretur voluntas, illi qui Chriſtiani ſunt, ut eorum filius baptizaretur ſollicite voluerunt, inſtantiſſime cucurrerunt, quorum tamen filius antequam baptizaretur, morte præventus, æternis eſt ignibus deputatus.* Et cap. 14. *Cauſa vero majorum atque parvulorum qui ſine baptiſmate curſum vitæ præſentis in infidelitate conſummant, quantum attinet ad communionem originalis peccati, una eſt; & ex hac utrique ibunt in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & angelis ejus, quia in eis chirographum, quo ſibi eos deceptoris nequitia ſubdidit, Salvatoris gratia non delevit. Sed in eo eſt majorum cauſa deterior, quia rationis utendæ facultate percepta reſpuunt aut negligunt regenerationis ſalutare remedium, ſine quo non ſolum regno potiri nequibunt, quin etiam gravioribus ſuppliciis ſubjacebunt. Tales enim contemnentes benignitatem Dei ſecundum duritiam ſuam, & impœnitens cor theſaurizant ſibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ſua; ut non ſolum pro originali peccato æternis ignibus ardeant, quibus arſuri ſunt ſine baptiſmate morientes etiam parvuli, qui nihil boni aut mali egerunt.* Sane hæc apertiſſima ſunt & nullo egent interprete.

Probatur inſuper hæc eadem doctrina ex eo quod illam firmo ſtabilique conſenſu tradiderunt nonulli SS. Patres aliique graviſſimi Scriptores Eccleſiaſtici.

S. Hieronymus in fine Dialogi tertii adverſus Pelagianos cap. 6. ſic Pelagianum ſub nomine Critobuli loquentem inducit: *Non poſſum ultra differre, omnis vincitur patientia veſtrorum iniquitate verborum; Oro te, quid infantuli peccavere? Nec conſcientia eis delicti imputari poteſt, nec ignorantia, qui juxta Jonam Prophetam manum dexteram neſciunt & ſiniſtram. Peccare non poſſunt & poſſunt perire, genua labant, vagitus verba non explicant, balbutiens lingua non ridetur, & æternæ miſeriæ cruciatus miſeris præparantur.* Ecce Pelagianus crimini vertit Catholicis, quod infantibus non baptizatis æternæ miſeriæ cruciatus præparent; quid vero tum reponit Hieronymus? an forte negat iſtud nimium crudele ex doctrina peccati originalis conſequi? An ejuſmodi doctrinam paululum emollire vel mitigare conatur? Minime gentium, quin potius pergit firmiſſimis argumentis oſtendere *omnes homines aut antiqui propagatoris Adam, aut ſuo nomine teneri peccato obnoxios*, idque & auctoritate Apoſtoli, cujus laudat caput quintum Epiſtolæ ad Romanos, & auc-

ctoritate Sancti Cypriani cujus deſcribit Epiſtolam ad Fidum, imprimis vero ex libris de peccatorum meritis quos dudum conſcripſerat S. Auguſtinus de infantibus baptizandis adverſus Pelagianos; quo fit ut non aliud ab ipſo Auguſtino de infantium damnatorum pœna ſenſiſſe cenſeri debeat Hieronymus.

Simillimum eſt quod ſcribit Gelaſius Papa in Epiſtola per Picenum contra Senecam Pelagianum miſſam, puram enim putamque S. Auguſtini doctrinam exhibet. *Nihil eſt ergo*, inquit, *quid dicant quod non renati infantes tantummodo in regnum cœlorum ire non valeant, non autem perpetua damnatione puniantur*. Ubi cum docet ſummus Pontifex præter exclusionem a regno cœlorum quæ pœna damni eſt, parvulos inſuper perpetua damnatione puniri; dubio procul arbitratur eos pœnæ ignis ſenſibili mancipatos; addit Gelaſius, *tollant ergo de medio neſcio quem ipſi tertium quem decipiendis parvulis faciunt locum. Et quia nonniſi dexteram partem legimus & ſiniſtram, non illos faciant in ſiniſtra regione ſine baptiſmate permanere, ſed baptizatos ſinant ad dexteram ſalutarem ſacra regeneratione transferri*. Sunt iſta ad mentem S.Auguſtini accipienda, quaſi contendat adverſus Pelagianos pueros ſine baptiſmate mortuos in inferos detrudi, ubi pœnam ignis patiantur.

Et Sanctus Proſper qui in Pſal. 128. in univerſum pronuntiat, *quia igni deputabitur, quicquid carebit ſubſtantia charitatis*.

Idem docet S. Avitus Viennenſis Præſul doctiſſimus, qui an. 500. floruit in Galliis, in carmine ſcilicet ad Fuſcinam ſororem dato num. 190.

Omnibus his illud gravius, ſi forte carentem
Cœleſti lavacro tenerum mors invida natum
Præripiat, dura generatum ſorte gehennæ,
Quique genitricis cum ceſſat filius eſſe,
Perditionis erit: triſtes tunc edita nolunt
Quæ flammis tantum genuerunt membra parentes.

Tum vero S. Gregorius M. lib. 9. Moral. cap. 12. in iſta Job, *& multiplicabit vulnera mea etiam ſine cauſa*, hæc ſcribit: *Nonnulli etenim prius a præſenti luce ſubtrahuntur, quam ad proferenda bona malave merita activæ vitæ perveniant. Quos quia a culpa originis ſacramenta ſalutis non liberant, & hic ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perveniunt. Quibus unum vulnus eſt, corruptibiliter naſci, aliud carnaliter emori. Sed quia poſt mortem quoque æterna mors ſequitur, occulto eis juſtoque judicio etiam ſine cauſa vulnera multiplicantur; perpetua quippe tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt*. Et poſtea: *Diſtrictus Judex qua eos animadverſione trucidat, quos culpa propriæ actionis damnat, ſi & illos in æternum percutit, quos reatus arbitrii non addicit?*

S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 1. Sent. cap. 22. *pro ſolo*, inquit, *peccato originali reatu luunt in inferno nuper nati infantuli pœnas*. Et lib. 2. differ. ſpir. num. 26. *Illud tamen tenendum eſt parvulorum animas nexu peccati originalis eſſe aſtrictas, quæ niſi percipiant baptiſmatis ſacramentum, regni cœleſtis participes eſſe non poſſunt; ſed cum carne commune habebunt peccatum, & pari judicio damnabuntur in ignem æternum*.

Nono ſæculo in Joannem Scotum Erigenam cujus hæc erat ſententia, *quod in magno æterni ignis ardore, nihil aliud eſſet pœnalis miſeria, quam beatæ felicitatis abſentia*, ſic inſurgit Prudentius Tricaſſinus libro de Prædeſtinat. cap. 16. pag. 440. *Hæc eſt*, inquit, *incunctanter juſtitia, qua natura ſumme ſempiterneque bona & juſta punit naturam ſuperbientem, ſuique factoris imperium contumaciter tranſgredientem, quæ punitio bifariam dividitur, & nunc in abſen-*

abſolutione anima a ſuo corpore comparata hujus primæ prævaricationis merito, *quod ab ipſa radice in omne poſteritatis ejus genus transfuſum atque innatum eſt*, *& poſtmodum in gehenna*, *quæ tam hujus quam aliorum multiplicitate criminum libidinoſa perverſitate contractorum acquiſita eſt*, *dicente Salomone* (*Eccleſ.* 12.) *Et cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato ſive bonum ſive malum ſit* ... *Nam ſi non impii in eo puniendi ſunt*, *qua ratione judicium agitandum ſit prorſus ignoro*. *An propter juſtos tantum*, *ut præmia recipiant quæ merentur*? *Quis hoc vel demens dixerit*? *Omnes paginæ divinorum eloquiorum ad hoc diem judicii præſtitutum prædicant*, (*ut in eo recipiat unuſquiſque*) *tam juſtus videlicet quam injuſtus* (*prout geſſit ſive bonum ſive malum*.) *Et hæc eſt fides catholica*, *quia vera atque ſincera*. *Quia ergo certum eſt futurum eſſe judicium*, *& in eo retribui unicuique tam pio quam impio quod meretur*, *nihilominus certum eſt ſicut bonos affici præmiis*, *ita malos addici tormentis*. Eo loci agnoſcit ſanctiſſimus juxta ac doctiſſimus Præſul in pœnam primæ prævaricationis omne humanum genus gehennam acquiſiviſſe, tum vero omnibus & ſingulis præſtitutum eſſe diem judicii, in quo boni afficientur præmiis & mali addicentur tormentis; quid certius ad rem noſtram, quid clarius ſcribere potuit?

His adde quæ ibidem ſubjungit pag. 475. adverſus eundem Erigenam dicentem, *non eſſe alia inſtrumenta torquendæ impietatis*, *præter illam ipſam impietatem*. Sic enim habet: *Verum hæc dicens excludere conaris etiam pœnam ignis æterni*, *in quo ſi nullus ardebit*, *ad quid præparatus diabolo & angelis ejus*, *impiiſque hominibus a Deo fuerit*, *vel ad quid in eum mittendi ſunt*, *prorſus neſcire me fateor*. Et paulo poſt: *Vel certe quia pœnæ perpetuæ & animabus & corporibus pariter infliguntur*, *ſint peccata etiam pœnæ animarum*, *ut eorum jugi recordatione caſſaque pœnitudine torqueantur*: *ita ut a corporibus ignis æterni combuſtio nullatenus avellatur*. Ubi ait Prudentius eos omnes qui mittentur in ignem præparatum diabolo & Angelis ejus, in eodem igne torquendos, & a corporibus ignis æterni combuſtionem nunquam avellendam; ſed, ut conſtat ex loco ſupra citato, exiſtimavit infantes non baptizatos judicandos fore cum cæteris in tremendo illo judicii ultimi die, adeoque mittendos in ignem æternum; neque enim cum benedictis percipient regnum Dei: ergo cenſuit illos infantes in igne vere comburendos, quod quidem ab univerſa Eccleſia Gallicana tunc fuiſſe creditum merito ſuſpicari poſſumus; omnes quippe ut clariſſimus iſte Præſul ſummo cum ſtudio B. Auguſtini placita venerabantur.

Ex Anglia & tanquam Angelorum doctrinæ teſtem locupletiſſimum proferimus S. Anſelmum, qui libro de Conceptu Virginis & peccato orig. c. 23. hæc ſcribit: *Sed cum nemo dubitet*, *quia par pœna non ſequatur imparia peccata*; *in hoc tamen ſimilis eſt & perſonalis & originalis peccati damnatio*, *quia nullus admittitur ad regnum Dei ad quod factus eſt homo*, *niſi per mortem Chriſti*, *ſine qua non redditur quod pro Adæ peccato debetur*; *quamvis non omnes pariter in inferno torqueri mereantur*. *Nam poſt diem judicii nullus erit Angelus aut homo*, *niſi aut in regno Dei aut in inferno*. Ubi Anſelmus id ſolum diſcriminis affert inter damnationem infantium & adultorum, quod par non erit pœna, cum imparia ſint illorum peccata; ita ut tamen utrique omnes ſint in inferno, ibique torqueantur.

His aſtipulatur S. Aelredus qui ſæculo XII. floruit, ſic enim loquitur in lib. 1. Speculi charitatis cap. 15. ubi cum ſibi objeciſſet, *parvulos quæ ratio addicit damnationi*, *quos nec creatio malos*, *nec propria voluntas fecit injuſtos*, reſpondet, *quid enim*? *Injuſtum æſtimas*, *ut*

Digitized by Google

ut lignum inutile & infructuoſum ignis depaſcat? cogita quæſo totum humanum genus quaſi lignum aridum, lignum infructuoſum, lignum in ipſa radice vitiatum, utpote veneno antiqui ſerpentis infiſciatum, juſtiſſime addictum flammis, igni deſtinatum, adjudicatum damnationi. Quid ergo? Ingratum te præbes o lignum inutile, quod quidam ramuſculi a tua præmortua præciſi radice eripiuntur incendio, quatenus ſtipiti cuidam fructuoſo inſerti priſtinę libertati donentur.

Has porro auctoritates cum in ſimili prope caſu adduxiſſet Eminentiſſimus Cardinalis Noriſius, quis poſtea fuerit contrariæ opinionis progreſſus, quam ſcite tam eleganter deſcribit in Vindiciis Auguſtinianis cap. 3. §. 5. *Hęc itaque*, inquit, *antiquę Eccleſię ac ſanctis Patribus de infantium pœnis ſententia ſtetit, donec poſt ducenteſimum ſupra milleſimum annum chriſtianę epochę novę opiniones a Scholaſticis procuſę ſunt. Qui ſi in Patrum voluminibus tantum ſtudii ac laboris poſſuiſſent, quantum Ariſtoteli explicando impendere, profecto S. Auguſtini ſententiam non obduxiſſent, neque eorum plerique Pelagianorum opinionem, quod naturalem illam puerorum beatitatem attinet, hominum mentibus tam alte infixiſſent. Verum tanta fuit vis veritatis, ac tantum Auguſtini auctoritas valuit, ut plerique etiam Scholaſticorum pedibus in Auguſtini ſententiam ierunt. Primus fuit Gregorius Ariminenſis ſubtiliſſimus antiquæ Pariſienſis ſcholæ Doctor, qui pœnas ſenſibiles infantium acerrime ſuſtinuit in 2. ſent. diſt. 30. q. 3. Albertus etiam Magnus in ſumma tract. 18. probabilem Auguſtini ſententiam fatetur, uti etiam Polmanus Doctor Duacenſis in calce Breviarii Theologici nu. 469. Conſentiunt Sonius tractatu de extremo judicio cap. 6. & 7. Driedo lib. 1. de grat. & liber. arbitr. tract. 3. cap. 2. part. 1. Ex Auguſtiniana familia præter Gregorium fuſe eandem tuentur Auguſtinus Muſæus in Apologetico ad Paulum III. Alipius Reylof. Belga lib. 8. de anima ad mentem S. Patris Auguſtini cap. 2. §. 13. Michael Paludanus inſignis Doctor Lovanienſis in Epiſt. ad Contium Archiepiſcopum Thuamenſem. Denique Carolus Moreau Gallus tom. 1. ſui Tertulliani part. 2. pag. 89. ubi ait: Attendant & hi qui ſolam pœnam damni in eis admittunt ſe ab antiquo Eccleſiæ & Patrum ſenſu eſſe remotiſſimos. Item Alphonſus a Caſtro inſignis Theologus in libro adverſus hæreſ.* Verſic. *Baptiſmus, ait pueros originali infectos eſſe gehennæ obnoxios. Mathias Hauzerus idem docet tom. 2. Antoniæ Auguſtinianæ pag. 764. Joan. Poncius Hibernus diſput. 18. curſus Theologici tota quæſt. 6. & in comm. in 2. ſent. Scoti diſt. 33. Pater Macedo lib. 4. de clavibus cap. 18. contr. de peccato orig. ſect. 3. quorum omnium ſtudia vicit Florentius Conrius Archiep. Thuamenſis integro pro S. Auguſtini aſſertione volumine evulgato.* Addere poterat Eminentiſſimus Cardinalis Eſtium & Sylvium nobiles Duacenæ Academiæ Theologos, Doctiſſimum Petavium e Societate Jeſu Presbyterum, & quoſdam alios recentiores. Quibus adde hanc dubio procul fuiſſe doctrinam Concilii Florentini in definitione fidei ſic loquentis. *Illorum autem animas qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.*

Probatur denique rationibus Theologicis.

Prima quidem ex eo petitur quod ſententia adverſariorum nullo plane nititur fundamento; neque enim ullum eſt in divinis litteris, neque apud SS. Patres teſtimonium, quo mitior illa opinio de ſtatu parvulorum ſtabiliri poſſit; ubique Scripturæ & Patres prædicant omnes & ſingulos homines in ultima die judicandos; ita ut prædeſtinati ſint a dextris, & percipiant regnum cœlorum, reprobi vero ſint a ſiniſtris & mittantur in ignem æternum; quod

autem,

Digitized by Google

autem, ut dicunt adverſarii, hæc definitiva ſententia non pertineat ad infantes, tertius vero quidam pro iis futurus ſit ſtatus in quo ſeparentur a Deo, vel etiam collocentur in æterno igne, neque tamen minimam inde patiantur ſenſus pœnam, ſane id videtur præ nimia & intemperantiori miſericordia inventum ſine ullo plane fundamento. Quin potius ejuſmodi opinio vim infert non levem catholico dogmati de infantium damnatione; hæc quippe, ut ſupra oſtendimus ex Scripturis, peragetur in igne, in ſtagno ignis, quo fit ut affirmare cogantur adverſarii, aut ignem in ejuſmodi locis accipiendum metaphorice, aut infantes mittendos quidem in ignem æternum, ſed in eo non comburendos, in quo, inquit S. Auguſtinus ſupra citatus, *nonnulli ſe ipſos ſeducunt, ignem æternum dictum, non ipſam pœnam æternam*, & maximam certe vim inferunt doctrinæ catholicæ de parvulorum damnatione: igitur.

Secunda ratio eſt: illa ſententia propugnari non debet, quæ recte perpenſa redit tandem ad illum Pelagianorum errorem, quo parvulos non renatos docebant vitam æternam eſſe habituros: atqui cum iſto Pelagianorum errore coincidit manifeſte adverſariorum ſententia: nam ad hoc ſatis eſt quod infantes non baptizati æternam habeant vitam in eorum ſententia: atqui infantes non baptizati æternam haberent vitam in eorum ſententia, ſaltem ad ſenſum Pelagianorum quem tanquam fictitium atque erroneum cum tota Eccleſia fortiter impugnavit S. Auguſtinus. Et ratio eſt quia in iſta mitiori Theologorum opinione, parvuli plectentur ſolum pœna damni, ut ajunt, quæ nimirum ſita eſt in excluſione a regno cœlorum & privatione viſionis intuitivæ Dei; neque plectentur pœna ſenſus, hoc eſt, nullam ignis pœnam experturi ſunt: atqui veriſſimum eſt nihil unquam aliud docuiſſe Pelagianos in ſuo damnoſo ſyſtemate; fatebantur ſcilicet infantes ſine baptiſmo defunctos excludi a regno cœlorum, juxta hæc Chriſti verba Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt intrare in regnum cœlorum*. Adeoque privari viſione intuitiva Dei.

At, inquiunt adverſarii, dicebant Pelagiani infantes vitam æternam eſſe conſecuturos, in quo turpiſſime errabant; nos vero contendimus illos morti æternæ addictos, cum extra regnum cœlorum conſiſtere non poſſit vita æterna.

Sic vero ego ſubſumo, & hoc Pelagianorum commentum id ipſum eſt in rei veritate quod admittitur in iſta ſententia; nam ad hoc ſatis eſt quod Pelagiani nihil aliud intellexerint per illam vitam æternam, quam immunitatem ab omni pœna ſenſus, ab omni tormento ſenſibili: atqui Pelagiani per illam vitam æternam qua quidem gaudere parvulos ſine baptiſmo decedentes contendebant, nihil aliud intellexerunt, quam immunitatem ab omni pœna ſenſus, ſi nempe eorum mentem recte capiebat S. Auguſtinus, quod certe in dubium revocari poteſt a nemine; namque ſanctiſſimus Doctor ubique vult oſtendere contra præfatos hæreticos parvulis non eſſe tribuendam ejuſmodi vitam æternam, hoc ſemper utitur argumento, quod infantes certiſſime ibunt in combuſtionem æternam, ut facile videre eſt in teſtimoniis S. Auguſtini ſuperius relatis, præſertim vero ſermone 294. ex quo manifeſtum eſt & luce meridiana clarius, per illam infantium vitam æternam nihil aliud intellexiſſe Pelagianos, quam certam quandam quietem qua fruebantur ab omni pœna ſenſibili plane immunes.

Idque inſuper colligitur ex ea ratione quam afferebant illi Hæretici, ut ſuum ſyſtema confirmarent; nimirum putabant injuſtum fore Deum ſi puniret innocentes aliqua reali pœna, & ſatis eſſe

ſi eos

ſi eos a ſuo regno expellat, ſic, inquam, ratiocinantur apud S. Auguſtinum in ſermone 294. mox citato. *Cum enim dicunt*, inquit, *non eſſe baptizandos ſalutis & vitæ æternæ percipiendæ cauſa, ſed tantummodo regni cælorum & regni Dei, baptizandos quidem fatentur, non vero propter vitam æternam, ſed propter regnum cælorum. Quid de vita æterna? Habebunt, inquiunt. Quare habebunt? Quia nullum peccatum habent, & ad nullam damnationem pertinere non poſſunt.* Scilicet in eorum mente vita æterna infantium in eo præciſe poſita erat, quod nulla pœna ſenſibili puniantur, quos nempe nullum putabant habere peccatum; ita ut ab illis non amoverent damnationem, quæ nunc in ſcholis dicitur pœna damni ſita in privatione viſionis Dei; quæ ſane ipſiſſima eſt adverſariorum opinio.

Tertia ratio hæc eſt. Peccatum originale plectitur in hoc ſæculo pœna ſenſus: infantes enim innumeris ſubjiciuntur miſeriis, quæ totidem ſunt peccati originalis effectus & pœnæ: nil vetat igitur quominus in futuro ſæculo puniantur quoque pœna ſenſibili; aut ſaltem vana prorſus & futilis eſt adverſariorum ratio, quæ tamen ſumma videtur in eorum ſyſtemate, qua videlicet contendunt, ideo nullam ſenſus pœnam paſſuros infantes, quia pœnas ſenſibilis reſpondet illiciæ ſenſus delectationi, juxta illud Apocal. 18. *quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

Quarta ratio: Parvuli prædeſtinati in alia vita fruerentur bonis corporis, quæ dotes beatorum appellari ſolent; quidni ergo infantes reprobi pœnis ſenſibilibus corporis afficientur? Eſt iſta ratio S. Auguſtini lib. 6. contr. Julian. cap. 10. *Vide ergo*, inquit, *quam importune nolis, parvulum de alieno peccato reportare malum, & velis eum de alieno recte facto reportare bonum, non qualecunque ſed Dei regnum: alienum quippe opus eſt, cum credit per alterum, ſicut alienum opus fuit, cum peccavit in altero.*

Quinta demum hæc eſt: parvuli non renati corpora habebunt paſſibilia poſt diem judicii, neque ut Sancti donabuntur impaſſibilitate; ut non obſcure docet S. Auguſtinus Enchir. cap. 92. & 93. quidni ergo paſſuri ſunt ſecundum corpus? Adde & in iiſdem infantibus ſuperſtitem fore concupiſcentiam quæ in his commovebit deſideria rerum quas conſequi non poterunt, unde propriis deſideriis cruciabuntur; item quia erunt in loco tenebroſo, ubi ſempiternus horror inhabitat; inſuper ſumma erit eorum triſtitia, quod a regno cœlorum expulſi viſione Dei beatifica æternum privabuntur; hæc nimirum ſine manifeſta temeritatis nota negari non poſſunt, aliter enim ad nullam damnationem pertinerent infantes reprobi; cur ergo qui tot doloribus & pœnis premuntur ob ſolum peccatum originale, a pœna ſenſus præfatis doloribus longe leviori immunes dicuntur? Sunt & aliæ hujusmodi rationes quibus hanc noſtram ſententiam firmant plerique Theologi, ſed eas conſulto prætermittimus, quia, ut ego quidem arbitror, ſatius eſt in hac materia cauſam ex autoritate, quam ex ratiocinio finire.

Solvuntur objectiones.

Objicies: Job cap. 3. præſenti vitæ ſuæ maledicens ſic loquitur: *Nunc dormiens ſilerem & ſomno meo requieſcerem*, ſi nempe ſtatim a nativitate periiſſem: ergo putavit iſte Patriarcha infantibus ſolo peccato originali pollutis dari quandam quietem & felicitatem.

Reſpondeo manifeſtum eſſe Job eo loci verba facere de quiete & immunitate a miſeriis hujus vitæ; totus eſt enim hoc in capite ut oſtendat innumeras eſſe & graviſſimas vitæ hujus miſerias, eumque felicem qui hac luce ſtatim privatur. Adde hoc argumento nimi-

nimium quid probare adverſarios; inde enim ſequeretur infantes nullam omnino pœnam ſubire, nullum animi dolorem, nullam triſtitiam, nullam perturbationem.

Objicies: Iſaiæ ultimo & Marci nono cap. ignis cum verme conjungitur, *vermis eorum non morietur & ignis non extinguetur*. Sed parvuli nullam ſenſus pœnam experiuntur ex morſu vermis, hoc eſt, ex conſcientia mali operis animum ſolummodo pungente: ergo neque ex igne.

Nego conſequens: in his enim Scripturæ teſtimoniis duo pœnarum genera pro reprobis deſcribuntur, unum quod erit animi, alterum quod erit corporis; ſed nequaquam ſequitur parvulos pœnam ſenſus ex igne non ſubituros, quia nullam ſentient ex verme, ibi enim nulla conſequentia. Adde ſimiliter nimis probari ex illo argumento; ſequeretur enim nec pœna ſenſibili per ignem caſtigandos eſſe adultos; ſiquidem in corpore ſuo nullum patientur dolorem ex morſu vermis.

Objicies: Math. 25. ubi ſolemnis legitur magni judicii deſcriptio, ii ſoli mittuntur in ignem æternum qui opera miſericordiæ non fecerant: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus: eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi potum*. Atqui talis culpa non cadit in infantes: ergo ſoli adulti mittentur in ignem.

Diſt. min. ſi Chriſti Domini verba ſumantur ſtricte, C. ſi paulo latius, quomodo accipi debent, N. ſcilicet qua ratione ex iſto Chriſti teſtimonio colligi non debet ex ſolis operibus miſericordiæ quæ ibi commemorantur, judicandos eſſe homines, quia ſub iiſdem operibus quælibet alia comprehenduntur opera; eadem ratione ſequitur hæc Chriſti verba ad ſolos adultos non eſſe reſtringenda, præſertim cum univerſim pronuntietur eos omnes mitti in ignem æternum qui ſunt a ſiniſtris, qui non ſunt de numero electorum, qui non intrabunt in regnum cœlorum, certumque ſit aliunde infantes ſine baptiſmo defunctos fore a ſiniſtris, e numero reproborum, nec unquam Dei regnum percepturos.

Objicies: Apocalypſ. cap. 18. 7. hæc leguntur, *quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*: atqui parvuli non ſe glorificaverunt, non fuerunt in deliciis; ergo nullum patientur tormentum.

Reſpondeo his verbis, quæ tamen in opinionis ſuæ firmamentum ſummo cum ſtudio extollunt adverſarii, id unum ſignificari majora fore damnatorum ſupplicia pro menſura deliciarum in quibus verſati fuerint, quod utique veriſſimum eſſe libenter confitemur. Inſuper vero reſponderi poteſt parvulos fuiſſe in deliciis aliena voluntate, his quippe deliciis eo loci ſignificantur ſingula quæque hominum peccata; eſt autem uſitatum apud Theologos ut dicantur infantes peccaſſe aliena voluntate. Quibus adde, ſi ex iſto Apocalypſeos teſtimonio inferre liceat, nullo tormento afficiendos infantes, quia non fuerunt in deliciis, hinc manifeſte conſequi eos nullum plane dolorem, nullam triſtitiam ſenſuros, tum ex jactura regni cœlorum, tum ex carentia viſionis intuitivæ Dei, tum ex eo quod ſub dæmonis captivitate in loco horrido æternum manſuri ſunt, quod quidem ſine manifeſta temeritate dici non poteſt.

Objicies: S. Gregorius Nazianzenus orat. 40. quæ eſt *in ſanctum Baptiſma*, diſerte affirmat parvulos ſine baptiſmo morientes pœna ſenſus non mulctari; ſic enim habet pag. 653. loquens de iis qui propter infantiam baptiſma accipere non potuerunt: *Futurum exiſtimo ut poſtremi, nec cœleſti gloria, nec ſuppliciis a juſto judice afficiantur*. Ergo.

Diſt. ant. ut nec ſuppliciis a juſto judi-

Digitized by Google

judice afficiantur, debitis ſcilicet propter baptiſmum minime ſuſceptum, C. propter peccatum originale, N. primo quidem nihil eſt quod in iſta controverſia nobis objiciatur hic Nazianzeni locus; tum quia ibi non agitur de ſolis infantibus, ſed etiam de adultis; tum quia non modo pœna ſenſus, ſed & quodvis aliud ſupplicium excluditur, quod nec ipſi volunt adverſarii.

At vero id unum eo loci docet S. Gregorius, futurum ut homines, qui baptiſmum accipere non potuerunt, nullo afficiantur ſupplicio, debito nempe ex eo quod ex culpa ſua baptizati non ſunt, cujus reſponſionis veritas abunde capietur ſi locum integrum hic exſcribamus: *eodem modo*, inquit, *in his qui baptiſmum non aſſequuntur, res ſe habet. Alii enim pecudum omnino vel ferarum vitam imitantur, prout vel amentia vel animi pravitate laborant; qui ſcilicet ad cætera mala hoc quoque adjunxerunt ut nec baptiſmum ipſum, ut opinor, magnopere venerentur, eoque animo ſint, ut ſiquidem detur, eum non gravatim accipiant; ſi non detur, ſuſque deque ferant. Alii donum quidem agnoſcunt atque honore proſequuntur, verum moras producunt, partim ob ignaviam, partim ob inexpiabilem peccandi libidinem. Alii ne accipere quidem poſſunt, vel propter infantiam fortaſſe, vel propter inopinatum prorſus & violentum aliquem caſum, quo efficitur ut ne cupientibus quidem gratia potiri liceat.* Ecce tertium hominum genus, de quo nunc quæſtio eſt, & quod, ut manifeſte patet, non reſtringit Gregorius ad ſolos infantes, quid vero de iis pronuntiat? *Futurum exiſtimo ut nec cœleſti gloria nec ſuppliciis a juſto judice afficiantur*, ſuppliciis nempe debitis propter ſpretum vel neglectum baptiſma, quæ culpa fuit aliorum primi & ſecundi generis: addit enim verbis immediate ſequentibus, *utpote qui licet ſignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam paſſi potius fuerint, quam fecerint*. Qui paulo ante de aliis pronunciaverat, *ac futurum exiſtimo, ut primi quidem, cum aliorum ſcelerum, tum etiam baptiſmi contempti pœnas luant: alii autem pœnas quidem, leviores tamen pendant, ut qui non tam animi pravitate quam ſtultitia a baptiſmo aberrarint, poſtremi denique &c.* Hæc fuſiori non egent explicatione.

Objicies: S. Gregorius Niſſenus oratione *de iis qui præmature abripiuntur*, hæc ſcribit in fine: *Nam immatura mors infantium neque in doloribus ac mœſtitia eſſe eum qui ſic vivere deſiit, intelligendum eſſe nobis ſuggerit*. Ergo exiſtimavit infantes ſine baptiſmo defunctos pœna ſenſus non caſtigari.

Diſt. ant. non in doloribus ac mœſtitia eſſe, pari ſcilicet cum mœſtitia & doloribus adultorum, C. quaſi omnis & doloris & mœſtitiæ ſint expertes, N. In hac oratione, quæ mentem S. Gregorii obſcure admodum exhibet, id præcipue declarari videtur, parem non futuram ſortem infantium qui præmature abripiuntur, & aliorum hominum qui diutius vixerunt, ut colligitur ex verbis immediate ſequentibus: *Neque in pari ipſum*, inquit, *& eadem conditione ac ſorte verſari cum iis qui per omnem virtutem in hac vita purgati ſunt, providentia meliori exuperantiam vitiorum prohibente Deo in iis qui ita victuri fuiſſent*. Dixerat verſus mediam partem orationis: *Quemadmodum igitur dici non poteſt, in ſimilibus eſſe virum & infantem; etiamſi neuter eorum morbo aliquo implicitur, quo pacto enim in paribus verſari deliciis poſſunt, qui earumdem rerum participes non ſunt?* His addo in præſenti controverſia proferri non debere hunc Gregorii locum, probaret enim nullum in infantibus futurum eſſe dolorem, nullam mœſtitiam, tum vero niſi benignius explicaretur & peccato originali & pœnarum æternitati manifeſte adverſaretur, quod quidem

dem nec ipſi contendunt adverſarii.

Cæterum cum iſta Patrum Græcorum teſtimonia nobis opponunt adverſarii, in quibus nempe de parvulorum pœnis & damnatione non ſatis accurate ſcripſiſſe videntur illi Patres, haud immerito reſpondere poſſumus quod olim S. Auguſtinus lib. de Prædeſt. SS. cap. 14. Maſſilienſibus, qui in negotio prædeſtinationis & reprobationis hominum, quod certe cum infantium damnatione non parum habet affinitatis, antiquiorum autoritatem objiciebant: *Quid opus eſt*, inquit, *ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui priusquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari, quod procul dubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur?* Scilicet nemo mediocriter quidem doctus ignorat hæc omnia, quæ ad gratiam Dei, ad prædeſtinationem, & reprobationem, ad peccatum originale, parvulorumque damnationem attinet; a veteribus præſertim vero Græcis nonniſi leviter tractata fuiſſe, priusquam in Eccleſia graſſaretur Pelagianorum hæreſis.

Objicies: S. Ambroſius lib. 2. de Abraham cap. ultimo, his adductis Chriſti verbis, *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* ſic habet: *Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum neceſſitate. Habeant tamen illam opertam pœnarum immunitatem, neſcio an habeant regni honorem.* Ergo parvuli erunt a pœnis immunes.

Reſpondent doctiſſimi Monachi Benedictini merito ſuſpicari poſſe quempiam, hæc & alia nonnulla quæ Pelagianiſmum ſapiunt, ab hæretico aliquo fuiſſe intruſa, tum quia paulo ſupra nu. 79. affirmate dixerat Ambroſius, *quia nemo aſcendit in regnum cœlorum, niſi per ſacramentum baptiſmatis*: tum quia tota ultima hujus numeri pars primæ non ſatis cohæret. At nihil neceſſe eſt, ut opinor, ad ejusmodi reſponſionem, quæ nullum aliunde videtur habere fundamentum, tam facile confugere.

Reſpondeo hunc eſſe verborum S. Ambroſii ſenſum; tametſi, inquit, parvuli de quibus dicitur Geneſ. 17. *Maſculus cujus caro circunciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo;* & Jo. 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.* habeant pœnarum immunitatem, ab ea ſcilicet pœna quæ his verbis exprimitur, *delebitur anima illa de populo ſuo*, quam putant nonnulli cadere in parentes non in filios; certum eſt tamen eos non eſſe conſecuturos regnum cœlorum, id intelligitur ex attenta verborum lectione. Quibus adde nimis quoque probare hoc argumentum; tum quia non modo ſermo eſt de infantibus, ſed & de aliis neceſſitate præventis; tum quia & inde colligeretur nullam animi pœnam, nullum dolorem futurum in infantibus, hic enim pœna ſenſus & corporis neutiquam deſignatur.

Neque opponi debet quod legitur in Commentariis in Epiſtolam ad Romanos his verbis: *Eſt & alia mors, quæ ſecunda dicitur, quam non peccato Adæ patimur, ſed ejus occaſione propriis peccatis acquiritur.* Perperam enim hocce opus olim adjudicatum fuiſſe Ambroſio, nunc omnes unanimi conſenſione fatentur; nec dubium eſt quin Pelagianus fuerit iſte ſcriptor, cum multæ paſſim Pelagii ſententiæ ibidem reſperſæ ſint.

Objicies: S. Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 23. hæc ſcribit: *Huic autem diſputationi objici ab imperitis ſolet quædam calumnia de mortibus parvulorum, & de quibusdam cruciatibus corporis, quibus eos ſæpe videmus affligi; dicunt enim, quid opus erat ut naſceretur, qui, antequam iniret ullum vitæ meritum, exceſſit e vita, aut qualis in futuro judicio deputabitur cui neque inter juſtos locus eſt, quoniam nihil recte fecit, neque inter malos, quoniam nihil peccavit? Quibus reſpondetur, ad uni-*

Digitized by Google

verſitatis complexum, & totius creaturæ vel per locos vel per tempora ordinatiſſimam connexionem, non poſſe ſuperfluo creari qualemcunque hominem, ubi folium arboris nullum ſuperfluo creatur, ſed ſane ſuperfluo quæri de meritis ejus qui nihil meruerit. Non enim metuendum eſt, ne vita eſſe potuerit media quædam inter recte factum atque peccatum, & ſententia judicis media eſſe non poſſit inter præmium atque ſupplicium. Ubi ait S. Auguſtinus lubenter ſe admittere ſententiam judicis eſſe mediam de parvulis ſine baptismo decedentibus, ita ut nec præmio gloriæ donentur, nec ſupplicio ſeu pœna ignis afficiantur; unde, inquiunt nonnulli ex adverſariis, ſaltem colligitur dubium in hac materia & anxium fuiſſe S. Doctorem.

At ego miratus ſum perſæpe illorum omnium audaciam, qui in opinionis ſuæ præſidium S. Auguſtini autoritatem ſuper hoc negotio proferunt, qui nempe tot ac tam luculentis teſtimoniis illam ubique proſcripſit: graviter autem ac ſupine falluntur, ex his verbis libri *de lib. arbitr.* argumentantur.

Primo, quia teſtatur ipſe S. Auguſtinus ſe adhuc presbyterum ejusmodi libros *de libero arbitrio* quos laicus Romæ inchoarat, in Africa confeciſſe, ſcilicet Semipelagiani hoc eodem teſtimonio abutebantur, dicentes de pœnis parvulorum aliquando eum dubitaſſe, ut refert Hilarius in ſua Epiſtola n. 8. *Parvulorum autem cauſam ad exemplum majorum non patiuntur afferri quam & tuam ſanctitatem dicunt eatenus attigiſſe, ut incertum eſſe volueris, ac potius de eorum pœnis malueris dubitari; quod in libro tertio de libero arbitrio ita poſitum meminiſti, ut hanc eis occaſionem potuerit exhibere.* Quibus reſpondet S. Auguſt. lib. de dono perſev. c. 12. his verbis: *Fruſtra itaque mihi de illius libri mei vetuſtate præſcribitur, ne agam cauſam ſicut debeo agere parvulorum, & inde gratiam Dei non ſecundum merita hominum dari, perſpicuæ veritatis luce convincam. Si enim quando libros de libero arbitrio laicus cepi, presbyter explicavi, adhuc de damnatione infantium non renaſcentium liberatione dubitarem; nemo, ut opinor, eſſet tam injuſtus atque invidus, qui me proficere prohiberet; atque in hac dubitatione remanendum mihi eſſe judicaret.* Ubi teſtatur S. Doctor nullam invidiam ſibi creandam, quod non ſatis accurate ſcripſerit de pœnis parvulorum, in libris nempe de libero arbitrio quos adhuc laicus conſcripſerat.

Pergit vero ibidem verum illius teſtimonii ſenſum aperire, teſtaturque ſe de parvulorum damnatione minime dubitaſſe. *Cum vero*, inquit, *rectius poſſit intelligi, non me propterea de hac dubitaſſe credi oportere, quia contra quos mea dirigebatur intentio, ſic mihi viſi ſunt refellendi, ut ſive pœna eſſet peccati originalis in parvulis, quod veritas habet; ſive non eſſet, quod nonnulli errantes opinantur, nullo modo tamen quam Manichæorum error inducit, duarum naturarum, boni ſcilicet & mali, permixtio crederetur: abſit ut cauſam parvulorum ſic relinquamus, ut eſſe nobis dicamus incertum, utrum in Chriſto regenerati, ſi moriantur parvuli, tranſeant in æternam ſalutem; non regenerati autem tranſeant in mortem ſecundam, quoniam quod ſcriptum eſt (Per unum hominem peccatum introivit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertranſiit) aliter intelligi recte non poteſt, nec a morte perpetua, quæ juſtiſſime eſt retributa peccato, liberat quemquam puſillorum atque magnorum, niſi ille qui propter remittenda & originalia & propria noſtra peccata mortuus eſt ſine ullo ſuo originali propriove peccato.* Quæ cum ita ſint jam de ſententia S. Auguſtini ſuper hoc negotio nulla cuipiam ſupereſſe poteſt difficultas; ait enim ſe ita locutum fuiſſe in citato libro *de libero arbitrio*, quia refellendi erant Manichæi, quicquid

quid de pœnis infantium ſentiretur, quod nempe duarum naturarum, mali bonique, permixtionem crederent; aliunde vero profitetur infantes non regeneratos tranſire in mortem ſecundam, *abſit ut cauſam parvulorum ſic relinquamus, ut eſſe nobis dicatur incertum, &c.*

Secundo, nec minus perſpicue, quod ex eodem libro, *de libero arbitr.* repeti ſolet, argumentum infringit ipſe S. Doctor in Epiſtola 166. olim 28. ad S. Hieronymum, ubi ſic loquitur c. 7. *Ego quidem non de ingeniis, ſed ſaltem de pœnis parvulorum, quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in libris illis* de libero arbitrio. *Quod quale ſit & cur mihi in iſta, quam habemus in manibus, quæſtione, non ſufficiat, intimabo, & eum ipſum de tertio libro locum excerptum his litteris inſeram, nam ita ſe habet, de cruciatibus autem corporis quibus affliguntur parvuli, &c. .... Nunc autem cum iſta quæſtio non poſſit abſolvi, niſi etiam de his parvulis reſpondeatur, qui poſt graviſſimos cruciatus ſine Sacramento Chriſtianæ Societatis expirant, quæ circa eos compenſatio cogitanda eſt, quibus inſuper & damnatio præparata eſt? Nam & de baptiſmo parvulorum in eodem libro non quidem ſufficienter, ſed quantum illi operi ſatis eſſe videbatur, utcumque reſpondi, quod etiam neſcientibus, & fidem ſuam nondum habentibus prodeſt: non tamen de damnatione eorum parvulorum, qui ſine illo ex hac vita emigrant, tunc aliquid dicendum putavi, quia non quod nunc agitur, agebatur.* Sane hæc abunde ſufficiunt, ut innoteſcat B. Auguſtinum nuſquam in libris *de libero arbitrio* ſtatuiſſe parvulorum immunitatem a pœna ſenſus; teſtatur enim ſe tunc noluiſſe ejusmodi quæſtionem de pœnis parvulorum enucleate definire.

Scilicet in illis libris diſputationem ſuſceperat adverſus Manichæos, qui duo principia, unum boni, alterum mali introducebant, negantes ex libero arbitrio hominis mali originem duci; unde ad culpandum Deum dicebant *nihil opus eſſe ut naſceretur, qui antequam iniret ullum vitæ meritum, exceſſit e vita*. Cui proinde, *neque inter juſtos locus eſt, quoniam nihil recte fecit, neque inter malos, quoniam nihil peccavit.* Cui Manichæorum ratiocinio reſpondet ſanctus Doctor, *non eſſe metuendum ne vita potuerit eſſe media inter recte factum & peccatum, & ſententia judicis media eſſe non poſſit inter præmium atque ſupplicium*. Ubi manifeſtum eſt noluiſſe tunc S. Doctorem hanc de pœnis parvulorum quæſtionem dirimere, ſive enim dixiſſet parvulos damnationem incurrere, ſive eos vitam æternam conſequi, nihil omnino confeciſſet adverſus Manichæos, qui & nullum in parvulis eſſe peccatum originale & baptiſma ſuperfluum contendebant; unde ſatis erat oſtendere eorum ratiocinium non convincere Deum eſſe culpandum, quod infantes ſuperflue creaverit quos ſciebat brevi morituros, antequam iniviſſent ullum vitæ meritum. Sane pudet in iſtis exponendis diutius immorari, ſiquidem & ea abunde explicuit ipſe ſanctiſſimus Doctor, ut mox demonſtratum eſt.

Inſtabis: in illa eadem Epiſtola ad S. Hieronymum plane incertus dubitare videtur S. Auguſtinus de pœnis parvulorum cap. 6. *Sed cum ad pœnas ventum eſt parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor anguſtiis, nec quid reſpondeam prorſus invenio:* Ergo.

Diſt. ant. dubitare videtur de cauſa pœnarum in parvulis, in ſententia ſcilicet S. Hieronymi de origine animæ, C. de exiſtentia pœnarum in parvulis, N. Nimirum in illa Epiſtola conſulit S. Hieronymum de origine animæ, aitque, ſi dicantur animæ creari a Deo, ſe vix intelligere quomodo pœnas *ſine ulla mala cauſa patiantur infantes*, ſed revera ejuſmodi pœnas paſſuros eſſe in-

infantes in altera vita; quemadmodum & multis in hac affliguntur, ibidem affirmate pronuntiat: *Non ſolum eas pœnas dico*, inquit, *quas habet poſt hanc vitam illa damnatio, quo neceſſe eſt trahantur, ſi de corpore exierint ſine chriſtianæ gratiæ ſacramento, ſed eas ipſas, quæ in hac vita dolentibus nobis verſantur ante oculos*.

Inſtabis: idem Auguſtinus lib. 5. contra Julian. cap. 11. ſcribit infantes tanta pœna non fore caſtigandos ut iis melius fuiſſet non naſci. *Ego autem*, inquit, *non dico parvulos ſine Chriſti baptiſmate morientes tanta pœna eſſe pleƈtendos, ut eis non naſci potius expediret, cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, ſed de ſceleſtiſſimis & impiiſſimis dixerit*. Exiſtimabat igitur parvulos pœnam ignis non ſenſuros, aliter enim immerito diceretur ad illos non pertinere hæc verba, *melius erat homini illi non naſci*.

Nego conſ. ibi quippe dubitat ſolummodo S. Auguſtinus de qualitate & gradu pœnarum quas patiuntur infantes, non autem de earum exiſtentia, ut aperte colligitur ex verbis immediate ſequentibus: *Si enim quod de Sodomis ait, & utique non de ſolis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die judicii punietur: quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui ſolum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium leviſſima futuros? Quæ, qualis, & quanta erit, quamvis definire non poſſim, non tamen audeo dicere quod eis ut nulli eſſent, quam ut ubi eſſent potius expediret*. Ubi ſolum negat ſe poſſe iſtius ſupplicii naturam, modum & intenſionem determinare.

Nec moror quod quis dicat pœnam ignis, conjunƈtam videlicet cum excluſione a regno cœlorum, non eſſe damnationem omnium leviſſimam, qualem eo loci appellat Auguſtinus damnationem parvulorum. Namque ita viſum eſt ſanƈto Doƈtori damnationem parvulorum dicere leviſſimam, comparate ſcilicet ad damnationem quorumlibet aliorum hominum, & quidem ſceleſtiſſimorum, ut ipſe ait; quod utique veriſſimum eſſe fatemur.

Inſtabis: S. Auguſtinus cum in illis libris rem habeat cum Pelagianis, eo ſenſu damnationem accipit quo ſumebatur ab illis hæreticis: atqui Pelagiani damnationem accipiebant pro ſola vitæ æternæ carentia, idcirco enim parvulos ſine baptiſmo decedentes negabant damnationem incurrere, quia exiſtimabant illos vitam æternam conſecuturos; ergo per damnationem nihil aliud intelligit S. Auguſtinus præter vitæ æternæ privationem.

Nego min. manifeſtum quippe eſt cuipiam S. Auguſtini ſcripta legenti, in quibus haud infrequens habetur de pœnis parvulorum diſputatio, Pelagianos perſæpe coram Auguſtino conqueſtos, quod parvulos ut & alios peccatores pœnis, tormentis, igni addiceret immerentes, tum vero Auguſtinum contra parvulorum damnationem, ſitam videlicet in æterna combuſtione, ubique paſſim ex Scripturis & antiquioribus Patribus propugnare, totiſque viribus defendere.

Objicies: S. Gregorius M. lib. 13. Moral. cap. 12. id ponit diſcriminis inter peccatum originale, & peccata aƈtualia, quod pœna originalis culpæ ſit ſpeciem Creatoris non videre, peccatis autem aƈtualibus ſupplicium debeatur: exiſtimabat igitur parvulos ſolo peccato originali maculatos nullo caſtigandos ſupplicio.

Reſpondeo hunc locum nullius eſſe momenti in præſenti controverſia, agit enim Sanƈtiſſimus Papa de juſtis antiqui Teſtamenti in limbo detentis, quos dicit idcirco non vidiſſe Deum intuitive, quia per peccatum originale cœlum fuerat ipſis intercluſum, donec per Chriſtum aperiretur. Conſule quæ paulo ſupra

pra

pra retulimus ex eodem S. Gregorii opere excerpta.

Objicies: S. Bernardus ſermone 3. in tempore Reſurrectionis, hæc ſcribit: *Quid enim odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille deſæviet niſi in propriam voluntatem?* At in infantibus non reperitur propria voluntas; non peccatum actuale: ergo.

Nego min. nam in mente S.Bernardi propriæ voluntatis nomine intelligitur, ea quæ non eſt communis Deo & hominibus, ut ait ibidem: *Voluntatem dico propriam quæ non eſt communis cum Deo & hominibus, ſed noſtra tantum, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, ſed propter noſmetipſos facimus.* Quo ſenſu voluntas qua in Adamo peccavimus nobis eſt propria, neque enim nobis eſt communis cum Deo.

Objicies auctoritatem Innocentii III, lib. 3. decret. tit. de baptiſmo, cap. *Majores*, hæc ſcribentis: *Pœna originalis peccati eſt carentia viſionis Dei, actualis vero pœna peccati eſt gehennæ perpetuæ cruciatus*. Ergo parvuli, in quibus peccatum actuale non eſt, non punientur gehennæ cruciatu.

Nego conſ. Neque enim pronuntiat ſummus Pontifex pœnam originalis peccati eſſe carentiam viſionis Dei, *tantum* per excluſionem pœnæ ſenſus, ut manifeſte patet; quapropter ex illa diviſione nihil adverſus noſtram ſententiam colligi poteſt. Et certe ſi legitima & accurata eſſet illa diſtributio qua ſua cuique peccato aſſignatur pœna; ita ut pœna originalis peccati eſſet, *ſolum*, carentia viſionis Dei, ſequeretur eadem ratione actualis peccati pœnam eſſe ſolum gehennæ cruciatum, per excluſionem ad carentiam viſionis Dei; & idcirco qui cum actuali peccato decederet, modo prius deletum fuiſſet peccatum originale, viſione Dei non privaretur, quod certe nemo unquam dixerit.

Solent reſpondere alii ſententiæ noſtræ aſſertores hæc verba ſummi Pontificis eſſe non definientis, ſed quaſi diſputantis in quæſtione tunc propoſita, utrum peccatum originale per baptiſmum dimitti poſſit adultis dormientibus vel amentibus qui baptiſmo non conſenſerunt, & cum originali ſimul habent mortale actuale; hoc autem modo, inquiunt, rationem ibi proponit: *Præterea pœna originalis peccati eſt carentia viſionis Dei, actualis vero pœna peccati eſt gehennæ perpetuæ cruciatus: unde ſi dimitteretur alicui primum altero non dimiſſo, talis non careret viſione Dei propter originale dimiſſum, & cruciaretur in gehenna perpetuo propter reatum criminis actualis. Sed hęc tanquam incompoſſibilia ſeſe minime patiuntur, immo ſibi mutuo adverſantur.* Quæ quidem reſponſio æquitati, veritatique ſatis conſentanea eſſe videtur.

Objicies: communis & receptiſſima videtur hæc ſententia apud omnes fere Theologos, qui nimirum unanimi conſenſione docent parvulos ſolo peccato originali obſtrictos nulla ſenſus pœna caſtigandos, ita Magiſter Sent. S. Thomas, S. Bonavent. Ricardus, Durandus, Scotus, Gabriel, Alexander, Marſilius, Dominicus Soto, Catharinus, Vaſquez in locis jam deſignatis, & alii propemodum innumeri, qui a quingentis aut amplius annis vixerunt: ſed non ita facile communi Theologorum ſententia recedere licet; hi enim cum idem omnes uno conſenſu tradunt, veram & certam totius Eccleſiæ fidem referunt: ergo hæc alia opinio quæ contra docet parvulos ſine baptiſmo decedentes puniri pœna ignis, eſt omnino rejicienda.

Diſt. maj. & aliam ſententiam, quæ noſtra eſt, ex adverſo amplexi ſunt quamplurimi alii Doctores magni nominis, C. ſecus, N. Id unum itaque ex hoc argumento colligi poteſt plurimos e Scho-

Scholaſticis in illam opinionem iviſſe, vel etiam ſtare majorem ex illa parte Doctorum numerum, ſed quominus propterea a ſuſcepta ſententia diſcedam, multa mihi & graviſſima momenta ſuppetunt.

Primo, quia hæc veritas quam defendimus, multis & quidem diſertiſſimis Scripturæ locis confirmatur, apud eos nempe qui ſacri textus amant interpretationem non coactam aut detortam, ſed fluentem & germanam.

Secundo, quia variis inſuper antiquitatis teſtimoniis roboratur, eorum omnium protulimus autoritatem qui de peccato originali ejuſque pœnis & effectibus ſcripſerunt, nominatim vero S. Auguſtinum B. Cypriani doctrinæ adhærentem, univerſam Eccleſiam Africanam, Innocentium I. S. Proſperum, S. Hieronymum, Gelaſium ſummum Pontificem, S. Avitum Viennenſem, S. Gregor. M. S. Iſidorum Hiſpalenſem, Prudentium Tricaſſinum, S. Anſelmum, S. Aelredum, quibus & adjunximus continenter quamplurimos e ſchola Doctores ſingulari eruditione & dignitatibus Eccleſiaſticis conſpicuos. Dicam vero retorto in adverſarios argumento, ejuſmodi defenſores noſtræ ſententiæ damus, quorum ipſi judicium, ſi verum amant, aſpernari non poſſint.

Tertio demum, quod magnum apud me momentum habet, adverſariorum doctrinæ aſſertores in hac re aut variant pene omnes, aut perplexe loquuntur, aut in opiniones manifeſte falſas vel etiam temerarias impingunt. Quidam dicunt illos infantes ſine baptiſmo defunctos æternum manſuros in quodam loco ſubterraneo. Putant nonnulli ejuſmodi locum non eſſe infernum, ſed, ut ajunt, limbos; quis & qualis ſit, ubinam ſit ejuſmodi locus plane ignorant, de eo fatentur ne verbum quidem minimum haberi in Scripturis. Alii non verentur dicere infantes in ipſo inferno cum damnatis detinendos, ſed tamen non in igne; deinde hoc Matthæi loco victi, *ibunt in ignem æternum*, fatentur parvulos cum adultis ituros in ignem; ſed quod ab omni ratione alienum eſt, eos putant in igne non arſuros. Alii demum eo uſque venerunt, ut dicerent non modo infantes nullam ignis pœnam ſubituros, ſed & nullum ex privatione viſionis Dei dolorem interiorem, nullam de amiſſione beatitudinis mœſtitiam; quin &, quod longe pejus eſt, eadem abrepti opinione parvulos docuerunt naturali beatitudine donari, quod merum redolet Pelagianiſmum.

Objicies: ea ſententia propugnari non debet quæ nonnihil crudelitatis Deo tribuit: ſed ſententia, quæ docet infantes puniri pœna ignis, qui nempe propria voluntate nullum admiſerunt peccatum, duriſſima videtur & nonnihil crudelitatis præ ſe fert: ergo propugnari non debet.

Nego min. namque ſi Thelogo liceat Deum propter inflictas parvulis pœnas crudelitatis inſimulare, his nempe ex ratiunculis, quas in hoc negotio uſurpare ſolent adverſarii, crudelitatis ſimiliter duræque tyrannidis arguent, quæ tamen catholice dici ſolent de prædeſtinatione & reprobatione hominum, aſperam & injuſtam clamabunt ſententiam de pœnis æternis quæ propter momentaneam actionem infliguntur; quin & duriſſimum imprimis videbitur Eccleſiæ dogma de peccato originali, ex quo ſequitur, ut qui propria voluntate nihil quicquam peccavit, & in hac vita, *a die exitus de ventre matris grave jugum portet*, obnoxius calamitatibus pene innumeris, & in altera ſaltem a regno cœlorum ejiciatur ſummo dolore de amiſſa beatitudine percitus, ſane ejuſmodi objectio nonniſi ab aliquo Pelagiano proponi poteſt.

Atque hinc illam Auguſtino centies objecerunt iſti hæretici ſive de ipſis parvulorum pœnis, ſive etiam de peccato originali diſputarent, hoc enim potiſ-

potiſſimum rebellabat Pelagianos in materia peccati originalis, quod parvuli qui propria voluntate nunquam peccaverunt, æternas tamen pœnas ſubirent, id legitur v. g. lib. 3. operis imperf. cap. 199. ubi ſic in Julianum inſurgit S. Auguſtinus: *Et accuſas univerſam catholicam Eccleſiam magno crimine majeſtatis. Non enim legibus hujus mundi alio crimine tenetur reus, quiſquis imaginem quamvis non vivam, tamen Imperatoris exſufflat, exſufflantur autem parvuli, antequam baptizentur*. Lib. 5. ejuſmodi operis cap. 13. *Si autem crudele eſſe arbitramini damnari parvulos, quos originale peccatum trahere non putatis: crudele vobis videatur, non rapi ex hac vita parvulos ſecundum vos nullum habentes omnino peccatum, quos Deus utique novit in multis magniſque peccatis ſine ulla in melius mutatione morituros: nam ſecundum ratiocinationes humanas crudelius videtur non liberare eum poſſit, nullis inquinatum parvis magniſque peccatis, quam damnare progeniem peccatoris*. Ubi ſapienter monet S. Doctor ejuſmodi quæſtiones ex humanis ratiocinationibus non eſſe definiendas. *Cedamus & conſentiamus*, inquit iterum lib. 1. de peccat. mer. cap. 22. *auctoritati ſanctæ Scripturæ, quæ neſcit falli nec fallere*. Et cap. 23. *Nulla igitur ex noſtro arbitrio præter baptiſmum Chriſti ſalus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina, humanis omnibus ingeniis præferenda*. Eſt igitur ab omni ratione alienum, ut propter inflictas parvulis pœnas crudelitatis inſimuletur Deus; quia nempe eadem recurrit difficultas de reprobatione & peccato originali, quod utrumque dogma propugnant adverſarii, eadem vero, ne dicam major de pœnarum æternitate. Quid vero Pelagianis idem paſſim objicientibus ſit reſpondendum, colligi poteſt ex variis Sancti Auguſtini ſcriptis, ex lib. 6. contra Jul. cap. 10. ex lib. 21. de Civitate Dei cap. 12. & aliis.

Objicies: nullus puniri debet ob id pro quo ne vituperari aut reprehendi poteſt; atqui pro ſolo peccato originali nemo juſte vituperari poteſt; namque neminem eſſe dignum vituperio & reprehenſione propter id quod non libere fecit, aut omiſit, manifeſte conſtat ex ſenſu omnium communi, ex ipſo Ariſtotele 3. Ethic. cap. 6. & demum ex S. Auguſtino lib. de duabus animabus cap. 11. ubi peccatum hoc pacto definit: *Sine prius*, inquit, *peccatum definiamus quod ſine voluntate eſſe non poſſe, omnis mens apud ſe divinitus conſcriptum legit. Ergo peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*. Ergo pro ſolo peccato originali nemo juſte puniri poteſt.

Nego min. contrarium enim aperte docet Auguſtinus lib. de corrept. & grat. cap. 6. his verbis: *An vero ideo pravitas iſta corrumpitur, ſed communis eſt omnibus? Immo vero corripiatur & ſingulis quod eſt omnium; non enim propterea cujuſquam non eſt, quod ab ea nullus immunis eſt. Peccata quidem iſta originalia ideo dicuntur aliena quod ea ſinguli de parentibus trahunt, ſed non ſine cauſa dicuntur & noſtra, quia in illo uno omnes, ſicut dicit Apoſtolus, peccaverunt. Corripiatur ergo origo damnabilis, ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur*. Homo igitur corripi poteſt propter ſolum peccatum originale.

Neque vero quidquam neceſſe eſt ut ejuſmodi doctrina in tam multis Scripturarum oraculis confirmata, tam certo ab Apoſtolo & SS. Patribus tradita cum Ariſtotelis & aliorum Philoſophorum placitis conſentiat; quemadmodum Pelagianis eodem argumento peccatum originale ſubvertere conantibus, reſpondet S. Auguſtinus lib. 6. Jul. cap. 20. *Ad hoc redacta eſt hæreſis veſtra, ut gemant ſectatores veſtri non inveniri dialecticos judices in Eccleſia de Scholis Peripa-*

ripateticorum, *aut Stoicorum a quibus poſſitis abſolvi*. Scilicet fatemur ſi Philoſophorum principiis & ratiociniis ſtandum ſit, nullam fore parvulorum damnationem, nullum peccatum originale.

Porro S. Auguſtini teſtimonium e libro de duabus animabus excerptum quod attinet, nemo neſcit illud a Pelagianis perſæpe objectum fuiſſe; tum vero toties a ſancto Doctore reſponſum ejuſmodi definitionem de ſolo peccato actuali ſine originalis præjudicio intelligendam. *Ipſe Adam eſt*, inquit, *quem noſtra illa definitio*, *quæ tibi placuit*, *intuebatur*, *cum dicerem*, *peccatum eſt voluntas &c.*

Objicies: propter originale peccatum nulla injungitur pœnitentia hominibus baptizandis tametſi adultis, nulla pœnalis ſatisfactio, nullus in animo dolor: ſignum eſt igitur huic peccato nullam reſpondere pœnam ſenſibilem in futuro ſæculo.

Nego conſeq. ideo quippe ſatisfactionem pœnalem baptizandis non injungit Eccleſia, quia non modo culpam, ſed & pœnam omnem remittit baptiſmus; quanquam adulti antequam baptizentur, juberi poſſint dolorem ex eo concipere quod nati ſint filii iræ & ſub diaboli poteſtate, proindeque eos nullam ſenſibilem pœnam paſſuros nequaquam ex hoc ratiocinio colligitur.

Atque ejuſmodi ſunt aliæ quamplurimæ ratiunculæ quas in hanc noſtram ſententiam congerunt adverſarii, ut cum dicunt peccatum originis non tollere in homine ordinem naturalem ſed ſupernaturalem, & idcirco æquum eſſe ut ejus pœna ſit privatio boni ſupernaturalis, non autem inflictio pœnæ ſenſibilis quæ naturam lædat. Item cum dicunt ignis cruciatum reſpondere converſioni ad bonum commutabile, quemadmodum privatio viſionis beatificæ reſpondet averſioni a Deo, hominem vero per peccatum originale non converti ad bonum commutabile. Rurſus quando dicunt neminem puniri pœna ſenſibili propter habitualem ad malum pronitatem, quia v. g. non puniuntur qui proni ſunt ad furtum, ſed qui actu furantur, peccatum autem originale culpam eſſe habitualem. Denique cum dicunt reatum ſeu obligationem ad pœnam ad ſolum Adamum pertinere, quia ſolus peccavit. Hæc nimirum tam manifeſte falſa ſunt, ut in iis excutiendis plus temporis impendere religio ſit. Falſum eſt peccatum originale non tollere ordinem naturalem, per illud enim homo vulneratus eſt in naturalibus. Falſum eſt ignis cruciatum non reſpondere averſioni a Deo; qui enim peccato originali obſtricti moriuntur, ſunt a ſiniſtra. Falſum eſt peccatum originale eſſe culpam habitualem, ſaltem ad inſtar habitus vitioſi, habitus quippe vitioſus non habet rationem culpæ. Denique falſum eſt, ne dicam erroneum, aſſerere reatum & obligationem ad pœnam ad ſolum Adamum pertinere, quia ſolus peccavit.

Cæterum cum dicimus parvulos ante ſuſceptum baptiſma defunctos pœnam ſenſus perpeſſuros, de pœna omnium leviſſima & mitiſſima hoc ipſum intelligi debere contendimus, ſic enim loquitur Sanctus Auguſtinus in Enchiridio cap. 93. *Mitiſſima ſane omnium pœna erit eorum qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum inſuper addiderunt, & in cæteris qui addiderunt, tanto quiſque tolerâbiliorem ibi habebit damnationem, quanto hic minorem habuit iniquitatem*. Et lib. 1. de peccat. merit. cap. 15. *Poteſt proinde recte dici*, *parvulos ſine baptiſmo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitiſſima futuros*. Et tandem lib. 5. contra Julian. cap. 11. *Ego autem non dico parvulos ſine Chriſti baptiſmate morientes tanta pœna eſſe plectendos, ut eis non naſci potius expediret, cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, ſed de ſceleſtiſ-*

leſtiſſimis & impiiſſimis dixerit. Si enim quod de Sodomis ait, & utique non de ſolis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die judicii punietur, quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui ſolum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium leviſſima futuros? Qualis autem & quanta pœna cuique peccato debeatur certo definire, divini judicii eſt non humani. Et hæc ſatis multa de pœnis parvulorum.

De peccato actuali, ac primum de ejus diviſione in peccatum commiſſionis & peccatum omiſſionis.

His fuſe expoſitis quæ ad peccatum originale ejuſque naturam & effectus attinent, ſequitur ut de peccato actuali nunc agamus: hoc dividitur in peccatum commiſſionis & peccatum omiſſionis.

Circa peccatum commiſſionis quæritur, in quo præciſe poſita ſit ratio formalis ejus conſtitutiva, ſeu per quid peccatum commiſſionis ſit formaliter peccatum.

Circa peccatum omiſſionis quæritur, num poſſit eſſe quoddam peccatum omiſſionis ſine ullo actu voluntatis poſitivo, quæ quidem duo breviter & quoad fieri poterit dilucide tractabimus.

Per quid formaliter conſtituatur peccatum commiſſionis.

In peccato commiſſionis duo diſtinguuntur, unum quod loco materialis eſt, aliud quod ejus formale dicitur. Materiale peccati commiſſionis eſt actus humanus qui ſic dicitur, vel quia ad inſtar materiæ eſt aliquid commune bono & malo, vel quia veluti ſubjectum eſt malitiæ peccati. Formale peccati commiſſionis eſt id per quod peccatum commiſſionis formaliter peccatum eſt, ſeu quod idem eſt ratio formalis conſtitutiva peccati commiſſionis prout peccatum eſt præciſe.

Dixi *prout peccatum eſt præciſe;* Neque enim hic quæritur per quid peccatum commiſſionis ſit peccatum commiſſionis potiuſquam omiſſionis; tum vero quæſtio non eſt de ratione formali ſpecifica peccati commiſſionis, per quod unum peccatum commiſſionis tale conſtituatur, ſit unius potiuſquam alterius ſpeciei, ſit v. g. furtum, non autem homicidium; hujuſmodi quæſtiones alio expenduntur: agitur hic de peccato commiſſionis præciſe ut peccatum eſt.

Atque hinc obiter, & quidem conſulto obſervare juvat, præſentem quæſtionem inſtitui non debuiſſe de ſolo peccato commiſſionis, quod tamen video factitatum fere ab omnibus, ſed longe rectius moveretur quæſtio de omni in univerſum peccato, eadem enim difficultas eſt de peccato omiſſionis, per quid nempe conſtituatur formaliter in ratione peccati præciſe; quod idem & de peccato originali intellexeris; unde ſi demonſtratum nunc fuerit, peccatum commiſſionis in ratione peccati formaliter conſtituti per privationem rectitudinis debitæ vel pugnantiam cum lege; conſequenter demonſtratum erit peccatum omiſſionis & peccatum originale, in ratione ſcilicet peccati præciſe conſiſtere in privatione rectitudinis debitæ vel in pugnantia cum lege. Sit igitur iſta quæſtio de peccato in genere, per quid nempe peccatum formaliter conſtituatur in ratione peccati.

Tres potiſſimum ſuper iſto negotio diſtinguuntur Theologorum ſententiæ.

Prima eſt Cajetani, quem & nonnulli hac in parte ſequuntur, dicentis formale peccati, commiſſionis ſcilicet, conſiſtere in aliquo poſitivo, nimirum in poſitiva converſione voluntatis ad bonum commutabile contra legem, quæ quidem converſio opponitur contrarie actui bono, adeoque poſitiva eſt, oppoſitio enim contraria ſtare debet inter

duo extrema realia ; quæ vero , inquiunt , inordinatio illius actus mali , ſeu deviatio a regula , occurrit in actu malo moraliter , pura eſt privatio conſequens ad ejuſmodi poſitivam converſionem , habetque rationem effectus tantum , non rationem principii formaliter conſtitutivi .

Secunda eſt aliorum qui contendunt rationem formalem peccati poſitam eſſe in relatione quadam extrinſeca humanæ operationis cum natura rationali , ut rationalis eſt ; quam relationem diſconvenientiæ aut diſſonantiæ appellant ; ſiquidem , inquiunt , actus humanus eo malus eſt , quia eſt contra naturam rationalem ; ita Vaſquez in 1. 2. diſp. 95. cap. 9. qui eandem opinionem tribuit Melchiori Cano , Gregor. in 2. diſt. 34. q. 1. art. 1. & 2. & Scoto quodlib. 18. art. 1. addit cap. 10. ejuſmodi pugnantiam cum ratione eſſe relationem rationis non realem , quia , inquit , totum genus moris in relatione rationis poſitum eſt .

Tertia demum ſententia communis eſt maxime apud Theologos , qui quidem fere omnes docent , formale peccati poſitum eſſe in mera privatione , mera carentia rectitudinis debitæ actui , quia nempe eo præciſe & formaliter actus humanus malus eſt in genere moris , adeoque peccatum , quia ei deeſt unum ex illis quæ ad bonitatem actus requiruntur ; & hæc eſt noſtra ſententia .

Jam vero priuſquam in ea demonſtranda operam collocemus , præmonere libet mihi certe in votis non eſſe hanc ſtabilire ſententiam vel ex Scripturis Sacris vel ex SS. Patribus . Non me latet hoc ipſum a multis Theologis præſtitum , argumentum ſcilicet petunt ex his Pſalm. 4. verbis, in quibus peccatum dicitur *vanitas & mendacium* . Amos 6. *qui lætamini nihilo* , id eſt peccato . Joan. 1. *ſine ipſo factum eſt nihil* . Hoc eſt peccatum non eſt ab ipſo factum . Tum vero idem conficiunt ex variis SS. Patrum teſtimoniis quæ ſimul collecta legi poſſunt apud Petavium Theolog. dogm. lib. 6. cap. 4. Hujuſmodi eſt quod dicit S. Ambroſius lib. de Iſaac , cap. 7. *Quid eſt malitia niſi boni indigentia ?* Quod S. Auguſtinus lib. 12. de Civit. Dei cap. 6. *Nemo ergo quærat cauſam efficientem malæ voluntatis ; non enim eſt ſufficiens ſed deficiens , quia nec illa affectio eſt ſed defectio* , quod denique Sanctus Anſelmus lib. de conceptu virginali cap. 5. *Injuſtitia omnino nihil eſt ſicut cæcitas : non eſt enim cæcitas niſi abſentia viſus ubi debet eſſe* . Quæ quidem cum aliis pluribus adduci ſolent .

Verum ego quidem exiſtimo , in hac controverſia quæ pure metaphyſica eſt , rem non eſſe autoritate finiendam : tameſi enim aperte legeretur & in Scripturis & apud SS. Patres peccatum eſſe nihilum & privationem ; tamen certo non conſtat in ejuſmodi locis ſermonem eſſe de ratione formali conſtitutiva peccati prout peccatum eſt , quomodo accipitur in hac ſubtiliſſima Theologorum diſputatione , ſcilicet dicent alii Theologi qui formale peccati putant non eſſe poſitum in privatione rectitudinis , Patres plerumque ex eo quod cum ratione formali peccati conjunctum eſt , naturam & definitionem illius nobis tradidiſſe , potiuſquam ex ipſa ratione formali , cum habeant omnia peccata ſibi conjunctam quandam negationem virtutis , rationis , gratiæ &c. Adeoque ex notiſſimo effectu & proprietate peccati illud deſignaſſe , nec unquam curaſſe propriam rationem formalem peccati ut peccatm eſt exprimere ; ratione igitur non autoritate pugnemus .

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO.

Peccatum formaliter conſtituitur in ratione peccati per privationem rectitudinis actui debitæ.

Ratio eſt, quia in eo conſiſtit formale peccati, quo præciſe intellecto intelligitur peccatum: atqui intellecta præciſe privatione rectitudinis debitæ peccatum intelligitur: quando enim actus humanus induitur iis omnibus partibus quæ ad bonitatem actus requiruntur; cum v.g. bonum habet objectum, finem laudabilem, fitque in debitis circumſtantiis, tunc bonus eſſe intelligitur in genere ſcilicet moris, juxta illud, bonum ex integra cauſa; ſi vero unum ex illis deſit, eo præciſe intelligitur malus in genere moris, quod plane idem eſt ac peccatum: ergo intellecta præciſe in actu humano privatione rectitudinis debitæ, intelligitur actus humanus eſſe malus; proindeque formale peccati conſiſtit in privatione rectitudinis debitæ.

Et certe ſe habet malum morale quemadmodum & aliud quocunque malum, puta malum naturale & malum artificiale: ſed utrumque hoc malum in ratione mali conſtituitur per meram privationem perfectionis ſubjecto debitæ; malum quidem naturale per privationem alicujus boni naturalis; cæcitas enim privatio eſt viſus, mors privatio vitæ; malum vero artificiale per defectum alicujus perfectionis operi artificioſo debitæ, quomodo ſtatua mala dicitur præciſe, quia non eſt ſecundum omnes artis regulas elaborata: ergo malum morale eſt ſimiliter malum præciſe & formaliter per privationem boni, per privationem rectitudinis debitæ actui humano.

Præterea vel formale peccati conſiſtit in privatione rectitudinis debitæ, vel in poſitiva converſione voluntatis ad bonum commutabile, vel denique in difformitate aut diſconvenientia cum lege: atqui neutrum ex his dici poteſt.

Primo, formale peccati non conſiſtit in poſitiva converſione voluntatis ad bonum commutabile; tum quia ejuſmodi converſio poſitiva per ſe ut converſio eſt poſitiva, non eſt aliquid malum & inhoneſtum per aliquam ſcilicet differentiam poſitivam, ſed tantum per privationem rectitudinis & honeſtatis debitæ; intellecta quippe poſitiva voluntatis converſione ad bonum commutabile eo præciſe non intelligitur peccatum, niſi conjunctam habeat deviationem a regula, niſi in aliquo deficiat, poſſet enim dari laudabilis & honeſta ad bonum commutabile converſio. Tum quia in illa ſententia Deus foret autor peccati formaliter ſumpti, Deus quippe non eſt cauſa cujuslibet entis realis & poſitivi, niſi dicatur cum Manichæis aliquam eſſe naturam poſitivam quæ non ſit a Deo.

Nec ſibi conſtat Cajetanus cum dicit actum peccati ſpectatum ratione iſtius converſionis eſſe aliquid poſitivum & bonum bonitate phyſica; relative tamen ad hominem, malum eſſe malitia morali; quemadmodum calor in ſe & phyſice ſpectatus bonus eſt, malus tamen eſt alteri, nempe aquæ. Siquidem admiſſa iſta explicatione converſio quatenus eſt aliquid poſitivum, non conſtituit formale peccati, ſed eſt ſolummodo ejus ſubjectum; eadem vero converſio relative ad hominem mala non eſt niſi quatenus includit privationem rectitudinis debitæ; quemadmodum, ut hujus Theologi exemplo utar, calor non eſt malus aquæ formaliter, niſi per privationem frigoris quæ malum eſt aquæ formaliter.

Secundo, nec formale peccati conſiſtit in difformitate ſeu diſſonantia cum lege; in eo quippe poſita non eſt ratio formalis peccati quod ſupponit peccatum jam conſtitutum in ratione peccati:

atqui

atqui ejuſmodi relatio diſſonantiæ cum lege ſupponit peccatum formaliter conſtitutum in ratione peccati, actus enim humanus eo præciſe malus eſt moraliter, quo ſua rectitudine privatur, nec cenſetur pugnare cum lege, diſſonantiam habere cum lege, niſi quia ſupponitur carens ſua rectitudine: ergo dicitur accuratius formale peccati conſiſtere in privatione rectitudinis debitæ actui, quam in diſſonantia cum lege. Quanquam certo quodam modo intellecta hæc opinio aut parum aut nihil omnino differat a noſtra ſententia; ſi enim hanc cum lege pugnantiam intelligas negationem conformitatis cum lege, ſeu receſſum a lege; tunc certe erit privatio rectitudinis debitæ actui humano, poſtulat enim ex ſe omnis actus humanus, ut cum lege & ratione conſentiat.

Objicies: non poteſt dici quænam ſit illa privatio in qua conſiſtit ratio formalis peccati: ergo.

Nego min. primo enim non eſt privatio gratiæ ſanctificantis, ejusmodi enim privatio eſt effectus peccati, non ipſum formale peccati. Secundo non eſt privatio virtutis, quia poteſt aliquis eſſe ſine virtute & ſine ullo virtutis actu, neque propterea in peccato eſt. Tertio non eſt privatio bonitatis in voluntate quæ peccat contra præceptum; quia ejusmodi privatio bonitatis ſeu boni effectus in voluntate, eſt potius cauſa efficiens peccati quam ipſa ratio formalis peccati, extrinſeca eſt peccato non intrinſeca.

Quarto, non eſt privatio rectitudinis naturalis, quia privatio rectitudinis naturalis efficit tantummodo malum naturale, peccatum autem eſt malum morale. Quamobrem privatio in qua poſitam eſſe dicimus rationem formalem peccati, eſt privatio rectitudinis debitæ vel actui humano, ſi ſermo ſit de peccato commiſſionis; vel ipſi voluntati, ſi ſermo ſit de peccato omiſſionis; peccatum enim commiſſionis idem eſt ac humanus actus malus, actus autem humanus eſt formaliter per privationem rectitudinis debitæ actui.

Debitæ, inquam, actui, non quidem prout eſt actus humanus præciſe, actus quippe humanus præciſe & in genere abſtrahit a bono & malo, de ſe nec bonus eſt nec malus, adeoque ei ſic conſiderato rectitudo non eſt debita. Tum vero neque prout actus humanus ſpecifice conſideratur, & talis eſt actus, quia ſcilicet multi ſunt actus humani in ſpecie conſiderati qui eſſentialiter ſunt mali; ita ut non poſſint eſſe boni, ſicut mendacium & odium Dei, quibus proinde rectitudo non debetur, utpote cum illius ſint incapaces. Id ergo intelligitur de privatione rectitudinis debitæ actui illi quem elicit voluntas circa hanc materiam in his & illis circumſtantiis, in quibus voluntas operans debuit recte agere, quo fit ut dicatur rectitudo debita illi actui.

Inſtabis contra iſtam poſtremam obſervationem. Si malitia moralis conſiſtit tantum in privatione rectitudinis debitæ actui hic & nunc circa hanc & illam materiam eliciendo, non alia eſt malitia in odio Dei quam in omiſſione amandi Deum; utraque enim malitia poſita eſt in privatione rectitudinis debitæ, ſeu actus amoris divini; abſurdum conſequens: ergo & antecedens.

Nego maj. ad probat. diſt. utraque malitia poſita eſt in carentia actus amoris, ſed modo longe diverſo, C. eodem modo, N. ſcilicet id erit adhuc diſcriminis quod odium Dei ſit eſſentialiter actus voluntatis per quem ejusmodi carentia rectitudinis introducitur, præter alias diſcrepantias; omiſſio vero amoris Dei ejusmodi actum non includat.

Ergo, inquies, ſaltem peccatum commiſſionis eſſentialiter includit realem & poſitivum voluntatis actum.

Diſt. ſi peccatum commiſſionis ſumatur penes ſuum materiale, C. ſi penes ſuum

ſuum formale, N. hic porro agitur de formali peccati cujuſpiam, per quid nempe formaliter conſtituatur in ratione peccati.

Inſtabis: peccatum commiſſionis & peccatum omiſſionis differunt ſpecie, efficiunt enim duas peccati ſpecies: atqui ſi formale peccati commiſſionis eſſet mera privatio, ut & in peccato omiſſionis, duo hæc peccata non differrent ſpecie: ergo formale peccati commiſſionis non conſiſtit in privatione.

Diſt. maj. differunt ſpecie ſi ſumantur ſpecifice prout unum eſt peccatum commiſſionis, alterum vero omiſſionis, C. ſi ſumatur generice in ratione peccati præciſe, N. per id etenim non differunt quod ipſis commune eſt. atqui ratio formalis peccati ipſis communis eſt, utrumque enim peccatum eſt: igitur, &c.

Objicies: privatio rectitudinis non eſt formale peccati, ſi quædam ſint vera peccata in quibus non ſit ejusmodi privatio: ſed quædam ſunt peccata in quibus non eſt ejusmodi privatio, ſcilicet odium Dei & mendacium: nam privatio eſt carentia formæ in ſubjecto apto ad illam formam recipiendam: ſed odium Dei, uti & mendacium non eſt ſubjectum aptum ad recipiendam rectitudinem, utrumque enim eſſentialiter malum eſt. Ergo, &c.

Nego min. ad cujus probat. diſt. maj. Privatio ſpecifice ſumpta, C. generice, N. privatio ſpecifice ſumpta eſt carentia formæ in ſubjecto apto, ut cæcitas in homine; privatio autem generice ſumpta, eſt carentia formæ in ſubjecto, ſeu ſit aptum ſeu non ſit: porro cum dicimus formale peccati eſſe privationem rectitudinis, id ſolum intelligimus de privatione generice ſumpta.

Vel dici poteſt odium Dei non eſſe quidem capax recipiendæ rectitudinis moralis prout odium eſt formaliter; quia ſic conſideratum eſſentialiter malum eſt, recte vero prout eſt actus humanus in genere, unde odium Dei eſt actus humanus carens ſua rectitudine morali.

Objicies: illud eſt reale & poſitivum quod contrarie opponitur actui bono; ſed actus malus contrarie opponitur actui bono; bonum quippe & malum ſunt contraria: ergo.

Diſt. min. ſi actus malus ſpectetur penes ſuum materiale, C. ſi ſecundum ſuum formale, N. eatenus enim non reperitur niſi oppoſitio privativa inter bonum & malum, hoc eſt inter bonitatem & malitiam; bonitas quippe eſt rei integritas ſeu aggregatio eorum omnium quæ ad actionem honeſtam requiruntur, *bonum ex integra cauſa*; malitia vero eſt privatio cujuslibet illorum, *malum ex nimio defectu*. Adeoque inter bonum & malum penes ſuum formale ſpectata intercedit tantum oppoſitio privativa.

Inſtabis: habitus vitioſus & habitus ſtudioſus opponuntur contrarie: ergo & actus qui ab illis proficiſcuntur.

Nego conſ. & par. diſparitas eſt quia habitus illi utrinque ſunt poſitivi: poſitive enim inclinant ad actus, ad bonum & ad malum; at vero actus qui ab illis proficiſcuntur non ſunt poſitivi, nempe actus malus, ut dictum eſt, penes ſuum formale eſt mera privatio, proindeque par non eſt utrobique ratio.

Objicies: quod opponitur præcepto negativo, poſitivum eſſe debet; atqui peccatum commiſſionis opponitur præcepto negativo, peccatum furti v. gr. opponitur huic præcepto, *furtum non facies*: ergo ſaltem peccatum commiſſionis de ſe poſitivum eſt.

Nec dicas peccatum commiſſionis opponi quidem præcepto negativo, ſi illud peccatum ſumatur penes ſuum materiale, ſcilicet ratione actus poſitivi quod committitur, non autem opponi penes ſuum formale, namque & peccatum commiſſionis penes ſuum formale opponitur præcepto negativo, furtum v.g. ratione ſuæ malitiæ opponitur huic

præ-

Digitized by Google

præcepto, *furtum non facies*, per id enim opponitur præcepto, quod prohibetur per præceptum: atqui malitia furti prohibetur per præceptum: ergo per malitiam quoque ſeu formale furtum opponitur huic præcepto, *furtum non facies*.

Diſt. maj. quod opponitur negativo poſitivum eſſe debet, ſi opponatur formaliter, ut forma privationi, C. ſi aliter opponatur, ut aliquid v. g. quod prohibetur lege, opponi dicitur huic legi, N. nil vetat enim quominus per præceptum negativum prohibeatur aliqua privatio, quominus per iſtud præceptum, *furtum non facies*, prohibeatur actus furti includens in ſe privationem rectitudinis, adeoque & ſaltem indirecte prohibeatur ipſa privatio, lex enim prohibens & res prohibita non opponuntur formaliter privative, ut lux & tenebræ. Adde quod præceptum quod dicitur negativum, in rei veritate eſt aliquid poſitivum, eſt enim poſitiva juſſio qua prohibetur malum.

Inſtabis: ex conceſſis actus poſitivus vetitus opponitur præcepto negativo, eſt contra præceptum negativum, & quidem directe; quemadmodum omiſſio actus imperati, eſt contra præceptum affirmativum: atqui quod eſt contra præceptum formaliter peccatum eſt: ergo actus ipſe poſitivus per legem vetitus formaliter peccatum eſt.

Diſt. min. quod eſt contra præceptum, formaliter peccatum eſt, ſi adjunctam habet malitiam ſeu privationem rectitudinis debitæ, C. præciſe quia eſt contra præceptum, N. ſi enim aliquis actus lege vetitus fieret cum ignorantia invincibili vel involuntariæ & non libere, ejuſmodi actus eſſet contra præceptum, directe opponeretur præcepto, & tamen non eſſet peccatum formaliter, eo ſcilicet quod adjunctam non haberet privationem rectitudinis: proindeque id quod poſitivum eſt in actu peccati formaliter.

Objicies denique: ſi malitia peccati aliqua privatio eſt, Deus qui propter peccati malitiam plectit homines, reputabitur illos punire propter nihilum, privatio enim nihil eſt: abſurdum conſequens, ergo & antecedens.

Nego maj. ejuſmodi enim privationes rei ſcilicet debitæ non ſunt purum nihil, quis enim dixerit nihil acceſſiſſe homini qui mala fortuna factus eſt cæcus, num cæcitas nihil eſt? Deinde ſequeretur peccatum omiſſionis aut nunquam puniendum, aut eſſe quid reale & poſitivum.

Utrum poſſit eſſe peccatum omiſſionis ſine ullo actu poſitivo.

Aliter proponitur iſta quæſtio, an ſcilicet dari poſſit pura omiſſio quæ ſit culpabilis, hoc eſt, omiſſio ſine ullo voluntatis actu quæ tamen peccato imputetur, cujus difficultatis ratio hæc eſſe videtur, quod ſublato quovis actu omiſſio intelligi non poſſit voluntaria.

Nomine peccati omiſſionis intelligitur carentia actus quem elicere tenebatur is qui omittit, ut ſi quis omittat audire Miſſam die Feſto.

Eſt autem obſervandum duplicem diſtingui poſſe actum qui ſit cauſa ejuſmodi omiſſionis, actum ſcilicet internum ipſius voluntatis, quo quis poſitive nollet facere id quod facere tenetur præcepto affirmativo, ut ſi quis diceret expreſſe, Nolo Miſſam audire hac die Dominica; & actum externum, ſeu aliud quodcunque opus quod quis exerceret die Feſto loco auditionis Miſſæ.

Idque dupliciter intelligitur; primo, ita ut actus iſte externus ſit cauſa ejuſmodi omiſſionis per ſe & directe, ut ſi quis eo tempore quo tenetur audire Miſſam velit ludo vel ſomno indulgere, ut illum actum non exerceat; ſecundo, ita ut actus non ſit cauſa omiſſionis niſi per accidens & indirecte, ut ſi quis vel ex amore ſcientiæ vel oblectamenti cauſa ſtudio intentus omittat die

die Feſto audire Miſſam non intendens ejusmodi omiſſionem.

Item notare eſt actum illum exteriorem qui cauſa vel occaſio omiſſionis, aliquando antecedere omiſſionem & aliquando eam comitari; antecedit quidem, ut ſi quis noctu nimium potavit, ex eo ſequitur moraliter loquendo eventurum eſſe, ut die ſequenti aliquem actum imperatum non poſſit exercere; comitatur vero, quando conjunctus eſt cum ipſa omiſſione, ut ſi quis ludat quo tempore Miſſam audire deberet.

His præmiſſis tres ſunt potiſſimum de propoſita quæſtione Theologorum ſententiæ.

Prima eſt eorum qui docent cuilibet omiſſionis peccato conjunctum eſſe aliquem actum qui ſit cauſa illius; ita cenſent Magiſter in 2. diſt. 35. cap. 11. Albert. in 2. diſt. 35. art. 3. ad 2. S. Bonavent. ibid. Capreolus q. 1. art. 1. Henricus a Gandavo quodlib. 12. Alexander Hal. 2. p. q. 114. memb. 10.

Oppoſita ſententia eſt veram ac proprie dictam omiſſionem reperiri ſine actu qui ſit vel cauſa vel occaſio illius; ita ſenſerunt Ricard. in 2. diſt. 35. art. 1. q. 1. Durandus eadem diſt. q. 2. Ochamus in 3. q. 10. Marſil. in 2. q. 21. Adrianus in 4. q. 3. de Euch. Almainus in 3. tract. Moral. c. 25. & alii plures.

Tertia vero ſententia, quæ aut parum aut nihil omnino differt a ſecunda, eorum eſt qui cum aliqua diſtinctione propoſitam quæſtionem pertractant, ajunt rei veritate quidem ut plurimum & moraliter loquendo nullum eſſe peccatum omiſſionis ſine aliquo actu interno vel externo, antecedente vel concomitante, qui ſit cauſa vel occaſio illius; ſed tamen abſolute & metaphyſice loquendo dari & cogitari poſſe peccatum omiſſionis ſine quolibet actu tam interno quam externo, tam antecedente quam comitante, cui ſententiæ libenter ſubſcribimus.

Prima Conclusio.

Ut plurimum & moraliter loquendo nullum eſt peccatum omiſſionis ſine aliquo actu interno vel externo, antecedente vel concomitante, qui ſit cauſa vel occaſio illius.

Probatur quia is qui omittit rem debitam & præceptam, qui v. g. omittit audire Miſſam in die Feſto, vel animum advertit ad præceptum vel non advertit: ſi primum, hoc eſt ſi cogitat inſtare tempus quo juxta præceptum tenetur audire Miſſam, impoſſibile eſt moraliter loquendo eum ab omni actu voluntatis abſtinere, ita ut neque velit neque nolit audire Miſſam; conſequenter enim ad ejusmodi advertentiam ei dictat conſcientia urgere obligationem audiendi Miſſam, unde neceſſe eſt eum tunc illis conſcientiæ ſtimulis obedire per aliquem ſcilicet actum voluntatis quo velit Miſſam audire, vel contra reſiſtere per alium voluntatis actum quo poſitive nolit Miſſam audire, aliter quippe tunc temporis affectus eſt homo ac ſi ei quippiam agendum proponeretur, quod licite poſſet omittere, in hac enim hypotheſi facile intelligitur eum ſe habere mere paſſive, & nullum voluntatis actum exercere: ergo quando quis animum advertit ad actionem præceptam moraliter loquendo, impoſſibile eſt eum ab omni actu voluntatis abſtinere.

Si vero ſupponatur hominem non advertere nec cogitare de obligatione præcepti quo teneretur audire Miſſam, tunc omiſſio voluntaria eſt in ſua cauſa, hoc eſt, in illis actionibus quæ hujus inadvertentiæ cauſa ſunt vel occaſio: ſane experimento compertum eſt ejusmodi inconſiderantiam vel etiam legis ipſius oblivionem, qualis eſt in ſceleſtiſſimis hominibus maxime voluntariam eſſe in ſua cauſa, hoc eſt, in multis flagitiis antecedentibus, quo fit ut

ut ejusmodi omiſſio vitio illis ſemper vertatur : ergo ut plurimum & moraliter loquendo nullum eſt peccatum omiſſionis ſine aliquo actu interno vel externo, antecedente vel comitante.

Secunda Conclusio.

Abſolute loquendo dari poteſt peccatum omiſſionis absque ullo actu vel antecedente vel concomitante.

Ratio eſt, quia ſi ad pecatum omiſſionis requireretur aliquis actus, vel ut eſſet vera omiſſio, vel ut eſſet verum ac proprie dictum peccatum; atqui ad peccatum omiſſionis non requiritur actus poſitivus aut antecedens aut concomitans, neque ut ejusmodi omiſſio ſit veri nominis omiſſio, neque ut illa ſit verum peccatum. Non primum, quod enim ex ſua ratione & eſſentia eſt mera actus privatio, non includit neceſſario aliquem actum : ſed omiſſio prout omiſſio, eſt mera actus privatio, eſt ceſſatio ab omni actu, omittere eſt non agere : ergo ad peccatum omiſſionis non requiritur actus poſitivus, ut ſit vera & proprie dicta omiſſio. Neque ſecundum; nam ad hoc ſatis eſt quod mera voluntatis ſuſpenſio in eo qui tenetur præceptum adimplere, ſit verum peccatum : atqui mera & ſimplex voluntatis ſuſpenſio in eo qui tenetur præceptum adimplere & quando ad id tenetur, verum eſt peccatum, qui v. g. in die Dominica teneretur ſub pœna peccati Miſſam audire, tametſi ſupponatur ab omni actu voluntatis abſtinere, quo nempe velit poſitive non audire Miſſam, vel quo aliud quid contrarium ſibi agendum proponat, ut v. g. ſtudere, vel ludere; nihilominus tamen ejusmodi omiſſio verum eſt peccatum ; is etenim tenetur audire Miſſam & actum voluntatis elicere de audienda Miſſa, aliunde vero poteſt illum voluntatis actum elicere, nihil eſt cauſæ cur non ſe determinet ad illum actum : & quemadmodum a peccato excuſare non poteſt qui aliquid opus præceptum omiſit præ ignorantia quam ſtudio depellere potuit ; ita, ſimiliter a peccato non erit immunis, qui ab ejusdem præcepti obſervatione abſtinebit propter cujuscunque actus vel advertentiæ vel voluntatis ſuſpenſionem in qua potuit non manere ; igitur mera voluntatis ſuſpenſio ſine ullo actu aliquando peccatum eſt.

Objicies : omne peccatum debet eſſe voluntarium : ſed pura omiſſio, quæ ſcilicet nullum involvat actum, non poteſt eſſe voluntaria : quod enim voluntarium eſt debet eſſe volitum, per actum videlicet voluntatis: ergo.

Nego min. ad probat. diſt. quod voluntarium eſt debet eſſe volitum, ſi ſit voluntarium tanquam actus, C. tanquam omiſſio, N. Equidem quod eſt voluntarium poſitive & per modum actus, quomodo peccata commiſſionis ſunt voluntaria, hoc ipſum debet eſſe volitum per actum voluntatis, non autem quod eſt voluntarium, per modum omiſſionis, ſatis eſt enim ſi ejusmodi res in poteſtate hominis fuerit: ſatis eſt quod qui omiſit præceptum adimplere, potuerit non omittere. Eſt iſta reſponſio S. Thomæ hanc eandem quæſtionem pertractantis 1. 2. q. 71. art. 5. ubi cum iisdem verbis hanc objectionem ſibi propoſuiſſet, ſic etiam reſpondet, *Ad ſecundum dicendum*, inquit, *quod aliquid dicitur voluntarium, non ſolum quia cadit ſuper ipſum actus voluntatis, ſed quia in poteſtate noſtra eſt ut fiat vel non fiat, ut dicitur in 3. Ethicorum. Unde etiam ipſum non velle poteſt dici voluntarium, in quantum in poteſtate hominis eſt velle & non velle*. Scilicet cum voluntas eatenus ſit libera, quatenus eſt indifferens ad agendum vel non agendum, ea profecto ſuam exercet libertatem non agendo uti & agendo ; præſertim ſi in ejus poteſtate ſit agere, quando non agit ; adeoque & ipſa, ut

ut ita dicam, non actio ſeu omiſſio cenſetur libera, per modum ſcilicet omiſſionis, ſine ullo poſitivo voluntatis actu.

Et certe ea omiſſio cenſeri debet libera reſpectu cujus voluntas non fuit neceſſitata: atqui reſpectu omiſſionis plerumque voluntas non fuit neceſſitata: ponamus enim hominem die Dominica non audire Miſſam ex mero & ſimplici otio, ſublato quovis actu voluntatis, quo voluerit non audire Miſſam, poſitis omnibus ad Miſſam audiendam requiſitis, certe dici non poteſt ejuſce hominis voluntatem fuiſſe neceſſitatam ad illam omiſſionem, is enim qui ne quidem cogitavit de audienda Miſſa, poterat cogitare: igitur omiſſio pura recte cenſetur libera.

Inſtabis: non fit omiſſio alicujus præcepti ſine aliquo motivo, ideo enim v. g. Breviarium non recitat clericus, quia vult ſtudere, vel quia vult ludere: ſed nemo ſibi proponit aliquod motivum ſine actu poſitivo voluntatis: ergo.

Diſt. maj. ut plurimum & moraliter loquendo, C. ſemper ac neceſſario, N. Fieri enim poteſt omiſſio rei præceptæ ſine ulla advertentia, ſine ulla cogitatione, ex mera voluntatis ſuſpenſione, quare autem & quo ſenſu aliquid poteſt eſſe voluntarium, tametſi factum ſine advertentia, abunde, ut puto, expoſui in fine tractatus de actibus humanis, ubi de peccato philoſophico.

Inſtabis: peccatum omiſſionis eſt ſpecies peccati actualis, neque enim eſt quoddam peccatum originale, ſed pertinere non poteſt ad peccatum actuale, niſi aliquem includat actum: ergo.

Nego min. peccatum enim omiſſionis cenſetur pertinere ad peccatum actuale, hac ſolum regula quod negatio eſt actus debiti, omiſſio alicujus actus præcepti, non autem quod neceſſario includat aliquem actum.

Objicies: formale cujuſcumque peccati eſt privatio rectitudinis debitæ actui: ergo ubi nullus eſt actus, nullum eſſe poteſt peccatum.

Diſt. ant. actui vel voluntati, C. actui ſemper, N. Scilicet formale peccati commiſſionis eſt privatio rectitudinis debitæ actui humano, ut ſupra diximus; formale autem peccati omiſſionis eſt privatio rectitudinis debitæ voluntati, voluntas reſpicitur ut ſubjectum actu debito privatum, quando nempe voluntas non elicit vel non exercet actum præceptum.

Objicies: non magis peccatum poteſt eſſe abſque aliquo actu quam bonum & meritum: atqui meritum non poteſt eſſe abſque aliquo actu; ergo nec peccatum.

Nego maj. diſparitas eſt, inquit S. Thomas, quod plura requiruntur ad bonum quam ad malum, bonum enim ex integra cauſa, malum autem ex minimo defectu; & ideo peccatum contingere poteſt, ſive aliquis faciat quod non debet, ſive non faciat quod debet, proindeque meritum non poteſt eſſe ſine actu, peccatum autem poteſt eſſe ſine actu.

Objicies: ſi peccatum eſſe poſſet ſine ullo actu, ſequeretur hominem fieri poſſe de juſto peccatorem ſine ulla re ſibi ſuperaddita, abſque ulla ſui mutatione: abſurdum conſ. ergo & ant.

Diſt. maj. abſque ulla ſui mutatione phyſica, C. mutatione morali, N. nimirum qui omittit præceptum adimplere in debitis circumſtantiis reus fit peccati, Dei inimicus, & pœnarum debitor, unde mutatur ſaltem moraliter.

Objicies: eſt aliquod diſcrimen inter omiſſionem actualem & habitualem: ſed nullum foret, ſi omiſſio actualis non includeret aliquem actum: ergo.

Nego min. actualis enim cenſetur omiſſio, quando actus in tempore debito omittitur; tunc enim, ſi ita loqui fas eſt, fit omiſſio quando non fit actus præceptus; quamvis nullus tunc inter-

veniat voluntatis actus: at vero poſt plures ejuſmodi omiſſiones, generari dicuntur habitus, habitus ſcilicet atque facilitas omittendi.

Objicies: non poteſt dari omiſſio pura ſi voluntas nunquam poſſit actum imperatum omittere ſine aliquo actu: atqui voluntas non poteſt actum imperatum omittere ſine aliquo actu: non magis enim voluntas poteſt aliquem actum imperatum omittere ſine aliquo actu, quam intellectus hanc & illam poſſit cogitationem abjicere ſine aliqua cogitatione: atqui intellectus non poteſt hanc & illam cognitionem abjicere ſine aliquo actu, ſine aliqua cogitatione, nihil cogitando: ergo nec voluntas poteſt actum imperatum omittere ſine aliquo actu.

Nego min. ad probationem nego maj. & par ratio diſparitatis eſt, quia intellectus eſt facultas neceſſaria quæ ſemper agit, quando nempe ipſi offeruntur ſpecies intentionales objectorum; unde nec abſtineret ab omni cogitatione, etiam quando voluntas id ipſi præciperet: ſi enim intellectus non cogitaret, tunc voluntas nullam exerceret volitionem, ſiquidem hæc non fertur in incognitum: at vero voluntas eſt facultas formaliter libera; ſed facultas libera ea eſt, ut diximus, quæ poſitis ad agendum requiſitis agere poteſt vel non agere, actum elicere vel non elicere; unde non minus ſuam exercet libertatem quando non agit, ac ſi revera erumpat in actum, in utroque enim ſita eſt ratio libertatis; quo fit ut omiſſio ſit proprie loquendo libera, tametſi nullum voluntatis actum contineat, & ſine ullo voluntatis actu fiat.

Quærunt hic Theologi, utrum per plures omiſſiones aliqui generentur habitus.

Reſpondeo, duplex eſſe omiſſionum genus, ſunt enim omiſſiones puræ, de quibus modo actum eſt, quæ nullum voluntatis actum includunt; ſunt autem aliæ non puræ quæ fiunt per actum voluntatis, quo quis poſitive vult omittere quod eſt in præcepto.

Jam vere pura omiſſio proprie & per ſe nullum generat habitum, quia habitus proprie non generatur niſi per actus, in omiſſione autem pura nullus eſt actus; per accidens tamen omiſſio pura generat habitum, quatenus per longam ceſſationem ab actibus producuntur habitus oppoſiti iis a quorum actibus fit ceſſatio. At ſi fiat omiſſio per actum voluntatis quam appellamus omiſſionem non puram, certe per ejuſmodi actus voluntatis ſæpius repetitos producitur habitus omiſſionis, his enim acquirit voluntas & inclinationem & facilitatem ad ſimiles deinde actus exercendos: hæc manifeſte beneficio exemplorum innoteſcunt.

Quæres quandonam imputari debeat omiſſio ad culpam, an ſtatim atque aliquis exponit ſe periculo non adimplendi præceptum, ut ſi die Dominica circa horam decimam eat dormitum cum periculo non audiendi Miſſam; an vero in eo ſolum inſtanti quo præceptum implere non poteſt; cum jam nullum ſupereſt tempus ad Miſſam audiendam data hora prima poſt meridiem.

Reſpondeo, ſi ſermo ſit de omiſſione pura cujuslibet actus experte, peccatum omiſſionis non eſſe completum niſi quo tempore præceptum amplius obſervari non poteſt; tunc enim ſolum eſt omiſſio actus debiti, antea vero eſt ſemper in poteſtate hominis præceptum implere: quanquam ab omni prorſus culpa excuſari non poteſt, quiſquis urgente præcepto mox implendo, externis ſe implicat negotiis cum periculo impotentiæ non adimplendi præceptum; hæc porro moraliter & ex ſaniori prudentum judicio æſtimari debent.

Quæres inſuper an actus antecedens omiſſionem vel cum ea conjunctus, ſi ſit incompoſſibilis cum actu præcepto qui omittitur, ſit peccatum.

Reſ-

ed by Google

Reſpondeo ejuſmodi actus qui fiunt tempore omiſſionis vel paulo ante, dupliciter poſſe cum illa omiſſione comparari, primo ita ut in genere cauſæ moralis ad eam concurrant; ut ſi quis cum apud ſe conſtituerit die Feſto non audire Miſſam, ne ſit otioſus, ſtudet Scripturæ vel viſitat ægrotos: ſecundo ita ut illi actus per accidens tantum comitentur omiſſionem, & in genere cauſæ moralis ad illam non concurrant.

Jam vero ſi actus in genere cauſæ moralis concurrant ad omiſſionem quæ peccatum eſt, tunc & ipſi peccata ſunt, quantumvis alioqui boni ſint; ut enim actus ſit malus, ſufficit defectus circunſtantiæ temporis, malum enim fit ex minimo defectu; ſed ejuſmodi actus peccant defectu circunſtantiæ temporis, quia fiunt in tempore indebito; quamvis enim malum non ſit ſtudere ſimpliciter, tamen malum eſt ſtudere tempore indebito & quando hac via impeditur præcepti alicujus obſervatio; quemadmodum aliquis actus de ſe bonus & honeſtus efficitur quandoque malus propter eventum, nempe propter ſcandalum quod vitari poterat: igitur quando aliquis actus cauſa eſt moraliter influens in omiſſionem aliquam culpabilem, habet & ille actus peccati rationem.

Nec dicas tales actus nullo præcepto eſſe prohibitos, qualis eſt ille qui citatur in allato exemplo, quo quis ſtudet & omittit audire Miſſam, nullo enim præcepto prohibetur ſtudere die Dominica; alioqui ſequeretur eum ſtudendo peccare, præterquamquod peccat non audiendo Miſſam, quod videtur abſurdum.

Namque reſpondemus eo præcepto quo præcipitur audire Miſſam, nobis etiam præcipi ut tollamus omnia impedimenta quæ ab obſervatione præcepti avocare poſſunt; quare hoc eodem præcepto prohibetur omiſſio & quicquid de ſe cauſa eſt omiſſionis. Id unum autem ſequitur ex propoſito difficultate ejuſmodi actum, qui cauſa eſt omiſſionis, quia alioqui de ſe licitus eſt & honeſtus, nulloque præcepto prohibitus malum eſſe eadem malitia qua mala eſt & ipſa omiſſio, quod utique confitemur, neque enim alia ex ratione actus ille malus eſt, quam quia cauſa eſt omiſſionis quæ peccatum eſt.

Sed ſi ejuſmodi actus, de ſe aliunde liciti & honeſti nulla ratione concurrant in genere cauſæ moralis ad peccatum omiſſionis, tunc certe non ſunt peccata; neque enim de ſe mali ſunt, ut ſupponimus, neque per ſe cauſa ſunt omiſſionis ut ſimiliter ſupponitur, nec denique peccant in circunſtantia temporis debiti, quia licitum eſt ſtudere die Dominica, modo id cauſa non ſit omiſſionis præcepti quo quis tenetur audire Miſſam.

Quærunt inſuper Theologi utrum actus qui eſt cauſa directa vel indirecta omiſſionis, ſit peccatum commiſſionis, an vero omiſſionis.

Reſpondeo ejuſmodi actum, ſi nempe de ſe aliunde non ſit malus, eſſe peccatum omiſſionis non commiſſionis. 1. Quia actus qui non aliunde malus eſt quam quia eſt cauſa omiſſionis, eſt peccatum omiſſionis tantum: ſed actus hujuſmodi non aliunde malus eſt quam quia eſt cauſa omiſſionis, ſupponitur enim de ſe indifferens, qualis eſt actus quo quis ſtudet per integrum diem feſtum quo fit ut non audiat Miſſam. 2. Quia ſi actus ille qui omiſſionis cauſa eſt nec aliam omnino habet malitiam, quam quia illius cauſa eſt, eſſet peccatum commiſſionis, in omni peccato omiſſionis duplex ſpecie peccatum eſſet; abſurdum conſequens; ſatis eſt enim ei qui Miſſam die feſto omiſit, dicere in confeſſione ſe Miſſam omiſiſſe, ut fatentur omnes: ergo.

Quæres undenam petenda ſit peccati omiſſionis gravitas.

Reſpondeo primo malitiam omiſſionis

ſeu

ſeu malitiæ gravitatem æſtimandam ex perfectione actus qui omittitur: nam ex eo gravitas peccati æſtimari debet, quo poſito peccatum gravius eſt: atqui poſita majore actus omiſſi perfectione peccatum omiſſionis gravius eſt; qua enim ratione peccatum omiſſionis ideo peccatum eſt, quia privatio alicujus boni debiti eſt, eadem certe gravior & magis culpabilis cenſeri debet illa omiſſio, quo majus eſt bonum cujus eſt privatio: ergo ex perfectione actus qui omittitur æſtimari debet omiſſionis gravitas.

Reſpondeo ſecundo omiſſionis gravitatem recte quoque æſtimandam ex majori rationis advertentia & libertate, qua nimirum volita fuit ejuſmodi omiſſio; nam ex eo penſitari debet malitia omiſſionis, quo poſito in omnibus Theologiæ moralis principiis gravior cenſetur peccati malitia: atqui poſita majori rationis advertentia & libertate in omnibus Theologiæ moralis principiis gravior cenſetur peccati malitia; cum enim libertas ſit principium meriti & demeriti, & quidem potiſſimum, cujus imprimis ratio habetur, ut judicetur an actio ſit bona vel mala, neceſſe eſt ut peccatum quodcunque eo ſit gravius, quo fit cum majori advertentia & libertate; adeoque ex illa majori advertentia & libertate, qua nimirum volita fuit aliqua culpabilis omiſſio, æſtimari debet ejuſmodi omiſſionis malitia.

Neque vero contendimus ex illis tantum duabus cauſis repetendam eſſe malitiam omiſſionis ſeu malitiæ gravitatem; poſſunt quippe & aliæ ſimiliter occurrere, quia univerſe loquendo cum ſermo habetur de rebus moralibus, ex omnibus ſimul circunſtantiis perſonæ, loci, & temporis æſtimatur actionis aut omiſſionis qualitas.

Diviſio peccati actualis in mortale, & veniale.

Circa iſtam diviſionem hæ proponuntur quæſtiones. 1. Utrum peccatum mortale & veniale differant ex natura ſua. 2. qua ratione ſtet illa differentia inter peccatum mortale & veniale. 3. Utrum ex pluribus peccatis venialibus coaleſcere poſſit unum mortale. 4. Et nonnullæ ſolvuntur difficultates de peccato veniali.

Utrum peccatum mortale, & veniale differant ex natura rei.

Nomine peccati mortalis intelligitur illud quod mortem animæ meretur, de quo dicitur Sapient. cap. 16. *Homo enim per malitiam occidit animam ſuam.* Inſuper vero mortale dicitur, quia cum amicitiam Dei diſſolvat, hominem reddit morte æterna gehennæ dignum. Veniale dicitur non illud quod veniam obtinet, hoc ſenſu enim graviſſima quæque prædeſtinatorum ſcelera forent venialia, ſed illud quod ex ſe, quoniam leviſſimum eſt, hominem non reddit Deo inimicum, nec mortem æternam meretur. Non ignoro Catholicos quoque Doctores ea peccata interdum appellaſſe venialia, quæ homini remittuntur quantumvis aliunde graviſſima, ut recte obſervavit S. Thomas 1. 2. q. 88. art. 2. ex ſententia Divi Ambroſii lib. de Paradiſo cap. 14. ubi ait omne peccatum per pœnitentiam fieri veniale. Verum peccatum veniale hic intelligimus, quod ex ſuapte natura ejuſmodi eſt ut facile ſit ejus veniam obtinere, quia nimirum per ſe leve eſt.

In doctrinam Catholicam mox a nobis, quoad poterimus, firmiſſimis momentis ſtabiliendam, plures & diverſimode inſurrexerunt hæretici.

Paria eſſe omnia peccata cum Stoicis docuerunt Jovinianiſtæ, ut referunt S. Au-

S. Auguſt. lib. de hæreſibus hæreſi 82. & S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum c. 17? his verbis: *De eo autem quod niteris approbare convitium & homicidium, raca & adulterium, & otioſum ſermonem & impietatem uno ſupplicio repenſari, jam & ſupra tibi reſponſum eſt, & nunc breviter reſpondebo: aut peccatorem te negabis, ut non ſis reus gehennæ; aut ſi peccator fueris, etiam de levi crimine duceris ad tartarum.* Quæ quidem verba dubio procul non legerat Alphonſus a Caſtro, qui lib. 12. adverſ. hæreſ. hæc ſcribit, *Octava hæreſis aſſerit omnia peccata eſſe paria, quemadmodum habent Stoicorum paradoxa. Hanc hæreſim tribuit B. Auguſt. Joviniano Monacho. Beatus tamen Hieronymus, qui duobus libris contra errores hujus Joviniani diſputat, nunquam hujus erroris meminit, neque illum Joviniano unquam impingit.*

Hunc in Luthero trigeſimum ſecundum articulum confutat Roffenſis, quo nempe dixerat ille *Opus bonum optime factum eſſe veniale peccatum*, ubi & pronuntiat hoc veniale peccatum non natura ſua, ſed miſericordia Dei tale eſſe, quia Deo dixit David, *non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*.

Peccati mortalis & venialis diſcrepantiam via duplici oppugnavit Calvinus, nimirum ex una parte docens omnia peccata eſſe mortalia ex natura rei; ex altera vero nulla dari mortalia in prædeſtinatis, ſed graviſſima quæque ut homicidium & adulterium eſſe tantum venialia: quod quidem Calvino cum tribuunt Catholici, nec mendacii nec impoſturæ titulum merentur, qualem propterea ipſis affingit Calviniſta Chamierus 3. p. lib. 6. cap. 7.

Audiatur Calvinus ipſe lib. 3. Inſtit. cap. 4. num. 28. *Hic in aſylum confugiunt ineptæ diſtinctionis, peccata quædam venialia eſſe, quædam mortalia: pro mortalibus gravem ſatisfactionem deberi, venialia facilioribus remediis purgari . . . Nos autem peccati ſtipendium pronuntiamus eſſe mortem, & animam quæ peccaverit morte dignam*. Ecce primum in verbis Calvini diſertum eſt, agnoſcit enim cujuslibet peccati ſtipendium eſſe mortem, ſic vero pergit: *Cæterum fidelium peccata venialia eſſe, non quia non mortem mereantur, ſed quia Dei miſericordia nulla eſt condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, quia non imputantur*. Ubi agnoſcit in infidelibus nulla eſſe peccata mortalia, quia nempe illis non imputantur.

Atque hoc peſtilentiſſimum erroris portentum longe clarius expreſſum paſſim legimus in ſcriptis Calviniſtarum: unus inter eos clariſſimus Zanchius in Miſcell. tom. 2. pag. 651. ſic loquitur: *In renatis & vera fide præditis, omnia peccata ſunt venialia, in reprobis omnia mortalia*. Idem paſſim legitur apud Chamierum & Vendelinum hujus ſectæ nobiles patronos; *Non unus Marloratus docet*, inquit Grotius Rivet. Apolog. diſcuſſ. p. 217. *fidelium peccata omnia eſſe venialia, non imputari, non ob id eos ſeparari a gratia Dei, non poſſe eos mori in peccatis, nullis flagitiis renatos fidem perdere, & ſimilia multa, quæ non ſunt Grotii ſomnia aut commenta, ſed eorum, qui ſe reformatos vocant, communia placita, quæ D. Rivetus nunquam damnare audebit, ſed inanibus diſtinctiunculis quærit eludere. Beza Davidem ait, cum homicidio & adulterio pollutus eſſet, retinuiſſe Spiritum Sanctum, & perire ſe velle ſi doceret aliud.*

Quibus obſervatis, miſſa etiam hac poſteriori Calvinianæ impietatis parte, qua nulla in prædeſtinatis putant eſſe peccata mortalia, adeoque quod vel recitare perhorreſcit animus, gratiam Dei nullo quantumvis graviſſimo ſcelere amitti poſſe, quia nefarium hoc dogma jam confutavimus in tractatu noſtro de juſtificatione & merito, nunc præſens poſtulat inſtitutum, ut de alio errore agamus, oſtendamuſque non omnia peccata

cata

Digitized by Google

cata eſſe mortalia ex natura ſua, quædam eſſe venialia per ſe & ex natura ipſius actionis; ita ut ſint independenter a conditione peccantis aut miſericordia Dei.

Dixi venialia ex natura ſua: namque, quod hic diligentiſſime obſervandum eſt, aperte fatentur Calviniſtæ dari peccata mortalia, dari & venialia; ſed contendunt, quæcumque venialia ſunt, talia eſſe propter miſericordiam Dei ea condonare volentis, licet mortem mereantur; quapropter id unum nunc demonſtrandum incumbit, dari quædam peccata venialia hoc ſenſu quod ex natura ſua independenter a miſericordia Dei mortem non mereantur; unde manifeſte ſequatur legitimam eſſe hanc diviſionem peccati in mortale & veniale, tanquam generis in ſpecies, cum aliud ſit mortale, aliud veniale ex natura ſua.

Conclusio.

Dantur peccata quæ venialia ſunt ex natura ſua & independenter a conditione peccantis aut miſericordia Dei.

Id primum colligitur ex ſcripturis, Math. 5. cap. hæc ſunt Chriſti Domini verba, *qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio; qui dixerit raca, reus erit concilio; qui dixerit fatue, reus erit gehenna ignis*. Ubi duo convitii genera deſcribuntur leviora quam ut gehennam ignis mereantur; fruſtra enim tria hæc diſtinguerentur, ita ut poſtremo ſolum adjudicaretur pœna æterna, ſi eadem eſſet omnium ratio. Neque eſt quod dicatur ex hoc loco certum duntaxat haberi peccata eſſe alia aliis graviora, ideoque etiam pœnas alias aliis majores, quod utique nemo unquam negaverit; ſiquidem Chriſtus Dominus ejuſmodi peccata eſſe talia, pœniſque talibus digna non definit ex mero arbitrio, ſed monet ſolum multiplex eſſe iracundiæ genus, ſuapte ſcilicet natura diverſum, cui proinde multiplex & diverſa correſpondet pœna; multiplex, inquam, ita ut quædam ſit levior quam ut gehennam ignis mereatur; quo fit ut manifeſte doceat Chriſtus dari peccata venialia, id eſt levia de ſe & ex natura ſua.

Sunt & alia quamplurima loca in quibus legitur neminem ſine peccato vivere; ita ut nec ipſi juſti ab omni peccato immunes ſint; Eccleſiaſtis c. 7. *Non eſt homo juſtus in terra qui faciat bonum & non peccet*. Proverb. 24. *Septies cadet juſtus & reſurget*. 1. Joan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Jacobi 3. *In multis offendimus omnes*. Certe de ſe ipſo loquebatur Jacobus qui ab amicitia Dei non deſciverat: porro ſi juſti ſunt plerumque homines & tamen peccant, datur ergo aliquod peccatum quod non privat amicitia Dei, nec dignum eſt quod pœna æterna puniatur.

Præterea legimus in iiſdem Scripturis quædam peccata comparari rebus natura leviſſimis, alia rebus graviſſimis, Matth. 7. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* 1. ad Corint. 3. *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit*. Hoc loco lignum, fœnum, & ſtipula manifeſte ſignificant opera inutilia, ſeu peccata venialia, quæ quidem purgatione indigent, ſed quæ mortem æternam non afferant, ut docent S. Ambroſius Serm. 20. in Pſal. 118. S. Aug. lib. 21. de Civit. Dei cap. 26. & S. Greg. M. lib. 4. Dialog. 39.

Quibus adde Scripturas longe mitius loqui de nonnullis peccatis, quam de aliis quæ ſunt omnium conſenſu peccata lethalia, Matth. 12. *Dico autem vobis: quoniam omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*. Cum ex adverſo gravioribus peccatis mors æter-

na

Digitized by Google

na paſſim adjudicetur, 1. Corinth. 6. *Neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri &c. regnum Dei poſſidebunt*. Epheſ. 5. *Omnis fornicator aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei*. Galat. 5. *qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*.

Probatur item eadem doctrina ex SS. Patribus qui peccata venialia ubique diſtinguunt a mortalibus, per certas ſcilicet notas ad naturam ipſam peccatorum pertinentes, venialia enim deſignant ut levia, quotidiana; mortalia autem ut gravia, ut ſcelera, ut crimina, nuſpiam vero ad miſericordiam Dei recurrunt, aut peccantis conditionem.

Nimirum id aperte tradit Origenes Homil. 5. in Levit. *Puto ego delictum quidem commiſſum eſſe levius aliquanto quam peccatum ad mortem; de delicto non legimus quod eſſe dicatur ad mortem*. Et in Lucam Homil. 35. *Unuſquiſque pro qualitate peccati diverſam mulctæ ſententiam expendit; ſi parvum eſt quod peccas, ferieris damno minuti, ut Lucas ſcripſit; ut vero Matthæus, quadrantis*.

Tum vero S. Chryſoſtom. Homil. 16. in Matth. ſuper illud cap. 5. *omnis qui iraſcitur fratri ſuo &c.* ubi hæc ſcribit, *Eum qui ſine cauſa iraſcitur, judicio condemnat: eum vero qui dixerit raca, reum condemnat eſſe concilio. Sed adhuc iſta non magna ſunt, hæc enim idcirco non ſunt memorata ſupplicia, ut cum qui fratri ſuo fatue dixiſſet, gehennæ ignibus deputaret*.

S. Hieronymus in cap. 7. Matth. exponens illa verba, *quid autem vides feſtucam, &c. de iis loquitur*, inquit, *qui cum ipſi mortali crimine teneantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt, culicem liquantes & camelum glutientes*. Ubi per minora peccata intelligit venialia, hæc enim opponit mortalibus. Et lib. 2. adverſus Jovinianum cap. 17. qui peccata paria eſſe dicebat. *Igitur cum parricidis & adulteris punieris: nulla eſt enim inter peccata diverſitas, & non tibi habebunt tantas gratias, quos de humili in ſublime levas: quantum iraſcentur quos propter leve quotidianumque peccatum in exteriores tenebras retruſiſti*.

S. Ambroſius lib. 2. de pœnitentia cap. 10. *Sicut baptiſma*, inquit, *ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati, ſed hæc delictorum leviorum, illa graviorum*.

Tum vero S. Auguſtinus, qui lib. de natura & grat. cap. 36. aſſerit nonnulla eſſe in juſtis peccata quæ in iis amicitiam Dei non diſſolvunt, *ſi omnes ſanctos & ſanctas, cum hic viverent congregare poſſemus & interrogare, utrum eſſent ſine peccato, quantalibet fuerint excellentia ſanctitatis, ſi hoc interrogari potuiſſent, una voce clamaſſent, ſi dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*. Et lib. 3. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 3. *Quidam filii hujus ſæculi ſunt, & tamen filii diaboli non ſunt, quamvis enim diabolus ſit autor & princeps omnium peccatorum, non tamen filios diaboli faciunt quæcunque peccata. Peccant enim & filii Dei, quoniam ſi dixerint ſe non habere peccatum, ſe ipſos ſeducunt, & veritas in eis non eſt. Sed ea conditione peccant, qua ſunt filii adhuc hujus ſæculi, qua vero gratia ſunt filii Dei non peccant; quia omnis qui natus eſt ex Deo non peccat*. Idem docet Enchirid. c. 78.

Simillimum eſt quod ſcribit S. Greg. M. lib. 21. Moral. cap. 9. *Hos inter peccatum diſtat & crimen, quod omne crimen peccatum eſt, non tamen omne peccatum crimen eſt. Et in hac vita multi ſine crimine, nullus vero eſſe ſine peccatis valet. Unde & prædicator ſanctus, cum virum dignum gratia ſacerdotali ſcriberet, nequaquam dixit ſi quis*

ſine peccato : ſed , ſi quis ſine crimine eſt . Quis vero eſſe ſine peccato valeat , cum Joannes dicat , (ſi dixerimus quia peccatum non habemus , noſmetipſos ſeducimus , & veritas in nobis non eſt .) In qua videlicet peccatorum & criminum diſtinctione penſandum eſt, quia nonnulla peccata animam polluunt , quam crimina extinguunt. Quibus ſane ad ſtabiliendam præſentem doctrinam nihil illuſtrius afferri potuit.

Addimus autoritatem Concilii Milevitani, quod in Canonibus 6. 7. & 8. pronuntiat quemlibet juſtum merito dicere poſſe non modo pro aliis , ſed & pro ſe ipſo, *dimitte nobis debita noſtra, &c.* quia legitur apud Jacobum cap. 3. Epiſtolæ , *in multis offendimus omnes* , & in Epiſt. S. Joan. cap. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus , ipſi nos ſeducimus , & veritas in nobis non eſt* .

Tum vero & Concilii Trident. ſic loquentis ſeſſ. 6. cap. XI. *Licet enim in hac mortali vita , quantumvis ſancti & juſti in levia ſaltem & quotidiana , quæ etiam venialia dicuntur , peccata quandoque cadant , non propterea deſinunt eſſe juſti , nam juſtorum illa vox eſt & humilis & verax : dimitte nobis debita noſtra* . Porro , ut jam dixi, ſi ſunt aliqua peccata in juſtis quæ cum gratia Dei cohærere poſſunt , ſequitur manifeſte ea eſſe venialia ex ſuapte natura; certum eſt enim per illa graviora peccata quæ mortalia ſunt , hominem a Deo ejuſque gratia plene averſum , quandiu eum peccati non pœnituerit , Lucæ 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis*.

Ac denique autoritatem ſummorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. qui hanc propoſitionem inter Bajanas vigeſimam condemnarunt : *Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale , ſed omne peccatum meretur pœnam æternam*.

Probatur inſuper concluſio nonnullis rationibus.

Prima hæc eſt , peccatum hic ſumitur prout eſt offenſa Dei, ex ipſis enim adverſariis ideo præciſe quodlibet peccatum mortale eſt ſuapte natura , quia eſt Dei offenſa: atqui rectæ rationi conſentaneum eſt affirmare quamlibet Dei offenſam non eſſe mortalem , hoc eſt hominem juſtum a Deo non ſeparare , Dei gratiam & amicitiam non diſſolvere ; quis enim, ſi æquiſſimus ſit rerum æſtimator , non cogitaverit inter offenſas quæ in aliquem committuntur, quaſdam eſſe graves, alias vero leviſſimas ex genere ſuo atque ex natura operis ? Sane ſeveriſſima foret ea amicitiæ lex, qua nemo tam leviter in amicum ſuum peccare poſſet , quin ſtatim diſcinderetur eorum amicitia : nonne quivis judicat brevem inter orandum animi diſtractionem nonniſi leviſſimam eſſe culpam, leviſſimam Dei offenſam? quis dixerit verbum otioſum tam gravem eſſe offenſam ex natura ſua , ut gratiam Dei & amicitiam neceſſario diſſolvat, niſi Deus pro ſingulari miſericordia peccanti indulgeat ? Sane cum maxima Dei benignitate aperte illud pugnat.

Et ratio eſt, quia ideo quodlibet peccatum eſt offenſa Dei quia fit contra præceptum a Deo impoſitum : atqui non omnis actio contra præceptum Dei , eo præciſe mortalis eſt, nec amicitiam Dei diſſolvit; quin potius levis cenſeri debet ex natura rei & ratione operis , habita ratione eorum quæ ad malitiam actionis conferunt : ſcilicet cum materia levis eſt , quando nullus eſt divini præcepti contemptus, nulla in voluntate peccantis malitia ; tunc enim plane neceſſe eſt ejuſmodi actionem reputari levem offenſam ex genere ſuo & ex natura operis, ex eo vero quod ſit contra præceptum Dei, ſequitur tantum illam peccato deputari, non peccato mortali , Dei offenſam eſſe, non offenſam gravem : datur itaque offenſa levis & venialis ex natura ſua.

Et

Et certe ſi quodlibet peccatum inſigniter Deo diſpliceret, ita ut v. g. propter verbum otioſum, propter levem irreverentiam, homo conſtitueretur Dei inimicus, & ad ſtrictos juris apices mortem æternam mereretur: ſane deſperationis locus eſſet vel ipſis juſtis & piiſſimis viris, quibus nempe perſuaſum foret ſe quovis opere conſtitutos Dei inimicos, pœniſque æternis deſtinatos: abſurdum conſ. ergo & ant.

Objicies: illud peccatum mortale eſt quod meretur mortem, quod ſecum trahit mortem: atqui conſtat ex Scripturis omne peccatum mereri & ſecum trahere mortem velut affectum & ſtipendium; hoc enim paſſim legimus in divinis litteris, non de aliquo in particulari peccato loquentibus, ſed de quolibet peccato univerſe. Deuteron. 27. *Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis hujus, nec eos opere perficit.* Quæ verba ſic repetit divus Paulus ad Galat. 3. *maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis ut faciat ea.* Iſajæ 59. *iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum.* Ezechiel. 18. *anima quæ peccaverit, ipſa morietur.* Ad Rom. 6. *ſtipendium peccati mors.* 1. Joan. 3. *qui facit peccatum ex diabolo eſt.* Ergo omne peccatum ex natura ſua mortale eſt.

Nego min. ex iſtis quippe aliiſque ſimilibus locis quæ permulta & ſine numero reperies in Scripturis, nihil omnino colligi poteſt in præſenti materia: ſcilicet cum præfatæ propoſitiones ſumantur indefinite, explicari probe poſſunt de peccatis mortalibus tantum, hoc eſt, de quibusdam peccatis graviſſimis, de ſceleribus, de iniquitatibus, de contemptu legis, quæ gratiam Dei & amicitiam diſſolvunt, quia graviores ſunt Dei offenſæ: at ejuſmodi propoſitiones indefinitas merito non poſſe ad omne univerſe peccatum extendi, ex eo certo colligi debet, quod in aliis locis peccata venialia, hoc eſt leviſſima quæ tribuuntur juſtis & Dei amicis, aperte commemorent eædem Scripturæ.

Objicies Matthæi 5. cap. *qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Ubi ſignificatur eum excludi a regno cœlorum qui unum de mandatis minimis ſolverit, & veniali tantum peccato obſtrictus eſt: ergo peccatum minimum & veniale excludit a regno cœlorum.

Nego min. & dico ejuſmodi peccatum quod ibi deſignat Chriſtus Dominus veriſimiliter non eſſe peccatum veniale, tum quia de eo loquitur qui non tantum unum de iſtis mandatis ſolverit, ſed etiam alios ſolvere docuerit, quod ſane minutiſſimum peccatum non eſt, tum quia per mandata minima (quæ quidem vox difficultatem hic faceſcit haud ſpernendam) intelligit mandata veteris legis, *non occides, non mœchaberis*, quæ dicuntur minima, non quia peccatum minimum committunt qui ea transgrediuntur, ſed quia minus perficiunt hominem quam quæ Chriſtus adjecit: quæ interpretatio Sancti Auguſtini eſt lib. 1. de Sermone Domini in monte cap. 17.

Reſpondent alii eo loci non pronuntiatum fuiſſe a Chriſto, eum qui ſolverit unum de iſtis mandatis minimis excludendum a regno cœlorum, ſed minimum fore, hoc eſt in minimo gloriæ gradu, *minimus vocabitur in regno cœlorum.* Mihi tamen non arridet iſta ſolutio; video etenim omnes fere interpretes, tum & SS. Patres, minimum in regno cœlorum intellexiſſe eum qui privatus eſt gloria cœleſti.

Objicies: quiſquis non amat Deum toto corde ſuo peccat mortaliter, peccat enim contra hoc expreſſum Dei mandatum, Matth. 22. *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & in tota anima tua & in tota mente tua.*

Sed quiſquis peccat, eo ipſo non amat Deum ex toto corde ſuo: igitur quicunque peccat, peccat mortaliter.

Diſtin. maj. ſi quid grave contra Dei amicitiam faciat, tunc non amando Deum ex toto corde ſuo, peccat mortaliter, C. ſi levem ſolummodo culpam admittat, tametſi contra perfectiſſimum Dei amorem pugnet, peccat mortaliter, N. ſcilicet vere quidem cum amore Dei integro & perfecto pugnat quævis culpa vel leviſſima, ſed non niſi leviter; ita ut propterea non diſſolvatur Dei amicitia. *In multis offendimus omnes*, inquiebat S. Jacobus Apoſtolus dudum in gratia confirmatus, quod idem profitebatur alter Apoſtolus, nempe S. Joannes his verbis, *ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus*.

Objicies Joan. 13. divum Petrum ſic alloquitur Chriſtus, *ſi non lavero te, non habebis partem mecum*. Hæc porro Petri inobedientia ad ſummum erat peccatum veniale: ergo pœna peccati venialis eſt excluſio a regno cœlorum.

Diſt. maj. non habebis partem mecum, eo quod nihil coinquinatum ingreditur regnum cœlorum C. eo quod ejuſmodi inobedientia, quæ veriſimiliter nonniſi venialis culpa fuiſſet, per ſe excludebat a regno cœlorum, mortisque reum faciebat æternæ, N. deinde & reſponderi poſſet hanc divi Petri inobedientiam, ſi in ea diutius perſtitiſſet, futuram fuiſſe graviſſimam culpam, adeoque mirum non eſſe, ſi propterea Chriſtus dicat, *non habebis partem mecum*. Putat Cornelius a Lapide ibi merum eſſe Hebraiſmum, quaſi nempe dixerit Chriſtus, non eris mihi amicus, renuntio amicitiæ tuæ.

Objicies: legitur in Epiſtola Jacobi cap. 2. *quicunque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*. Ergo per quodvis peccatum homo incurrit reatum mortis æternæ.

Nego conſeq. ibi enim errorem Phariſæorum perſtringit S. Jacobus ſitum in eo quod dicerent unum aut alterum legis præceptum tranſgredi, non eſſe grave peccatum, niſi aut omnia violentur, aut ſaltem eorum maxima pars; hinc vero ſequitur Phariſæos conſequenter docuiſſe hominem non eſſe reum mortis propter alicujus præcepti tranſgreſſionem, quæ ſit peccatum mortale, adeoque, cum S. Jacobus teſtatur in iſta propoſitione, eum qui peccat adverſus unum ex præceptis, reum fieri cæterorum, id ſolum intelligit de tranſgreſſione mortali, non de qualibet leviſſima & veniali.

Hunc Scripturæ locum aliter explicat S. Auguſtinus Epiſt. 167. ubi ait eo ſenſu, qui in uno offendit, fieri reum omnium, quod contra charitatem agit, unde tota lex pendet, *reus itaque fit omnium, faciendo contra eam in qua pendent omnia*. Quod ſane de eo intelligi debet qui legem inſigniter violat, putat enim S. Doctor, ut ſupra dixi, peccare nonnunquam filios Dei, nec amittere charitatem.

Objicies: S. Baſilius in regulis brevioribus ad interrogationem quartam, his verbis conceptam, *ſi quis pro leviſſimis etiam peccatis fratres acriter nimis urgeat, ac dicat de iis pœnitentiam eos agere debere, nunquid is inclemens habendus eſt & averſor charitatis?* Sic reſpondet, *cum aſſeveranter Dominus affirmaverit, quod jota unum aut apex unus non præteribit a lege, donec omnia fiant; cumque idem etiam pronunciaverit, quod omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii, nihil omnino tanquam minutum contemni debet. Qui enim rem contemnit, inquit, contemnetur ab ea. Quanquam quis es, qui peccatum ullum (cujuſcunque modi illud ſit) leve audeas appellare, cum aſſeruerit Apoſtolus, quod per tranſgreſſionem legis Deum inhonoras? Si autem ſtimulus mortis non hoc eſt aut illud, ſed indefinite quodcun-*

que

Digitized by Google

que peccatum, *inclemens ille habendus eſt qui obticet*, *non autem qui arguit*. Ex quibus hoc argumentum eſt, ait S. Baſilius, nullum eſſe peccatum leve, quia quælibet legis tranſgreſſio Deum inhonorat, inſuper quodcunque peccatum eſſe ſtimulum mortis: cenſebat igitur omne peccatum eſſe mortale ex natura ſua.

Diſt. ant. nullum peccatum eſſe leve, immo quodcunque peccatum eſſe ſtimulum mortis, ſi ſumatur cum legis contemptu, C. per ſe & præciſe, N. vult igitur S. Baſilius, ſi tamen ejus ſint præfatæ regulæ, quod multi negant, pro leviſſimis etiam peccatis quempiam eſſe arguendum, quia nempe *nihil omnino tanquam minutum contemni debet*. Solutio patet ex ipſis verbis quæ interrogationem exprimunt & reſponſionem.

Inſtabis: differentiam minorum & majorum peccatorum inde rejicit idem ſcriptor, quod nuſquam in novo Teſtamento reperiatur, ſcilicet ad hanc interrogationem, quæ eſt ducenteſima nonageſima tertia, *quomodo agi par eſt cum iis qui cum majora peccata declinent*, *minora perinde*, *ac ſi nihil referat*, *committunt*. His verbis reſpondet: *Primò quidem ſcire illud convenit differentiam hanc minorum & majorum nuſquam in novo Teſtamento reperiri*. *Siquidem una eſt & eadem ſententia adverſus quælibet peccata*, *cum Dominus dixerit* (*qui facit peccatum*, *ſervus eſt peccati*.) *Et item* (*ſermo quem locutus ſum vobis*, *ille judicabit eum in noviſſimo die*) *& Joannes vociferans dicat*, *qui contumax eſt in Filium*, *non videbit vitam æternam*, *ſed ira Dei manet ſuper eum*, *cum contumacia non in diſcrimine peccatorum*, *ſed in violatione præcepti poſitam habeat futuri ſupplicii denunciationem*. Ergo revera S. Baſilius nullam admittebat differentiam inter peccata, quaſi quædam ſint majora, alia vero minora.

Diſt. ant. docet differentiam majorum & minorum peccatorum nuſquam in novo Teſtamento reperiri, hoc eſt non reperiri in novo Teſtamento arguendos eſſe qui certa quædam peccata committunt, cum illis vero non eſſe agendum qui minora perpetrant, C. quaſi non legatur in novo Teſtamento ulla differentia inter majora & minora peccata, N. ſane hoc poſtremum nemo unquam niſi mente captus affirmaverit; quin & ipſi Calviniſtæ quamvis pertendant omne peccatum eſſe mortale ex natura ſua, fatentur tamen alia eſſe majora, alia eſſe minora, idque centies reperiri in novo Teſtamento. Tum vero & ſcriptor, cujus doctrinam indagamus, idem agnoſcit in reſponſione ad interrogationem 106. *Pro judicio ſuo*, inquit, *Antiſtites tempus modumque conſiderabunt*, *ratione habita cum ætatis & corporis*, *tum animi habitus & diverſitatis peccati*. Quamobrem propoſitæ objectionis verborum ſenſus eſt, in omnes qui peccant indiſcriminatim agendum eſſe ſaltem fraterna correptione, non quod æqualiter puniendi ſint, ſed quod omnes & ſinguli argui debent, ut ſatis aperte colligitur ex ipſa interrogatione, *quomodo agi par eſt*, *&c.* tum vero ex iſtis verbis quæ leguntur in reſponſione, *quocirca adverſus quemcunque qui cujuscunque generis peccatum admittat*, *ſervandum eſt præceptum Domini qui dixit* (*ſi peccaverit in te frater tuus*, *vade & corripe eum*.)

Objicies: non uno in loco docet S. Auguſtinus in ſolam Dei miſericordiam refundi, quod omnia peccata non ſint mortalia, lib. 9. Confeſſ. cap. 13. *Væ etiam laudabili vitæ hominum*, *ſi remota miſericordia diſcutias eam*. Lib. 2. de peccatorum meritis cap. 3. *Quis enim cum aliqua ſpe adipiſcendæ ſalutis æternæ de hac vita emigraret*, *manente illa ſententia*, *quod* (*quicunque totam legem ſervaverit*, *offendat autem in uno*, *factus eſt omnium reus*) *niſi poſt paululum ſequeretur*, *ſic loquimini & ſic facite*, *tanquam per legem libertatis incipientes judicari;*

Digitized by Google

cui ; judicium enim ſine miſericordia illi qui non facit miſericordiam : ſuperexaltat autem miſericordia judicio . Ergo non cenſebat dari quædam peccata venialia ex natura ſua.

Diſt. ant. eo ſenſu quod nemo tametſi juſtus ſine miſericordia Dei nec a peccato etiam veniali emundari poteſt, nec in regno cœlorum collocari, C. eo ſenſu quod veniale peccatum ſeorſim a mortali ex natura ſua hominem excludat a vita æterna, N. ſaoe id unum ſignificant ejuſmodi propoſitiones apud S. Auguſtinum & alios Patres, totum ſalutis noſtræ negotium a miſericordia Dei pendere, plane nullam in hominibus eſſe juſtitiam, ſi propria eorum merita conſiderentur ſeparatim a gratia Chriſti, qui fecit redemptionem populo ſuo ut adoptionem acciperemus. Verum ex iſtis nequaquam colligi debere quovis peccato vel leviſſimo Dei amicitiam diſſolvi, aperte confirmant quæ ſupra adduximus ex eodem S. Auguſtino, ubi ait omnes juſtos, quantalibet ſanctimonia vitæ præditos, una voce clamare, *ſi dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*.

Objicies: ea ſententia ſaltem erroris inſimulari non debet quam clariſſimi Theologi propugnarunt: ſed ejuſmodi eſt iſta ſententia quæ docet omne peccatum ex natura ſua eſſe mortale, hoc enim ipſum traditur a Gerſonio, Almaino & Roffenſi.

Gerſonius quidem tractatu de vita ſpirituali Lect. 1. ſic habet: *Omne peccatum, pro quanto eſt offenſa Dei & contra legem ejus æternam, eſt de ſua conditione & indignitate mortiferum ſecundum rigorem juſtitiæ, & a vita gloriæ ſeparativum: ratio eſt quia omnis offenſa in Deum poteſt juſte a juſto judice puniri pœna mortis tam temporalis quam æternæ, imo annihilationis pœna. Eſt igitur de ſe mortifera: aſſumptum deducitur ex hoc quod nulla pœna talis eſt ita mala, quantum mala eſt ipſa offenſa, & ex alio, quod potius toleranda eſſet omnis mors pœnalis, & annihilatio, quam committenda eſſet quantumlibet parva offenſa in Deum. Da oppoſitum, jam offenſa Dei licite fieri deberet in caſu. Præterea qualibet offenſa Dei niſi remitteretur, repelleret a gloria Dei perpetuo & abſque termino puniretur: alioquin maneret dedecus culpæ ſine decore juſtitiæ: quod autem offenſa dimittitur ſeu remittitur, eſt ex pura liberalitate Dei remittentis & non amplius imputantis*. Corollario primo: *Nulla offenſa Dei eſt venialis de ſe, niſi tantummodo per reſpectum ad divinam miſericordiam, quæ non vult de facto quamlibet offenſam imputare ad mortem, cum illud poſſet juſtiſſime. Et ita concluditur, quod peccatum mortale & veniale in eſſe tali non diſtinguuntur intrinſece & eſſentialiter, ſed ſolum per reſpectum ad divinam gratiam quæ peccatum iſtud imputat ad pœnam mortis, & alind non*.

Jacobus Almainus idem docet Tractatu 4. Moralium cap. 20. ubi autoritate & rationibus Gerſonii fultus pronuntiat ſimiliter peccatum *eſſe ſolummodo veniale ex miſericordia Dei non imputantis illud ad pœnam æternam*. Et poſtea: *Implicat contradictionem quod Deus prohibeat aliquem actum ſub quacunque pœna etiam minima, & ille quantum eſt ex parte ſui non ſit mortalis, &c.*

Denique Roffenſis articulo 23. Luthero conſentit dicenti veniale peccatum non natura ſua, ſed miſericordia Dei tale eſſe, ſic enim loquitur his adductis Lutheri verbis, *quod peccatum veniale ſolum ex Dei miſericordia veniale fit, in hoc tecum ſentio*.

Igitur nec falſa nec erronea eſt ejuſmodi ſententia.

Reſpondeo nullius hac in parte momenti eſſe autoritatem trium illorum Theologorum, qui ſcilicet hanc ſuam opinionem neque ex Scripturis neque ex ſanctis Patribus, ſed tantum ex vanis quibuſdam & futilibus ratiunculis confirmant

mant, quales nempe legere eſt in teſtimonio Gerſonii; hanc propter eaſdem rationes ſequitur Almainus re veriſimiliter non examinata & autoritate Cancellarii deceptus. De ſententia Roffenſis ſuper hoc negotio id ſolum habemus quod objicitur, & unde vix ejus mentem capias. Cæterum in hac controverſia de diſcrimine peccati mortalis & venialis hi Catholici doctores longiſſime diſtant ab hæreticis, quorum doctrina plurimis implicita eſt erroribus perniciofiſſimis; docet enim Lutherus non modo omne peccatum eſſe mortale ex natura ſua, ſed & omne opus bonum eſſe peccatum veniale, adeoque omne opus bonum eſſe mortale, ut conſtat ex eodem articulo 32. quem hic impugnat Roffenſis. Docent vero Calviniſtæ, ut ſupra oſtendi, in electis omnia peccata eſſe venialia, & in ſolis reprobis eſſe mortalia, quorum ſcilicet errorum ne minimam reperias umbram apud Gerſonium, Almainum & Roffenſem, qui proinde cum hæreticis hac in parte confundi non debent.

Objicies: ea peccata mortalia ſunt aut venialia ex ſola Dei voluntate, non ex natura ſua, quæ nequidem peccata ſunt ante omnem Dei voluntatem, & ideo tantum peccata quia Dei lege prohibita: atqui multa ſunt peccata mortalia & venialia, quæ ideo peccata ſunt, quia lege Dei prohibita, neque peccata ſunt ante omnem Dei voluntatem, quale eſt v.g. certis diebus non jejunare vel manducare carnem: igitur peccata non ſunt mortalia aut venialia ex natura ſua, ſed ex ſola Dei voluntate.

Diſt. min. neque peccata ſunt ante omnem Dei voluntatem, quæ ſit cauſa ipſius legis & ejuſdem legis tranſgreſſionem antecedat, C. ante eam Dei voluntatem quæ ſupponat legis tranſgreſſionem, quaſi facta legis tranſgreſſione qualitas & ratio peccati a ſola Dei voluntate, non ab ipſius actionis natura & ſpecie deſumatur, N. Cum igitur dicimus differentiam peccati mortalis & venialis non deſumi ex ſola Dei voluntate & miſericordia, non ita rem accipiendam putamus, quaſi omnia peccata quæ apud nos cenſentur mortalia, reipſa talia ſint ante omnem Dei voluntatem, faremur enim multa eſſe quæ ideo peccata ſunt, quia Dei lege prohibita, & quæ proinde peccata non ſunt ante eam Dei voluntatem qua legem ipſam fecit in quam peccatur; ſed illud tandem intelligimus de ea Dei voluntate quæ legis tranſgreſſionem ſequitur, & dicimus commiſſo peccato & facta ſemel tranſgreſſione, qualitatem peccati, an ſit mortale vel veniale tantum, non eſſe repetendam ex voluntate & ordinatione Dei pro arbitrio majorem vel minorem pœnam huic peccato imputantis.

Inſtabis: ſaltem conſtat Deum poſſe ſub pœna æterna prohibere rem indifferentem: ergo nihil vetat quominus voluerit omnem legis tranſgreſſionem eſſe peccatum mortale, & nullum eſſe veniale niſi pro ſua voluntate & miſericordia.

Diſt. conſ. ſi ſermo ſit de abſoluta Dei voluntate, tranſeat, ſi ratio habeatur præſentis rerum inſtitutionis, qualis revelata eſt in Scripturis, N. ſcilicet hic quæſtio eſt de præſenti rerum ſtatu, an reipſa omnia peccata ſint mortalia ex natura ſua, non autem an fieri poſſit de abſoluta Dei potentia, omne peccatum eſſe mortale. Cæterum hic notare eſt cum nonnullis Theologis, Deum, quando prohibet ſub pœna æterna rem indifferentem, non tam infligere pœnam actioni indifferenti, quam contemptui & inobedientiæ, cujus reum eſſe qui peccat neceſſe eſt.

Objicies: quælibet Dei offenſa ex ſua conditione & prout Dei offenſa, eſt mortalis, amicitiam Dei diſſolvit, creaturam rationalem a Deo ſeparat: ſed quodlibet peccatum eſt offenſa Dei: ergo quodlibet peccatum mortale eſt ex natura ſua.

Nego

Nego maj. quia, ut ſupra dixi, ſunt quædam leves offenſæ ſeu ratio habeatur materiæ, ſeu ſpectetur malitia & propoſitum offendentis; ſi nempe in levi materia nulla ſit in peccante malitia, ſed ſolum inconſiderantia.

Inſtabis: gravitas offenſæ attenditur penes dignitatem perſonæ læſæ: ergo neceſſe eſt quamlibet offenſam Deo illatam ex genere ſuo eſſe maximam, proindeque mortalem.

Nego conſeq. quantumvis enim indignitas offenſæ menſuretur ex dignitate perſonæ læſæ; non ideo ſequitur omnem offenſam illatam Deo, qui perſona eſt ſupremæ dignitatis, maximam eſſe & mortalem; ex illo principio colligere eſt tantum graviorem eſſe offenſam vel leviorem pro majori vel minori dignitate perſonæ læſæ, quælibet vero, ut per ſe patet, non poteſt eſſe maxima, ſed quædam ſunt aliis graviores.

Inſtabis: ea certe offenſa cenſeri debet mortalis & ſupplicio æterno digna quæ infinita eſt: ſed quælibet offenſa Dei infinita eſt, per eam enim læditur perſona infinita, nempe Deus: ergo quælibet Dei offenſa mortalis eſt ex genere ſuo.

Nego min. male quippe & abſurde omnino ſolent plerique dicere peccatum eſſe infinitum; tum quia infinita eſt perfectio quæ ſoli Deo competit; tum quia colligeretur inde omnia peccata eſſe æqualia, aut ſaltem æquales Dei offenſas, quod non modo erroneum, ſed & ab omni ratione plane alienum eſt, ut dedita opera mox ſumus demonſtraturi.

Objicies: nulla eſt Dei offenſa quæ non poſſit juſte puniri a Deo pœna mortis æternæ: quælibet ergo mortalis eſt ex natura ſua.

Nego ant. pœna enim æterna juſte infligi non poteſt Dei amico, qui per peccatum vel peccati affectum a Deo minime ſeparatus eſt: ſed qui nonniſi peccati cujuſdam levis & venialis reus eſt, non eſt a Deo ſeparatus, factus non eſt ejus inimicus; ut ſatis ſuperque oſtenſum eſt tum ex Scripturis, tum ex SS. Patribus, tum ex ipſa ratione naturali; igitur quælibet offenſa juſte puniri non poteſt pœna mortis æternæ.

Inſtabis: ſi leviſſimæ culpæ quæ dici ſolet venialis, debeatur pœna æterna, certe nulla eſt Dei offenſa quæ non poſſit juſte puniri pœna mortis æterna: atqui omni culpæ etiam leviſſimæ æterna debetur pœna: tandiu enim culpæ veniali pœna debetur, quandiu ea non remittitur ex juſtitia, ſed ſolummodo per miſericordiam: ſed culpa venialis per totam æternitatem a Deo non remitteretur ex juſtitia, cum remittitur enim, ex ſola ejus miſericordia remittitur: ergo.

Nego min. & ad probationem nego ſimiliter minorem, peccatum enim veniale remittitur ſimul ex juſtitia & miſericordia Dei; ex miſericordia quidem, quia Deus lubens homini condonare vult, tum vero liberaliter impertitur ſuam gratiam qua poſſit actus charitatis exerceri ad expungendum illud peccatum veniale; ex juſtitia vero, quia veniali peccato de ſe non debetur niſi pœna temporalis; quæ quidem duo ſimul cohærere maxime poſſunt; aliquis enim v. g. poteſt ex bona voluntate alteri domum ſuam vendere, ſervata tamen juſtitia, non imminuto ſcilicet domus pretio.

Inſtabis: quodlibet peccatum juſte puniri poteſt malo æque gravi, quod non ſit gravius: atqui pœna æterna non eſt gravius malum quam quælibet culpa etiam venialis, peccatum enim eſt malorum omnium graviſſimum: igitur quodlibet peccatum juſte puniri poteſt pœna æterna

Diſt. maj. malo æque gravi in ratione pœnæ, C. æque gravi in ratione mali, N. porro licet pœna æterna non ſit gravius malum ratione mali mortalis quam quælibet culpa venialis, quia nimirum pœna non eſt malum mortale,

tamen

tamen gravius eſt malum in ratione pœnæ; quatenus pœna eſt minime proportionata peccato veniali quod nonniſi pœnam temporalem meretur.

Inſtabis: omne bonum opus etiam minimum meretur vitam æternam, juxta illud Math. 10. cap. *quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam*. Ergo ſimiliter omne peccatum etiam minimum meretur pœnam æternam.

Nego conſeq. ratio diſcriminis eſt quia quodlibet bonum opus etiam minimum eſt a charitate, adeoque hominem cum Deo conjungit; at vero quodcunque peccatum charitatem non extinguit, Deum ab homine non ſeparat; quo fit ut non mereatur pœnam æternam

Inſtabis: peccatum veniale punitur pœna æterna in damnatis, quia nimirum nunquam remittitur: igitur juſte Deus peccatum veniale punire poteſt pœna æterna.

Docet Scotus in 4. diſt. 21. q. 1. peccato veniali, quod cum mortali conjunctum reperitur in damnatis, non deberi pœnam æternam, ſed tandem pœnam illius in inferno finiri, ipſumque peccatum veniale expungi, remanente ſolum pœna quæ peccatis mortalibus debetur. Sed cum iſta opinio cæterorum fere Theologorum doctrinæ adverſetur, præſertim vero S. Thomæ 1. 2. q. 87. art. 5. ad 3.

Reſpondeo peccatum veniale in damnatis cum alio peccato mortali conjunctum pœna æterna puniri per accidens & ratione ſtatus & conditionis damnatorum, quatenus nempe in iis nullus poteſt eſſe dolor, nulla contritio, nulla eſt enim gratia per quam tamen ſolam fit remiſſio pœnæ, in inferno nulla eſt redemptio, nulla juſtificatio.

Objicies: ea non differunt ſuapte natura, quæ differunt tantum ſecundum magis & minus: atqui peccatum veniale & mortale differunt tantum ſecundum magis & minus: ergo.

Diſt. maj. ſi ſermo ſit de rebus phyſicis, C. ſi de rebus mortalibus, N. nam magis & minus in moribus mutant ſpeciem.

Quanam ratione primum differant inter ſe peccatum mortale & veniale.

Animus hic non eſt certas præſcribere regulas, quibus facile cuivis innoteſcat hoc & illud peccatum eſſe mortale vel veniale, ut enim egregie diſſerit S. Auguſtinus in Enchiridion cap. 78. *quæ ſint levia, quæ gravia peccata non humano, ſed divino ſunt penſanda judicio*. Et cap. 79. *ſunt quædam quæ leviſſima putarentur, niſi in Scripturis demonſtrarentur opinione graviora*.

Sed quoniam multa ſunt de quibus judicium ferimus, ſeu propter autoritatem Scripturarum, ſeu quia habita ratione eorum gravitatis aut levitatis facile cognoſcuntur eſſe mortalia vel venialia; nunc in id incumbemus, ut eam præciſe rationem aſſignemus propter quam differant inter ſe peccata mortalia & venialia, ſeu a quo præciſe aliquod peccatum mortale ſit, aliud vero veniale tantum. Sunt autem ſuper illo negotio variæ Theologorum opiniones.

Affirmat Scotus in 2. diſt. 21. q. 1. eo differre peccatum mortale & veniale, quod mortale ſit contra præceptum, veniale autem ſit contra conſilium.

At refellitur iſta ſententia, quia nempe opus aliquod factum contra conſilium, non poteſt eſſe malum ſeu peccatum etiam veniale, ex eo ſolum quod ſit contra conſilium; omne enim peccatum, ut conſtat ex ejus definitione, eſt contra legem, eſt tranſgreſſio legis, quamobrem in illa ſententia nubere peccatum eſſet ſaltem veniale, eſt enim contra conſilium Apoſtoli quod legitur 1. ad Corint. 7. *de virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium au-*

autem do tanquam miſericordia conſecutus a Domino , ut ſim fidelis . Atqui tamen nemo dixerit nubere eſſe peccatum veniale, eidem enim Apoſtolo manifeſte contradiceret ſic ibidem loquenti : *ſi autem acceperis uxorem non peccaſti , & ſi nupſerit virgo , non peccavit : igitur* .

Contendunt alii peccatum mortale differre a veniali, eo quod veniale eſt circa media , mortale vero circa finem .

At refellitur quoque iſthæc ſententia ; quia tam circa Deum qui eſt finis rerum omnium, quam circa creaturam verſari poteſt peccatum veniale , ut mendacium leve quod eſt contra veritatem & contra Deum ipſum qui eſt ipſa veritas, mendaciumque lege prohibuit expreſſa . Deinde certum eſt multa peccata mortalia per ſe verſari circa media , hoc eſt, circa creaturas, ut furtum , adulterium , & alia id genus.

Exiſtimant alii eo differre mortale a veniali, quod mortale ſit contra legem aut præceptum, veniale autem non ſit contra , ſed præter legem ; citantur hujus opinionis defenſores S. Thomas 1. 2. q. 88. art. 1. S.Bonav. in 2. diſt. 42. art. 2. q. 1. Alexand. 2. p. q. 106. memb. 1. & quidam alii .

Verum & ex eo revincitur iſta ſententia , quod aperte conſtet omnibus quodlibet peccatum etiam veniale & leviſſimum eſſe contra legem : 1. Quia peccatum univerſe definitur deviatio a lege , tranſgreſſio legis ; 2. Quia omne mendacium tametſi minimum , contrarium eſt veritati ; ergo & omne peccatum contrarium eſt rectitudini , quicquid enim obliquum eſt opponitur recto. 3. Quia licitum eſt quod nulla lege prohibetur ; proindeque ſi peccata venialia non eſſent contra legem , eo ipſo forent licita .

Nec dicas eum in Scripturis appellari juſtum & cenſeri legem implere , qui ſola venialia pecccata committit , Rom. 3. *qui diligit proximum , legem implevit : plenitudo legis eſt dilectio* ; cum ſcilicet peccata venialia non impediant dilectionem . Siquidem qui non niſi peccati alicujus venialis reus eſt, non deſinit eſſe juſtus ; tum vero eo ſenſu dicitur legem implere, non quod nihil omnino faciat contra legem , ſed quod primarium legis finem , quæ dilectio eſt, non ſpernat , ab eoque non recedat .

Sunt qui dicant in eo differre peccatum mortale & veniale , quod mortale obliget ad pœnam æternam , & veniale ad temporalem tantum .

Sed neque oppoſita eſt iſta ratio ; tum quia ejuſmodi obligatio ad pœnam eſt effectus peccati , non ratio formalis conſtituens peccatum ut mortale & veniale ; tum quia ſi Deus non ſtatuiſſet pœnas peccatis, ea non minus diſtinguerentur , aliquod tamen foret mortale & graviſſimum ; aliud foret veniale & leviſſimum .

Nos vero dicimus præciſe & formaliter differre peccatum mortale & veniale penes objectum , finem , modum agendi & circumſtantias quibus induitur actio peccantis, nam per id actio humana peccatum mortale eſt vel veniale , per quod gravis eſt offenſa vel levis , per quod magis vel minus opponitur juſtitiæ & præcepto : ſed actio mala vel gravis vel levis offenſa eſt , vel magis vel minus opponitur juſtitiæ & legi penes objectum ſeu materiam , finem , modum agendi , aliaſque circumſtantias quibus afficitur actio , ut manifeſte conſtat ex enumeratione facta cujuslibet peccati ; ideo enim v. g. furtum unius denarii nonniſi peccatum veniale eſt , quia levis eſt materia nec opponitur juſtitiæ ; furtum vero centum nummorum peccatum eſt lethale , in gravi ſcilicet materia commiſſum , quod idem de fine , modo agendi & circumſtantiis monſtrarent infinita exempla ; igitur peccatum mortale & veniale præciſe & formaliter differunt in ratione mor-

mortalis & venialis penes objectum, finem, & circumſtantias.

Quanquam difficillimum, ſit vel etiam periculoſiſſimum definire, quodnam in individuo peccatum, hoc eſt an hoc & illud peccatum ſit mortale vel ſolum veniale, ut docet S. Auguſtinus lib. 21. de civit. Dei cap. 8. *Quis ſit iſte modus & quæ ſint illa peccata quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, difficillimum invenire, definire periculoſiſſimum. Ego certe uſque ad hoc tempus cum inde ſatagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui.*

Utrum ex multis peccatis venialibus coaleſcere poſſit unum mortale.

HÆc quæſtio inde forſitan nata eſt inter Theologos, quod in deliberationem miſerunt nonnulli Caſuiſtæ, an leve aliquod furtum, quo pervenitur ad notabilem quandam pecuniæ ſummam, ſimul cum præcedentibus efficiat peccatum furti mortale; ita enim eſſe docent Medina de reſtitutione q. 10. Scotus lib. 4. de juſtitia q. 3. art. 3. ad 3. Cordub. in ſumma caſuum q. 70. quia, inquiunt, poſtremum furtum conjunctum præcedentibus complevit materiam damni ut evaderet mortale furtum; an idem contingat in alia materia, ut v. g. in verbis otioſis, non explicant iſti Theologi; hoc vero ipſum impræſentiarum nos quærimus, de peccato nimirum in genere & in omni materia, utrum ex multis venialibus fiat unum mortale; quod quidem contingeret, vel ſi ex illis venialibus aggregatis conflaretur unum mortale, vel ſi poſtremum ex illis venialibus propter conjunctionem cum præcedentibus cenſeretur mortale

CONCLUSIO.

Ex multis peccatis venialibus non fit unum mortale. Siquidem ut ex multis peccatis venialibus fiat unum mortale, opus eſt malitiam peccatorum venialium adæquare malitiam & gravitatem unius mortalis: atqui malitia multorum peccatorum venialium adæquare non poteſt malitiam & gravitatem unius mortalis: nam malitia & gravitas peccati mortalis in eo poſita eſt, quod per illud homo inſigniter a Deo recedat, vel in gravi materia vel per magnum legis contemptum, atqui per multa peccata venialia, tametſi ſimul aggregata, homo inſigniter a Deo non avertitur, nec per ullum aut certe per magnum legis contemptum legem ipſam tranſgreditur; unde per illa peccata non diſſolvitur Dei amicitia: igitur ex multis peccatis venialibus non coaleſcit unum mortale.

Objicies: qui per multa levia furta ingentem pecuniæ ſummam ſuſtulit, reus eſt peccati mortalis, teneturque ſub pœna peccati mortalis hanc pecuniæ ſummam reſtituere: igitur ex multis levioribus furtis fit aliquod grave furtum, quod peccatum mortale eſt.

Diſt. maj. ſi unico voluntatis actu voluerit illas pecuniæ ſummas auferre vel retinere, C. ſi diſtinctis voluntatis actibus furari voluerit, N. revera qui multis levioribus furtis pervenit tandem ad magnam pecuniæ ſummam, reus eſt ingentis furti & peccati mortalis; quia contingit ſemper, ut qui hæc levia furta committit, aut unico volitionis actu conſilium ineat diſtinctis furtis notabilem pecuniam auferre, aut ſaltem unica volitione ablatam ſemel retinere, in quo quidem caſu unica eſt volitio grave inferendi damnum; ſed ſi per impoſſibile diſtinctis volitionibus nullo modo connexis commiſſa fuiſſent levia illa furta, profecto nonniſi venialia forent peccata,

multiplex eſſet peccatum veniale & nullum mortale.

Neque vero quidquam colligi poteſt, ex eo quod ille tenebitur ſub pœna peccati mortalis ablatas pecuniæ ſummas reſtituere; niſi enim in illa hypotheſi reſtitueret, conſeretur invito domino ingentem pecuniæ ſummam ex illis levioribus furtis conflatam retinere, proindeque reus foret peccati mortalis.

Atque idem & par judicium ferri debet de multis levioribus comeſtionibus quæ fierent in die jejunii extra comeſtionis horam: tum vero de multis omiſſionibus levibus, in quas aliquis incideret inter recitandum officium, &c.

Objicies: S. Auguſtinus non uno in loco docet multa peccata venialia idem efficere ac unum mortale, ſic v. g. loquitur in Epiſtola 265. in fine: *Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimiſſa non dubitamus in baptiſmo, ſed illa utique quæ humanæ fragilitati quamvis parva tamen crebra ſubrepunt, quæ ſi collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt & oppriment, ſicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim intereſt ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua in ſentinam & per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem atque ſubmergat?*

In Pſal. 39. num. 22. *Quis numerat capillos capitis ſui? multo minus peccata quæ excedunt numerum capillorum. Minuta videntur, ſed multa ſunt. Præcaviſti magna, jam non facis adulterium, jam non facis homicidium, non rapis res alienas, non blaſphemas, non dicis falſum teſtimonium, moles iſtæ ſunt peccatorum. Magna præcaviſti, de minutis quid agis? an non times minuta? projeciſti molem, vide ne arena obruaris.*

In Pſal. 118. ſerm. 3. *Sed quoniam tentatio eſt vita humana ſuper terram, etiamſi a criminibus longe ſimus, non tamen deeſt ubi deſideriis peccati vel facto vel dicto, vel cogitatu obediamus, quando adverſus majora vigilantibus quædam incautis minuta ſubrepunt, quæ ſi adverſus nos colligantur, & ſi non ſingula ſuis molibus conterunt, omnia tamen acervo nos obruunt.*

Tractatu 12. in Joan. *Quoniam*, inquit, *minuta plura peccata, ſi negligantur, occidunt. Minutæ ſunt guttæ quæ flumina implent, minuta ſunt grana arenæ, ſed ſi multa arena imponatur, premit, atque opprimit. Hoc facit ſentina neglecta, quod facit fluctus irruens, paulatim per ſentinam intrat, ſed diu intrando & non exhauriendo mergit navim.* Ergo putavit S. Auguſtinus ex multis peccatis venialibus unum coaleſcere peccatum mortale, aut ſaltem, quod idem eſt, plurima venialia æquivalere uni mortali, hominemque æqualiter damnationi æternæ addicere.

Diſt. ant. docet S. Auguſtinus multa peccata venialia idem efficere & nos æqualiter opprimere ac unum peccatum mortale, ratione peccati mortalis quod vulgo ſequitur peccata venialia, C. per ſe, formaliter, & ratione ſui, N. id unum itaque pertendit S. Auguſtinus agendam eſſe pœnitentiam pro admiſſis peccatis venialibus; quia ſi multa collecta ſint nos opprimunt certo & infallibiliter; quatenus nempe illis repetitis peccatis venialibus ſuccedunt plerumque alia graviora & mortalia, juxta illud Eccleſiaſtici cap. 19. *qui ſpernit modica paulatim decidet.* Sed profecto mens ſancti Doctoris non eſt hæc peccata venialia per ſe & ratione ſui formaliter nos opprimere ut & mortalia, is quippe levia eſſe peccata in juſtis & ſanctiſſimis viris manifeſte agnoſcit lib. de Natura & Gratia cap. 39. lib. 3. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 3. & in Enchirid. cap. 78. ut videre eſt in præcedenti diſputatione.

Inſtabis: ex S. Auguſtino locis mox citatis, eodem modo peccata venialia nos opprimunt, quomodo aqua paulatim ſubrepens in ſentinam, navem ſubmer-

gat?

git : ſed aqua paulatim ſubrepens in ſentinam, navem ſubmergit formaliter, ſingulæ enim aquæ tam formaliter & per ſe ipſæ ſubmergunt navem ,, quam fluctus quidam grandis : igitur putabat S. Auguſtinus plurima peccata venialia formaliter nos opprimere, ut & unum mortale.

Diſt. maj. eodem modo ſecundum quid & quoad aliqua, C. ſimpliciter & quoad omnia. N. vel ut ajunt, eodem modo quoad certitudinem eventus, C. quoad rationem agendi, N. ſcilicet in eo poſita eſt hæc comparatio, quæ quidem pro more imperfecta eſt, quod æque certo multa peccata venialia hominem opprimunt, niſi pœnitentiam agat, atque unum aliquod mortale, quemadmodum aqua paulatim ſubrepens in ſentinam, æque certo & infallibiliter navem obruit, ac grandis aliquis fluctus : ſed ea mente adducta non fuit comparatio, ut inde colligamus peccata venialia per ſe formaliter nos opprimere, ſicut aliquod mortale, nihil eſt enim cur dicamus tam longe lateque patere præfatam comparationem, quam e contrario ad hunc noſtrum ſenſum reſtringendam perſuadent alia S. Auguſt. teſtimonia quæ mox citavimus.

De peccato veniali nonnullæ proponuntur quæſtiones.

HIs pertractatis quæ potiſſimum ſpectant naturam, & differentiam peccati mortalis & venialis, nonnullæ ſuperſunt quæſtiunculæ, quas ſibi poſt S. Thomam hoc loco proponere ſolent plerique Theologi ; in iis tamen excutiendis, quoniam non ſunt magni ponderis, diu multumque non immorabimur.

Quærit S. Thomas utrum peccatum veniale ſit diſpoſitio ad mortale.

Reſpondet affirmative, ſcilicet peccatum veniale diſponere ad mortale per quandam conſequentiam, quatenus ita homo afficitur rebus parvis, in iiſque conſtituit finem ſuum ultimum, ut non dubitet poſtea in materia graviori violare præceptum.

Quærunt poſtea cum eodem S. Thoma, utrum peccatum veniale poſſit fieri mortale.

Reſpond. peccatum veniale fieri poſſe mortale per accidens & quatenus actio quædam moralis, quæ ex genere ſuo non foret niſi peccatum veniale ; eo tamen quod fieret contra conſcientiam erroneam, vel dubitantem an ea ſit peccatum mortale, vel judicantem certo eſſe peccatum mortale, tunc revera culpa eſſet mortalis. At proprie loquendo peccatum veniale fieri non poteſt mortale ; tum quia veniale & mortale duas diſtinctas conſtituunt peccati ſpecies, una autem ſpecies in aliam tranſire non poteſt ; tum quia actus qui natura ſua peccatum veniale eſt, non concipitur fieri peccatum mortale, niſi mutentur circunſtantiæ ; vel ex parte materiæ, vel ex parte finis, vel ex alia quacunque ratione : at vero ſi qua ſupponatur mutata circunſtantia, jam non unus idemque erit actus moralis ; ſiquidem actus moralis ſpeciem ſuam deſumit ab objecto, vel a fine vel ab aliis circunſtantiis : ergo peccatum veniale proprie loquendo fieri non poteſt mortale. Unde & manifeſte ſequitur eadem ratione peccatum m[illegible]rtale fieri non poſſe veniale.

Quærit inſuper Sanctus Thomas, an peccatum veniale cauſet maculam in anima.

Reſpondet negative ; quia nempe peccatum veniale non excludit, neque imminuit habitum charitatis & aliarum virtutum, impediens ſolummodo nitorem quemdam actualem ; unde, inquit, ſi alicubi dicatur maculam inducere, hoc eſt ſecundum quid, in quantum impedit nitorem, qui eſt ex actibus virtutum.

Quæ-

Quærit utrum convenienter peccata venialia per lignum, fœnum, & ſtipulam deſignentur.

Reſpondet affirmative. *Dicendum eſt*, inquit, *quod ipſa peccata venialia, quæ admiſcent ſe procurantibus terrena, ſignificantur per lignum, fœnum, & ſtipulam: ſicut enim hujuſmodi congregantur in domo, & non pertinent ad ſubſtantiam ædificii, & poſſunt comburi ædificio remanente: ita etiam peccata venialia multiplicantur in homine, manente ſpirituali ædificio.*

Quærit deinde utrum homo in ſtatu innocentiæ potuerit peccare venialiter.

Reſpondet negative, quia peccatum veniale contingit in nobis vel propter actus imperfectionem, quales ſunt ſubiti motus in genere peccatorum mortalium & non plene deliberati, vel propter inordinationem exiſtentem circa ea quæ ſunt ad finem ultimum: ſed neutrum contingere potuit in ſtatu innocentiæ, in quo nempe ordo nondum erat perturbatus, ſed pars inferior ſuperiori perfecte ſubdita, appetitus ſenſitivus rationi, ut ratio Deo ipſi ſubdebatur: quamobrem neceſſe fuit in illo ſtatu, ut inordinatio inciperet a peccato mortali.

Quærit poſtea, utrum Angelus bonus vel malus poſſit peccare venialiter.

Reſpondet vero nulla adhibita diſtinctione diverſi ſtatus, in quo conſiderari poteſt Angelus, eum peccare non poſſe venialiter, quia peccare non poteſt, niſi prius deficiat a fine, quod quidem non fit niſi per peccatum mortale. In hoc tamen cum Divo Thoma non omnino conſentiunt cæteri Theologi, multi enim contendunt optime fieri poſſe, ut Angelus creaturam aliquam eo amore diligeret qui ad peccatum mortale non ſufficeret.

Quæres denique, an peccatum veniale poſſit eſſe cum ſolo originali ſine mortali.

Reſpondet nonnulli Thomiſtæ poſt ipſum S. Thomam, nunquam in homine reperiri poſſe veniale peccatum cum ſolo originali. 1. quia inquiunt, ubi primum homo pervenit ad uſum rationis, tenetur ſub peccato mortali referre ſe ad Deum tanquam ad finem ultimum; unde plane neceſſe eſt, aut eum emundari a peccato originali, aut contrahere novum peccatum mortale. 2. quia ſi reperiretur originale cum ſolo veniali, nullus eſſet locus in quo plecteretur utrumque hoc peccatum, non infernus his ſolum deſtinatus qui mortaliter peccant, non purgatorius, quia in hoc non recipiuntur qui peccato originali ſunt obſtricti; non limbus, quia, inquiunt, hic ſolum eſt locus parvulorum qui cum ſolo peccato originali mortui ſunt: igitur.

Verum longe probabilior eſt aliorum communiter Scholaſticorum opinio, qui dicunt peccatum veniale poſſe cum ſolo originali eſſe ſine mortali; quidni etenim aliquis in peccato originali conſtitutus, ſtatim atque pervenit ad uſum rationis, poterit aliquod peccatum veniale committere, otioſum verbum proferre, leve mendacium dicere, &c.

Neque ullius plane ponderis ſunt quæ in præſidium ſuæ ſententiæ adducunt Thomiſtæ; non primum, quia nullo præcepto tenentur homines, ſtatim atque pervenerunt ad uſum rationis, referre ſe ad Deum ſaltem ſub pœna peccati mortalis. Non ſecundum, invicte enim, ut puto, ſupra oſtenſum eſt infantes ſolo peccato originali obſtrictos ſine ullo alio peccato mortali in inferos detruſum iri cum adultis.

De proprietatibus peccatorum.

PRoprietates peccatorum ſunt eorum diſtinctio, æqualitas, connexio, & infinitas, de quibus nunc paucis agendum eſt.

An

An & qua ratione peccata ſint ſpecie diſtincta.

QUæſtio non eſt de ratione formali conſtitutiva peccati ut peccatum eſt, ſic enim formaliter conſtituitur peccatum, in ratione ſcilicet peccati præciſe, per privationem rectitudinis debitæ actui humano, ut fuſius ſupradictum eſt. Hic itaque ſolummodo quæritur, unde ſumatur diſtinctio ſpecifica peccatorum, a quo peccatum aliquod ſit formaliter hujus vel illius ſpeciei.

Suam diſtinctionem ſpecificam non deſumunt peccata a diſtinctione præceptorum: Nam ad hoc ſatis eſt quod plura ſpecie diſtincta peccata poſſint uno eodemque præcepto prohiberi, & aliunde unum idemque peccatum cum diſtinctis præceptis plerumque militet; ſed utrumque verum eſt. Primo quidem plurima peccata ſpecie diſtincta poſſunt uno eodemque præcepto prohiberi; poſſet enim Deus, poſſent & homines qui Reipub. curam gerunt, eodem præcepto vel eadem lege multa præcipere, vel prohibere. Secundo unum idemque peccatum diſtinctis præceptis plerumque adverſatur, idem enim furtum legi naturali, præcepto divino, & legibus humanis opponitur; igitur peccata ſuam diſtinctionem ſpecificam non ſumunt a diſtinctione præceptorum.

Suam vero diſtinctionem ſpecificam peccata ſumunt ab objectis; ab eo quippe ſuam habent diſtinctionem ſpecificam per quod talia ſunt ſpecie peccata: atqui peccata talia ſunt & denominantur ab objecto; furtum v.g. differt ab homicidio, & in tali peccati ſpecie conſtituitur per objectum & relationem ad objectum, ut conſtat ex ejus definitione: peccata igitur ſuam diſtinctionem ſpecificam ſumunt ab objectis.

At, inquies, multa ſunt peccata, quæ ideo peccata ſunt, quia ſunt contra legem & per legem prohibita: horum igitur ſaltem diſtinctio ſumi debet ex oppoſitione cum diverſis præceptis.

Nego conſ. quamvis enim peccatum habeat rationem peccati a lege quæ ejuſmodi actum prohibet, ſuam tamen diſtinctionem ſpecificam non ſumit ab illa lege; nam propter legem ſit quidem ut actus ſit peccatum, non autem ut ſit hujus vel illius ſpeciei.

Utrum peccata omnia ſint æqualia.

PAria & æqualia eſſe peccata omnia quarto ſæculo docuit Jovinianus, ut ſupra obſervatum eſt, quando nimirum fuſe ſatis pro gravitate rei monſtravimus peccatum mortale & veniale ſuapte natura differre; quapropter conſuli poteſt ille articulus, in quo multa certe a nobis adducta ſunt luculentiſſima, cum ex divinis litteris, tum ex SS. Patribus ad probandam peccati mortalis & venialis differentiam, quæ ſane, ut nemo non videt, non minus aperte evincunt æqualia non eſſe peccata.

Hic itaque ſupereſt ut hujuſce inæqualitatis peccatorum varias ac multiplices cauſas recenſeamus.

Scilicet prima cauſa inæqualitatis peccatorum ſumitur ab objectis, ut modo dicebam præcedenti articulo; ab eo quippe inæqualia ſunt peccata, a quo cenſentur alia aliis graviora vel leviora; atqui peccata cenſentur in æſtimatione prudentum alia aliis graviora vel leviora ex objectis; peccata enim in Deum graviora ſunt quam peccata in homines, blaſphemia gravius eſt peccatum quam furtum: igitur inæqualitas peccatorum optime deſumitur ab objectis.

Illud tamen intelligi debet ſervata quadam proportione, atque, ut ajunt, cæteris paribus; quamvis enim blaſphemia ex genere ſuo & ratione objecti majus ſit peccatum quam homicidium, exiſtimo tamen levem blaſphemiam levius eſſe peccatum, quam occaſionem cen-

Digitized by Google

centum hominum : ſicut in rebus phyſicis quanquam aurum ſit argento longe pretioſius, tamen pluris æſtimatur maxima argenti copia quam parum auri.

Secunda cauſa inæqualitatis peccatorum petitur ex fine, quo enim pejor eſt finis quem ſibi proponit agens inter peccandum, eo certe gravius eſt peccatum, gravius enim eſt mendacium quod tendit ad fornicationem vel homicidium, quam ſi ſit plane officioſum.

Tertia cauſa peccatorum inæqualitatis petitur ex ipſa voluntate quæ potiſſima cujuſcunque peccati cauſa eſt; quo enim voluntas eſt magis deliberata, eo gravius eſt peccatum, cæteris paribus, ut jam monui, cum econtrario ea omnia peccatum minuant, quæ libertatem & rationis judicium deterunt, ut ignorantia & metus.

Quarta demum cauſa inæqualitatis peccatorum ſumitur ex circunſtantiis, quæ pro ſua multiplici diverſitate ita peccatum aggravant, ut ejus mutent ſpeciem; hinc furtum rei ſacræ gravius eſt peccatum, quam furtum rei alterius; hinc & in eodem peccati genere quo majus infertur nocumentum, eo gravius peccatum eſt; & rurſus ſi hoc nocumentum fuerit prævisum & intentum, tunc directe aggravatur peccatum, & ita de aliis circunſtantiis, tum ex parte perſonæ peccantis, tum denique ex parte ſcandali quod ex peccato emergit.

Utrum peccata ſint connexa.

HUic quæſtiunculæ occaſionem præbent hæc Jacobi Apoſtoli verba cap. 2. *quicunque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* Quæ quidem innuere videntur peccata omnia ſaltem quoad reatum eſſe connexa.

Contraria tamen ſententia eſt omnino certa, ſiquidem nihil eſt plerumque affinitatis inter peccata, quæ enim convenientia inter furtum & homicidium? quis dixerit eum adulterii reum eſſe qui commiſit mendacium? quin potius quædam ſunt peccata inter ſe contraria, ita ut ſimul in eodem ſubjecto cohærere non poſſint ut avaritia & prodigalitas. Atque id demum aperte conſtat ex eo quod, ut ſupra docuimus, dantur quædam peccata venialia in juſtis nullo mortali obſtrictis.

Neque vero quidquam negotii faceſſere debet præfatum Jacobi teſtimonium, qui enim offendit in uno dicitur factus omnium reus, non quod uno peccato commiſſo ſtatim & alia penitus omnia perpetraſſe cenſeatur; ait enim Jacobus hominem offendiſſe in uno qui totam legem ſervavit, ſed quia unum ſufficit peccatum, mortale ſcilicet, ut qui aliunde in ſervanda lege ſtudioſus eſt & diligens, æternam incurrat damnationem; vel iſtud demum intelligi poteſt, ut jam dixi, ubi de peccati mortalis & venialis differentia, eo ſenſu quod qui peccat in uno, peccat contra charitatem, ac proinde contra univerſam legem; tota enim lex in charitate conſiſtit, quæ quidem interpretatio S. Auguſtini eſt.

Utrum peccatum ſit infinitum.

TRita ac pervulgata eſt hæc plerumque Theologorum ſententia, qua docent peccatum eſſe infinitum, non ſatis, ut ego quidem arbitror, attendentes quid ſit peccatum, quidve infinitum eſſe; id potiſſimum tradere ſolent in tractatu de Myſterio Incarnationis, ubi ex eo quidem momento contendunt purum hominem condigne ſatisfacere non potuiſſe pro peccato, quod infinitum ſit, quod offenſa ſit infinita, ſatisfactio autem per opus quodvis noſtrum infinita eſſe non poſſit; quam vero immaniter hac in parte notione *infiniti* abutantur, ex dicendis mox patebit.

CON-

Digitized by Google

Concluſio.

Peccatum quodcunque ſit, dici non debet infinitum. Si enim peccatum eſſet infinitum, tale eſſet, vel quatenus eſt actio, vel quatenus eſt actio mala & ratione ſuæ malitiæ, vel denique quatenus eſt offenſa Dei: atqui peccatum non eſt infinitum, neque quatenus eſt actio, neque ratione ſuæ malitiæ, nec demum quatenus eſt offenſa Dei.

Ac primo quidem peccatum non eſt infinitum quatenus eſt actio; eatenus enim peccatum non eſt infinitum quatenus eſt a facultate maxime finita & limitata: atqui peccatum eſt a facultate omnino finita & limitata, tum in ſe & in entitate ſua, tum in agendi modo, nempe ab hominis voluntate, finitum autem nunquam poteſt agere modo infinito: nec quidquam producere infinitum, ergo peccatum quodcunque ſit non eſt infinitum ſi ſumatur quatenus eſt actio.

Secundo, peccatum non eſt infinitum ratione malitiæ actioni connexæ; nam malitia peccati, ut ſupra diximus, præciſe poſita eſt in privatione rectitudinis debitæ actui humano: ſed nullo plane ſenſu dici poteſt ejuſmodi privationem eſſe infinitam, præterquamquod enim nulla unquam privatio infinita eſſe poteſt, ſi qua privatio, tametſi valde improprie, diceretur infinita, ea certe ſola hoc nomine donaretur, quæ foret privatio formæ infinitæ; non aliter enim privationes denominari ac ſpecificari poſſunt quam a formis quarum ſunt privationes; atqui malitia peccati non conſiſtit in privatione formæ infinitæ, neque enim peccatum eſt privatio Dei, ſed rectitudinis debitæ actui; quæ quidem forma, quandoquidem recipitur in ſubjecto finito, maxime finita eſt: igitur peccatum ratione malitiæ non eſt infinitum.

Tertio demum nec infinitum eſt in ratione offenſæ Dei; eatenus enim duntaxat peccatum eſt offenſa Dei quatenus pugnat cum lege Dei, ejuſque voluntate: ſed quævis actio dici non debet infinita ex eo quod pugnat cum lege & voluntate divina, tum quia ſequeretur, quod nec ipſi volunt adverſarii, omne peccatum etiam veniale eſſe infinitum, pugnat enim cum lege Dei, & vera eſt Dei offenſa; tum quia ſi actus malus dicatur infinitus quia Deo diſplicet Deumque habet pro objecto, eadem ratione actus charitatis erit infinitus, Deo enim ipſi placet Deumque habet pro objecto; igitur peccatum non eſt infinitum quatenus eſt Dei offenſa.

Præterea ſi peccatum eſſet infinitum, ſequeretur inde paria eſſe & æqualia omnia peccata, non datur enim unum infinitum alio majus: abſurdum conſequens, ut ſupra oſtenſum eſt: ergo & antecedens. Neque eſt quod dicatur peccatum non eſſe infinitum in ratione entis prout actio eſt, recte vero in ratione mortis, prout eſt offenſa Dei; iterum enim colligetur inde omnia peccata æquales eſſe Dei offenſas, eatenus quippe peccata æqualia, quatenus ſunt infinita: atqui ſine maxima abſurditate dici non poteſt omnia peccata æquales eſſe Dei offenſas, homicidium v. g. non eſſe offenſam levi mendacio graviorem, blaſphemiam cum furto æqualem: igitur valde improprie dicitur peccatum eſſe infinitum.

Quibus adde tam obſcure tamque perplexe hanc ſuam opinionem tradere adverſarios, ut videlicet quid ſentiant, & quo tandem modo hac in materia loquendum ſit, vix ipſi explicare poſſint; quidam enim confidenter pronuntiant peccatum eſſe infinitum ſimpliciter: alii peccato non convenire niſi quandam infinitam. Sunt qui dicunt peccatum eſſe infinitum intrinſece; alii vero non niſi extrinſece. Quidam contendunt malitiam ipſam peccati eſſe infini-

finitam ; alii autem negant, & id ſolum docent de peccato prout offenſa eſt Deo illata ; quæ ſane perplexitas in aliqua opinione aſſerenda non leve eſt falſitatis argumentum.. Quid quod nullus eſt Theologus qui affirmate non dicat peccatum eſſe purum nihil, defectum eſſe non effectum, quo vero tandem ſenſu infinitum erit id quod agnoſcitur eſſe merum nihil?

Objicies : omne peccatum, ſaltem mortale, eſt offenſa Dei : ſed offenſa Dei utpote infiniti cenſeri debet infinita : gravitas enim offenſæ creſcit pro dignitate perſonæ læſæ, ut conſtat apud omnes: ergo.

Nego min. & ad ejus probationem diſt. gravitas offenſæ creſcit pro dignitate perſonæ læſæ ſecundum quid & ſervata proportione, C. ſimpliciter & nulla ſervata proportione, ita ut offenſa ſit infinita, quia perſona læſa eſt infinita, N. Nam ſi quid virium eſſet in illa argumentatione, liceret etiam colligere viſionem Dei eſſe infinitam, actum charitatis eſſe infinitum ; ſiquidem illæ actiones Deum habent pro objecto, quod certe nemo dixerit. Quamobrem offenſa ſpecificatur quidem a perſona læſa & eo gravior eſt, quo major eſt dignitas perſonæ læſæ ; unde offenſa in Deum longe gravior cenſeri debet quam quævis alia hominibus illata, ſed non ideo colligendum eſt illam eſſe infinitam propter infinitam dignitatem divinæ majeſtatis. Certe peccatum veniale eſt offenſa Dei, pugnat enim cum lege Divina, ut dixi ; atqui tamen peccatum veniale non eſſe infinitum & infinitam non habere malitiam ipſi fatentur adverſarii ; male igitur peccatum mortale putant infinitum ex eo quod ſit offenſa Dei.

At vero ; inquiunt adverſarii, hoc peculiare eſt offenſæ ſeu injuriæ ut intrinſece conſtituatur & ſpecificetur a dignitate perſonæ læſæ, in quo ſane differt a viſione Dei aliiſque actionibus quæ nonniſi extrinſece per ordinem ad objectum conſtituuntur, unde legitime infertur offenſam Dei eſſe infinitam & quidem intrinſece, quamvis actus charitatis in Deum non ſit infinitus niſi extrinſece & objective.

Diſt. ant. ut intrinſece conſtituatur & ſpecificetur a dignitate perſonæ læſæ ſecundum quid, ut modo dixi, C. ſimpliciter, N. Neque enim video cur peccatum, quia eſt offenſa Dei, participet potius ejus infinitatem quam alia attributa : ſane ſine maxima abſurditate dici non poſſet, peccatum, quoniam eſt in Deum, Dei offenſa & intrinſece ſpecificatur a Deo, æternum eſſe, immenſum, & independens ; quare ergo dici poterit infinitum ex eo quod eſt offenſa Dei infiniti? Quamobrem offenſa Deo illata eo ſenſu ſpecificatur intrinſece ab ipſo Deo, quod major eſt quavis alia injuria, gravitas enim offenſæ creſcit ex dignitate perſonæ in quam peccatur, non autem eo ſenſu quod ſit infinita, quia Deus infinitus eſt.

Inſtabis cum Medina : peccatum illud eſt infinitum quod ex ſe & ex natura ſua deſtructivum eſt Dei : atqui peccatum mortale. ex ſe & ex natura ſua tam malignantis eſt naturæ, ut ſi poſſibile eſſet, Deum ipſum deſtrueret : ergo.

Nego min. non modo enim metaphorice, ſed & falſo dicitur peccatum ex ſe & ex natura ſua Deum deſtruere, ſiquidem Deus a nullo deſtrui poteſt.

Inſtabis : illud quantum in ſe eſt deſtruit Deum, quod tollit ab eo rationem finis ultimi : atqui peccatum quantum in ſe eſt, tollit a Deo rationem finis ultimi ; quando enim aliquis peccat mortaliter, alium ſuæ actionis finem ultimum præſtituit quam Deum : ergo.

Nego maj. quod enim homo inter peccandum mortaliter in alia plane re

finem

finem ſuæ actionis ultimum conſtituat quam in Deo, ſane nihil quicquam nocet ipſius Dei vitæ; peccatum enim eſt Deo maxime extrinſecum; neque etiam aliter ipſum lædit, quam quia pugnat cum ejus præcepto.

Objicies: illud peccatum eſt infinitum & malitiæ infinitæ quod juſte punitur pœna infinita; atqui peccatum mortale juſte punitur pœna infinita, videlicet pœna æterna quæ infinita eſt ſecundum durationem: ergo peccatum mortale infinitum eſt.

Nego maj. ut enim juſte puniatur pœna æterna quiſquis in Deum peccat mortaliter, ſatis eſt quod graviſſima ſit culpa, neceſſe non eſt ut ſit infinita: aliter non poſſet Deus pœnam æternum duraturam decernere pro actione momentanea. Deinde vero nego etiam minorem, videlicet peccatum mortale puniri pœna infinita, pœna enim damnatorum non eſt infinita, tametſi æternum duratura ſit, niſi dicatur infinita extenſive, ut ajunt, & quoad durationem, quod minime probat cauſam propter quam infligitur, eſſe infinitam.

De ſubjecto peccati.

Voluntas eſt ſubjectum peccati: ſiquidem peccatum eſt actus humanus liber & voluntarius: atqui voluntas eſt ſubjectum cujuslibet actus liberi & voluntarii: actus enim liber & voluntarius eſt actus immanens ſaltem primo & per ſe quatenus eſt voluntarius: ſed actus immanentis ſubjectum eſt ipſa potentia a qua elicitur: ergo voluntas eſt ſubjectum peccati; & in hoc nulla eſt difficultas.

Quæſtio eſt an ſola voluntas ſit ſubjectum peccati, an vero peccatum ſit quoque in aliis facultatibus a voluntate diſtinctis, ſcilicet in membris, in intellectu, in appetitu ſentiente.

Primo, peccatum actuale non eſt in membris exterioribus tanquam in ſubjecto; cum enim peccatum ſit actus humanus & immanens, in eo ſolum tanquam in ſubjecto eſt, quod eſt principium actuum humanorum: atqui membra exteriora non ſunt principia actuum humanorum, ſed ſolum organa, quibus utitur voluntas ad agendum, quæ aguntur & moventur, non agunt vero ipſa nec movent, brachium v. g. non niſi organum eſt, quo utitur voluntas ad homicidium, nec proprie loquendo hujuſce actus principium eſt, unde ſublato rationis judicio & libera voluntatis determinatione non foret homicidium, non foret peccatum: igitur peccatum actuale eſt in membris exterioribus tanquam in ſubjecto.

Neque eſt quod dicatur cum nonnullis, peccatum eſſe quoque in membris exterioribus formaliter, ſaltem ſecundario, derivata ſcilicet malitia a voluntate; quia, inquiunt, in homicidio v. g. motus eſt in manu cum quis percutit & occidit; ſi ſermo ſit de mendacio, eſt motus in lingua ejus qui mentitur. Tametſi enim in iſtis exemplis motus ſit in manu & in lingua tanquam in ſubjecto, tamen peccati rationem non habet prout eſt in manu vel lingua, ſed ſolum prout eſt a voluntate, quæ ſola proprie loquendo principium eſt, & ideo ſubjectum peccati; ſi enim ejuſmodi motus tum manus tum linguæ non eſſet voluntarius, eo præciſe non eſſet peccatum; quemadmodum loquitur S. Auguſtinus lib. 3. de lib. arbitr. cap. 7. *Peccatum eſt ita voluntarium, ut niſi eſſet voluntarium, non eſſet peccatum.*

Secundo, quoad rationem & intellectum attinet, quærit S. Thomas 1. 2. q. 74. art. 5. utrum peccatum ſit in ratione, & reſpondet rationis duplicem eſſe actum, unum quidem ſecundum ſe in comparatione ad proprium objectum, quod eſt cognoſcere aliquod verum, alterum vero in quantum dire-

ctiva eſt aliarum virium. Tum vero definit utroque modo peccatum eſſe in ratione: primo in quantum errat in cognitione veri, quod quidem tunc ei imputatur ad peccatum, quando habet ignorantiam vel errorem circa id quod poteſt & debet ſcire. Secundo quando inordinatos actus inferiorum virium vel imperat, vel etiam poſt deliberationem non coercet.

Hoc ipſum confirmant plerique alii Theologi, qui nempe docent peccatum formale non in ſola voluntate eſſe, ſed etiam in ipſo intellectu, tum ex eo quod nullum ſit peccatum in voluntate, niſi præceſſerit defectus in intellectu, quatenus illa non fertur niſi in idipſum quod fuit a ratione propoſitum; tum quia vitioſi ſunt habitus in intellectu, ut infidelitas, error, imprudentia; aliunde vero conſtat ejusdem potentiæ eſſe actum & habitum; tum denique quia libertatem quæ principium eſt & radix boni & mali aliter participat intellectus, quam appetitus ſentiens aliæque humanæ facultates, actus enim humani dicuntur qui a ratione ut & a voluntate proficiſcuntur.

Verum ego quidem puto peccatum proprie & formaliter eſſe in ſola voluntate, neque reperiri etiam formaliter in ratione; hæc enim recenſita Theologorum opinio hoc præſertim principio nititur, quod imperium ſit actus rationis, quo nimirum cæteras facultates ad ſua opera dirigit, quod ſane mihi videtur falſum; in actu enim humano ſola ex parte intellectus præcedit cognitio, vel judicium rationis proponentis objectum, neque in eo peccatum eſt moris, niſi quatenus voluntarie errat circa ea quæ ſciri debent, quod idem plane dicendum de infidelitate, ignorantia, & imprudentia: fatemur enim ea omnia eſſe in intellectu, ſed aliunde contendimus non eſſe peccata, niſi quatenus ſunt volita. *Peccatum* enim, inquit S. Auguſt. loco mox citato, *eſt ita voluntarium, ut niſi eſſet voluntarium, non eſſet peccatum.*

Gravior vero difficultas eſt inter Theologos, an ſit aliquod peccatum formaliter in appetitu ſenſitivo velut in ſuo ſubjecto.

Reſpondeo peccatum formaliter ſumptum non reperiri in appetitu ſenſitivo: in ea enim facultate non eſt peccatum formaliter ſumptum, quæ non eſt ſubjectum libertatis, peccatum enim eſt actus liber & voluntarius: atqui appetitus ſentiens non eſt ſubjectum libertatis, utpote cum ſit ad unum determinatus, ejuſque actiones non ſint liberæ, niſi quatenus a voluntate imperatæ ſunt; quemadmodum & aliæ vires inferiores, par enim eſt ratio hac in parte omnium facultatum a voluntate diſtinctarum; hæ enim omnes nihil boni vel mali exercent, niſi prout rationi & voluntatis imperio ſubjacent, ſola voluntas imperat, ſola libera eſt.

Ratio eſt inſuper quia cum ratio formalis peccati poſita ſit in privatione honeſtatis, ea ſola facultas eſt ſubjectum peccati, quæ poteſt eſſe ſubjectum honeſti aut vitii: atqui ſola voluntas poteſt eſſe ſubjectum honeſti aut vitii, nec ipſe appetitus ſentiens poteſt unquam eſſe ſubjectum honeſti & vitii, cum ſenſus non cognoſcat quid ſit honeſtum, quid turpe, aut contra rationem: igitur peccatum formaliter ſumptum non ineſt appetitui ſentienti.

Quæres an primi motus appetitus ſentientis ſint peccata.

Conſtat primum nemine Catholico refragante nullam appetitus ſentientis motionem, etiam quæ verſetur circa res illicitas, peccatum eſſe mortale, quando voluntatis conſenſum antevertit; quod utique jam ſuperius demonſtratum puto, cum adverſus Novatores oſtendimus non remanere in renatis concupiſcentiam, quæ in iis loco peccati lethalis ſit ante omnem voluntatis conſenſum.

Docet

Docet Cajetanus, quem in hac parte ſequuntur quidam recentiores, in appetitu ſenſitivo eſſe poſſe peccatum veniale ante omnem voluntatis conſenſum, vel etiam ante rationis deliberationem; exiſtimat enim appetitum ſenſitivum quandam habere libertatem, ſeu conſenſum in delectationem pertinere ad rationem inferiorem, etiam independenter ab alio ſuperiori voluntatis conſenſu & imperio.

Sunt alii qui dicunt delectationem poſſe modo veniale peccatum eſſe, modo mortale; tunc eſſe veniale, quando ſtatim atque tetigit partem inferiorem, ratio ſuperior illam rejicit; tunc vero eſſe mortale, quando ſuperior illam non impedit cum poſſit, quæ ſententia eſt Magiſtri Sentent. lib. 2. diſt. 24.

Diſtinguunt alii motus appetitus ſentientis in motus primo primos & motus ſecundo primos: motus primo primus ille eſt qui ſubito ante omnem rationis conſiderationem inſurgit; motus vero ſecundo primus, qui iſti primo motui ſtatim ſuccedit. Hinc quorundam ſententia fuit, ut refert Henricus a Gandavo quodlibeto 6. quæſt. 32. qui docebant non ſolum motus ſecundo primos qui aliquo modo voluntarii ſunt, quia eos voluntas non cohibuit; ſed etiam primo primos adhuc in baptizatis peccata eſſe non ex voluntate propria, ſed ex vitio fomitis qui ex peccato originali tranſit. Quoniam vero hæc ſententia manifeſte damnata eſt a Patribus Tridentinis, qui ſeſſ. 5. definierunt totum id tolli per baptiſmum, quod in renatis vere & proprie rationem habet peccati, ex propria mente docet Henricus ejuſmodi motus primo primos non eſſe quidem peccata in baptizatis, recte vero in iis qui nondum baptiſmo tincti ſunt.

Multi demum alii affirmant motus appetitus ſentientis, quantumvis ſint inopinati & primo primi, ſeu ex corporis perturbatione, ſeu ex ſola imaginationis apprehenſione profecti ſint, eſſe peccata, eo quod potuerint a voluntate cohiberi, impediente videlicet ne inſurgerent.

Sed illæ omnes ſententiæ, quæ id inter ſe commune habent, ut aliquid hominibus vitio vertant quod iis non fuit voluntarium, ipſoſque motus primo primos eſſe ſaltem peccata venialia doceant, facile his argumentis luculentiſſimis revincuntur.

Primo ex hoc Apoſtoli effato, ad Rom. cap. 7. *jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*. Unde colligitur hominem non operari id quod fit ab appetitu ſentiente non a ratione: ſed quod homo non operatur, peccatum non eſt: igitur motus primo primi peccata non ſunt.

Secundo id conſtat ex S. Auguſtino paſſim affirmante, ut jam dixi, nihil eſſe peccatum quod non ſit voluntarium, & ſpeciatim de moribus concupiſcentiæ involuntariis lib. 1. de Civit. Dei c. 25. *Quod ſi illa concupiſcentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat præter noſtræ voluntatis legem, quaſi lege ſua movetur, quanto magis eſt abſque culpa in corpore non conſentiente, ſi abſque culpa eſt in corpore dormiente?* Quod idem docet lib. 1. de nuptiis & concup. cap. 23. & lib. de dono perſev. cap. 8.

Tertio, ex S. Thoma qui 1. 2. q. 74. art. 1. probat actus ſenſualitatis eatenus eſſe peccata quatenus ſunt voluntarii: *Dicendum*, inquit, *quod peccatum poteſt inveniri in qualibet potentia, cujus actus poteſt eſſe voluntarius & inordinatus, in quo conſiſtit ratio peccati. Manifeſtum eſt autem quod actus ſenſualitatis poteſt eſſe voluntarius, in quantum ſenſualitas, id eſt, appetitus ſenſitivus, nata eſt a voluntate moveri; unde relinquitur, quod in ſenſualitate poſſit eſſe peccatum*. Et ad tertium in eodem articulo: *Dicendum quod illud quod homo facit ſine deliberatione rationis non perfecte ipſe facit;*

Digitized by Google

rit ; quia nihil operatur ibi id quod eſt principale in homine , unde non eſt perfecte actus humanus , & per conſequens non poteſt eſſe perfecte actus virtutis vel peccati . Atqui certum eſt motus primo primos non eſſe voluntarios , antevertunt enim omne rationis judicium , omne voluntatis deliberationem : igitur non ſunt peccata . Quamobrem cum ibidem addit S. Thomas , talem motum ſenſualitatis eſſe peccatum veniale , ſupponit illum eſſe imperfecte voluntarium , id eſt aliquem habere ordinem ad voluntatem , vel quia appetitus ſentiens movetur a voluntate , vel quia non reprimitur ab ea , quando poſſet & deberet reprimi .

Quarto , quia illud non habet rationem peccati etiam venialis , quod non eſt in noſtra poteſtate , quod caveri non poteſt , quod non eſt voluntarium : atqui motus concupiſcentiæ primo primi non ſunt in noſtra poteſtate , caveri non poſſunt , non ſunt voluntarii ; ut enim docet S. Auguſtinus lib. 3. de libero arbit. cap. 25. *quod quiſque vel ſumat vel reſpuat , eſt in poteſtate ; ſed quovis tangatur , nulla poteſtas eſt* . Quod quidem inſuper ſatis ſuperque cuilibet ex propria experientia compertum eſt ; nemo eſt enim qui non experiatur ſupra omnem induſtriam & ſollicitudinem humanam eſſe , hos omnes & ſingulos motus prævenire : ergo motus primo primi non ſunt peccata .

Neque eſt quod dicatur in eo tum peccare voluntatem quod his motibus non ſatis invigilet , ejuſque ſingulos diligenter non coerceat ; id quippe , ut mox dixi , omnem ſuperat hominis vel ſcrupuloſiſſimi curam & induſtriam, hi enim motus ita ſubito & inopinanter oriuntur , ut cum unus reprimitur , alius ſtatim emergat .

Quæres utrum actus exterior aliquam bonitatem vel malitiam moralem addat actui interiori voluntatis .

Reſpondeo negative , ſiquidem , ut ſupra dixi , actus exterior facultatum quæ nonniſi ex imperio voluntatis agunt , ſuam malitiam uti & bonitatem accipiunt ab actu interiore voluntatis , unde exterior ſolam habet boni vel mali actus denominationem extrinſecam , & ideo una eſt utriuſque bonitas & malitia . Revera ſunt actus diſtincti & in genere phyſico longe diverſi ; homicidium v. g. prout in corde cujuſpiam conceptum , actus eſt phyſice & realiter diſtinctus ab exteriori homicidio prout perpetratum , ſed in genere homicidii moraliter ſumpti ſunt unus idemque actus , adeoque una eſt malitia , ut expreſſe docet S. Thom. 1. 2. q. 20. art. 3. *Actus interior voluntatis* , inquit , *& actus exterior , prout conſideratus in genere moris ſunt unus actus* . Ubi addit actus interioris & exterioris non eſſe unam malitiam , niſi quando ad invicem ordinatur , quod ſatis ab omnibus intelligitur veriſſimum .

Quæres utrum conſenſus in delectationem , vel delectatio moroſa conſiderata ſine ordine ad opus , puta delectatio de cogitatione rei turpis & illicitæ ſine animo rem illam perficiendi ſit peccatum mortale . Scilicet nomine delectationis moroſæ intelligitur delectatio de turpi aliquo opere in parte inferiori quam ratio non repellit , quando in eam advertit : moroſa dicitur ejuſmodi delectatio , quia homo non ſtatim diſſentit per voluntatem .

Deinde duplicem rationem , ſcilicet ſuperiorem , & inferiorem diſtinguunt Theologi ; ſuperior eſt ea quæ æternis rationibus conſpiciendis vel conſulendis inhæret , inferior quæ ſolas regulas naturales & temporales conſiderat . Prior deliberat de agendis prout Deo placent vel diſplicent , poſterior vero prout honeſta ſunt vel turpia , commoda vel nociva ; his poſitis ,

Reſpond. conſenſum in delectationem peccatum eſſe mortale , & hæc eſt ſententia S. Thomæ dicentis 1. 2. q. 74. art. 8. communiorem & veriſimiliorem eſſe

eſſe opinionem, quibuſdam aliis ut ait refragantibus. Ratio eſt, quia peccatum mortale committit quiſquis affectum ſuum dirigit in rem malam & turpem, ſaltem ſi gravis ſit materia; tunc enim amat ſupra Deum rem malam & illicitam: atqui per ejuſmodi delectationem moroſam affectus hominis inclinatur in rem malam, turpem & illicitam, & aliunde ſupponimus id fieri in materia gravi & deliberate; igitur conſenſus in delectationem peccati mortalis eſt peccatum mortale.

Neque in contrarium objici debet hoc S. Jacobi teſtimonium, *peccatum cum conſummatum fuerit generat mortem*. Quaſi peccatum mortem non generet ante operis conſummationem; id unum quippe docet hic Apoſtolus peccatum quando conſummatum eſt generare mortem, ſed minime negat prius & ante perfectam operis conſummationem illud mortem inferre.

At, inquies, hæc ſententia aperte rejecta eſt a S. Auguſtino, ſic enim loquitur lib. 12. de Trinitate cap. 12. *Nec ſane*, inquit, *cum ſola delectatione mens oblectatur illicitis non quidem decernens eſſe facienda, tenens tamen & volvens libenter, quæ ſtatim attigerunt animum, reſpui debuerunt, negandum non eſt eſſe peccatum, ſed longe minus quam ſi opere ſtatuatur implendum. Et ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda eſt, pectuſque percutiendum, atque dicendum, Dimitte nobis debita noſtra*. Ex quibus hoc conficitur argumentum, ex S. Auguſtino peccatum moroſæ delectationis tale eſt, ut oratione Dominica deleatur: atqui ſola peccata venialia delentur per orationem Dominicam in principiis S. Auguſtini, ut patet ex l. 1. de Symbolo ad Cathecumenos cap. 7. & 8. ex Enchiridio cap. 78. & ex aliis multis locis: igitur.

Diſt. maj. oratione Dominica conjunctim cum pœnitentia, C. ſeorſim a pœnitentia, N. ait enim S. Doctor, *de talibus cogitationibus venia petenda eſt pectuſque percutiendum*. Poſtea vero ſubjungit, *hæc quippe una perſona eſt, unus homo eſt, totuſque damnabitur, niſi hæc quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, per mediatoris gratiam remittantur*.

Dices: qui delectationem perciperet ex meditatione legis divinæ ſine animo eam implendi, præmium non conſequeretur æternum: ergo nec pœna æterna dignus cenſeri debet, qui ſola delectatione mali paſcitur ſine animo rem perficiendi.

Nego conſeq. & par. ratio diſcriminis eſt, quia plura longe requiruntur ad bonum quam ad malum: bonum ut ajunt, ex integra cauſa, malum autem ex minimo defectu; quo fit ut ſatis non ſit homini legem meditari, debet enim inſuper illam implere, ut vitam ſcilicet æternam conſequatur; cum contra ut peccati reus ſit, ſatis ei ſit in rem malam & illicitam affectum ſuum intendere, quod quidem fit per delectationem moroſam præfato ſenſu explicatam: cætera quæ ad hanc materiam pertinent, fuſius tractata legantur apud Caſuiſtas.

De cauſa peccati.

Cauſa efficiens peccati duplex diſtinguitur a Theologis, interna nimirum & externa: interna quæ eſt in homine; externa vero quæ eſt extra ipſum.

Cauſa peccati interna triplex eſt, ignorantia, infirmitas & malitia: prima eſt in intellectu, ſecunda in appetitu ſenſitivo, tertia in voluntate.

Ignorantiam aliquando cauſam eſſe peccati manifeſtum eſt ex Scripturis: Levitici cap. 4. *ſi anima peccaverit per ignorantiam*. Pſalmo 24. *delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris*.

Digitized by Google

neris. Uti interpretatur S. Auguſtinus lib. 1. oper. imperf. cap. 105. his verbis: *Neceſſe eſt ut peccet qui neſciendo quid facere debeat, quod non debet facit, de quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur, delicta juventutis, &c.* quæ vero & qualis ignorantia ſit cauſa peccati, abunde diximus in tractatu de actibus humanis.

Infirmitas eſt etiam cauſa peccati, ubi per infirmitatem intelligitur concupiſcentia, ſeu inordinata paſſio appetitus ſenſitivi hominem inclinans ad peccata, Danielis 13. *concupiſcentia ſubvertit cor tuum*. Ad Rom. 6. cap. *non regnet peccatum in corpore veſtro mortali, nec obediatis concupiſcentiis ejus*. Jacobi cap. 1. *unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, concupiſcentia autem cum conceperit parit peccatum*.

Malitiam denique eſſe cauſam peccati conſtat etiam ex Scripturis, Pſal. 151. *quid gloriaris in malitia qui potens es in iniquitate?* Prov. 2. *lætantur cum mala fecerint & exultant in rebus peſſimis*. Porro peccare ex malitia nihil aliud eſt quam malo adhærere; ubi nulla eſt ignorantia, nec fortiter urget paſſio, ſeu motus quiſpiam appetitus ſentientis; neque enim peccare ex malitia ſignificat velle malum ſub ratione mali, quod quidem neutiquam fieri poteſt, ut docent Philoſophi.

Hujus diviſionis occaſione non erit extra rem obſervare eos qui peccant ex malitia gravius peccare quam qui ex infirmitate; & qui ex infirmitate, gravius quam qui ex ignorantia; ac prius quidem ex eo colligitur, quod qui peccant ex malitia malo firmius adhærent, Deique legem magis contemnere cenſentur, quandoquidem nulla vi moventur ad illius tranſgreſſionem; poſterius vero conſtat, quia peccatum ex paſſione conceptum facilius impediri poteſt & caveri, quam peccatum ignorantiæ; illud enim ſupponit ſcientiam, hoc vero non item.

Cauſa peccati externa duplex cogitari poteſt, diabolus & Deus.

Certum eſt diabolum aliquo modo cauſam eſſe peccati quod ab homine committitur, nam dæmonibus peccata hominum attribuunt Scripturæ, Geneſeos 3. cap. legimus primos parentes ad peccatum a dæmone fuiſſe incitatos. Item S. Petrus 1. Epiſt. cap. 5. ſic loquitur, *ſobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*. Quod ipſum certe docent SS. Patres. Nam Methodius in lib. de reſurrectione diabolum appellat *peccati artificem ac repertorem*. S. Gregorius Niſſenus in lib. de anima & reſurrectione *mendacii repertorem*. S. Athanaſius orat. 1. contra Arianos, *malitiæ inventorem*. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 10. *auctorem delicti*. S. Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 28. *omnium peccatorum autorem*. S. Leo M. ſerm. 4. de collectis *incentorem autoremque peccati &c.* An vero dici poſſit Deus cauſa peccati, longe fuſius, ut moris eſt apud Theologos, differendum.

An Deus ſit cauſa peccati.

REferente Cardinali Bellarmino, qui docte non minus quam copioſe hocce argumentum pertractavit lib. 2. *de amiſſ. gratiæ, & ſtatu peccati*, permulti tum ex antiquis hæreticis, tum ex recentioribus Deum ipſum non veriti ſunt dicere primariam peccati cauſam, quemadmodum de Simone Mago colligi poteſt ex Vincentio Lirinenſi in commonitorio; de Cerdonianis ex Tertulliano in libro de præſcriptione adverſus hæreticos; de Marcioniis ex S. Irenæo lib. 1. cap. 29. de Manichæis ex S. Auguſtino in libro de hæreſibus, hæreſ. 49. de Priſcillianiſtis ex S. Leone in Epiſt. 15. olim 93. de Albigenſibus ex S. Antonino in ſumma pag. 4. tit. 11. cap. 7.

Quan-

Quanquam obſervet nec immerito eminentiſſimus Scriptor iſtos omnes eum aliquo temperamento Deum dixiſſe primariam peccati cauſam ; ſiquidem hoc ipſum dicebat Simon Magus, quod eam naturam nobis dederit Deus, quæ non poſſit non peccare ; Cerdon vero, Marcion, & Manichæus omne quidem peccatum referebant in primum quoddam principium, ſed illud contendebant diabolum eſſe non Deum, aut certe non bonum ſed malum Deum.

Fuit vero hoc nefandum dogma clarius longe traditum a quodam Florino Montani diſcipulo, quem S. Irenæus referente Euſebio lib. 5. hiſt. cap. 20. eatenus inauditæ hucuſque impietatis reum perhibet.

Quin & ſæculo decimo ſexto hanc ipſam blaſphemiam palam aſſerere auſi ſunt quidam hæretici dicti Libertini, quos eo nomine fortiter oppugnavit Joannes Calvinus in duplici opuſculo, ſcilicet in inſtructione adverſus Libertinos, & in Epiſtola ad Rothomagenſes.

Qua vero manu tam horrendam impietatem confutavit Calvinus, negans aperte Deum poſſe dici auctorem peccati, ſexcenties tamen ſcripſit Deum velle, decernere, præcipere peccatum, ad illud incitare, compellere, cogere, ſtulte irridens eam communem & pervulgatam Theologorum diſtinctionem inter agere & permittere, ut ejus verbis utar ; ſic enim vero loquitur lib. 1. Inſtitut. cap. 18. *Ex aliis locis ubi Deus ſatanam ipſum, & omnes reprobos ſuo arbitrio flectere vel trahere dicitur, difficilior emergit quæſtio. Quomodo enim per illos agens nullam ex eorum vitio labem contrahat, imo in opere communi ab omni culpa ſit immunis, miniſtros autem ſuos juſte damnet, vix capit ſenſus carnis ; hinc reperta diſtinctio inter agere & permittere ... : abſurdum videtur volente ac jubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis ſuæ pœnas daturus eſt. Tergiverſando itaque effugiunt Dei tantum permiſſu, non etiam voluntate hoc fieri, ipſe vero palam ſe facere pronuntians, effugium illud repudiat. Quod autem nihil efficiant arcano Dei nutu, nec quicquam deliberando agitent, niſi quod ipſe jam apud ſe decreverit, & arcana ſua directione conſtituat, innumeris & claris teſtimoniis probatur.*

Hinc varia ex ſacris Scripturis depromit teſtimonia, quæ quidem paulo infra explicabimus. *Vult Deus*, inquit, *perfidum Regem Achab decipi, operam ſuam offert diabolus ad eam rem, mittitur cum certo mandato, ut ſit ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Si Dei judicium eſt excæcatio & amentia Achab, nudæ permiſſionis figmentum evaneſcit ... Abſalon inceſto coitu patris torum polluens, deteſtabile ſcelus perpetrat, Deus tamen hoc opus ſuum eſſe pronuntiat, verba enim ſunt, Tu feciſti occulte, ego vero palam faciam & coram ſole hoc. Quidquid ſævitiæ exercent Chaldæi in Judæa opus Dei eſſe pronuntiat Jeremias ... ſed nihil clarius poteſt deſiderari, quam ubi toties pronuntiat ſe excæcare hominum mentes ac vertigine percutere, ſpiritu ſoporis inebriare, mentere amentiam, obdurare corda ... fateor quidem interpoſita ſatanæ opera ſæpe Deum agere in reprobis, ſed ut ejus impulſu ſatan ipſe ſuas partes agat & perficiat quatenus datum eſt. Spiritus malus turbat Saulem ; ſed dicitur eſſe a Deo, ut ſciamus furorem Saulis a juſta Dei vindicta prodire : Dicitur etiam idem ſatan excæcare infidelium mentes, ſed unde hoc, niſi quia a Deo ipſo manat efficacia erroris, ut mendaciis credant qui renuunt parere veritati?*

Hæc porro aliaque ſimilia quæ paſſim in ejuſdem Calvini ſcriptis reperiuntur, adeo clare demonſtrant illum exiſtimaſſe Deum eſſe autorem peccati, ut cum aliunde fidem ſuam hac in parte vindicare conetur, quando ſcribit, adverſus Libertinos illi merito exprobrari poſſit,

quod in pari caſu ſcribit ipſe adverſus quemdam Libertinum in Epiſtola ad Rothomagenſes: *Conteſtatur*, inquit, *ſibi longe alium eſſe mentem, ſeque Deum mali autorem facere nolle affirmat, ſed quid prodeſt ejuſmodi ſubterfugium in re tam aperta?* Scilicet Calvinus & ejus poſtmodum ſectarii Beza, Petrus Martyr, Chamierus & alii affirmate pronuntiant, Deum velle, decernere, præcipere homicidia, rapinas, adulteria, cæteraque hominum ſcelera; tum vero ad ea homines excitare, impellere, cogere; & tamen negant Deum eſſe auctorem peccati: Sane manifeſtum in ea re fucum facientes; quaſi nempe in eum ſolum debeat culpa referri, iſque ſolus peccati cauſa ſit, qui per ſe ipſum peccat, mœchatur, furatur, occidit, vel aliud quodcunque flagitium committit, nequaquam vero is qui præcipit peccatum & ad illud impellit.

Sed quoniam, ut mox oſtendam, apud omnes falſo judicio minime præoccupatos conſtare debet, eum merito cenſeri peccati cauſam qui proprie peccatum decernit, & præcipit, tum vero ad illud alterius voluntatem flectit, impellit, cogit; utpote qui ſaltem cauſa moralis peccati ſit, quod ſufficit ut culpæ reus habeatur, eo nomine hæreticos noſtros impugnabimus, quod diſerte Deum docuerunt hoc pacto primariam eſſe peccati cauſam, qua in re ſacris Scripturis, SS. Patribus, ipſique rationi naturali aperte contradicunt; quocirca in eos ſit

CONCLUSIO.

Deus non eſt cauſa peccati eo ſenſu quod velit, præcipiat, operetur peccatum; tum vero ad illud committendum voluntates hominum excitet atque impellat.

Probatur primum ex Scripturis.

Ac primo Deus non vult peccata hominum. Pſalm. 5. *non Deus volens iniquitatem tu es*. Pſalm. 27. *odiſti omnes qui fornicantur abs te*. Pov. 44. *dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem*. Ezechiel. 18. *nunquid voluntatis meæ eſt mors impii? dicit Dominus*. 2. Petri 3. *Deus neminem vult perire*. Quæ quidem teſtimonia dubio procul luculentiſſima ſunt.

Neque audiendi ſunt Calviniſtæ, cum dicunt non velle quidem Deum voluntate ſigni homines peccare, quia videlicet ejuſmodi voluntate vult contrarium, & quando prohibet & quando punit peccata hominum; hoc ipſum tamen velle voluntate beneplaciti, quæ ſola vera eſt & proprie dicta voluntas. Eſt quippe inepta ſupra modum hæc reſponſio, quandoquidem nullo plane fundamento affirmatur Deum intus aliquid velle, quod ſe non velle, odiſſe, deteſtari, plectere vel ſexcenties declarat in ſacris Codicibus.

Secundo, Deus non præcipit hominibus ut peccent, Eccleſiaſtici cap. 15. *nemini mandavit impie agere*. Jerem. 19. *ædificaverunt excelſa Baalim quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum*. Quin potius plenæ ſunt ſacræ paginæ divinis teſtimoniis, in quibus Deus præcipit ſub ipſius mortis pœna, ut homines non peccent. Geneſ. 2. cap. *in quocunque die comederis ex eo, morte morieris*. Ezech. 18. *anima quæ peccaverit ipſa morietur*.

Tertio, Deus in hominibus non operatur peccata. Sapientiæ 11. *nihil odiſti eorum quæ feciſti*. Legitur autem Deum odio habere peccatum. Sapientiæ 14. *odio eſt Deo impius & impietas ejus*. 2. Joan. 3. cap. *qui facit peccatum ex diabolo eſt*. At nemo dixerit Deum ex diabolo eſſe: igitur Deus non facit peccatum.

Quarto demum, Deus neminem provocat, neminem impellit ad peccatum, Eccleſiaſtici 15. cap. *non dicas: Per Dominum abeſt: quæ enim odit, ne fece-*

Digitized by Google

feceris. Non dicas: Ille me implanavit, non enim neceſſarii ſunt ei homines impii. Jacobi 1. cap. *Nemo cum tentatur*, ad peccandum ſcilicet, *dicat quoniam a Deo tentatur, Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat*, hoc eſt, neminem ad peccandum ſollicitat, unde cum tentationes quæ in nobis ut plurimum emergunt, oriantur vel a diabolo, vel ab rebellante carnis concupiſcentia, peccata noſtra Deo neutiquam aſcribi debent.

Quibus adde quatuor alia teſtimoniorum genera paſſim reperiri in ſacris paginis, unde merito quivis colligat peccata hominum Deo nunquam tribui poſſe, non ſolum ut cauſæ Phyſicæ quaſi per ſe ipſum peccet, ſed neque ut cauſæ morali, quaſi velit fieri peccatum & ad illud voluntates hominum impellat; ſcilicet legimus 1. In Deo non eſſe peccatum. 2. Deum poſitive prohibere ne quis peccet. 3. Deum punire propter peccata commiſſa. 4. denique, peccatum eſſe a nobis, unumquemque eſſe ſui peccati cauſam.

Primo igitur non uno in loco legere eſt in Scripturis non eſſe peccatum in Deo. Deuteron. 32. *Deus fidelis & abſque ulla iniquitate*. Pſal. 72. *Quam bonus Iſrael Deus, juſtus Dominus, & non eſt iniquitas in eo. Confitemini Domino quoniam bonus; juſtus es Domine & rectum judicium tuum*. Rom. 3. *Nunquid iniquus eſt Deus? abſit*. 1. Joan. 3. *peccatum in eo non eſt*. Atqui, ſi Deus vellet, decerneret, præciperet peccatum & ad illud hominum voluntates ſollicitaret, cogeretque; quæ quidem omnia quam audacter tam impie pronuntiant Calviniſtæ, jam in ipſo Deo foret malitia & iniquitas: eſt enim extra omnem dubitationis aleam poſitum, peccati reum eſſe & vere ac proprie loquendo peccare, quiſquis peccatum vere efficit, & præſertim in genere cauſæ moralis: ſed qui peccatum vult & præcipit, qui vero inſuper ad illud homines flectit atque compellit; cenſetur vera ac proprie dicta cauſa mortalis peccatorum quæ committuntur: igitur, &c.

Secundo, ubique Deus vetat ne quis peccet, ut conſtat primum ex Decalogo, *non occides, non mœchaberis, non falſum teſtimonium dices, non furaberis, non concupiſces domum, non conjugem; non ancillam, non bovem, advenam non contriſtabis, &c.* Quin etiam vetat ſevere Deos habere alienos, idola colere, nomen ſuum in vanum aſſumere, &c. adeo ut ſi velit aliunde ejuſmodi peccata fieri, & ad illa voluntates mortalium impellat, inconſtans, fallax & perfidus cenſeri debeat. Immo vero ſtrictiſſime jubet bonis & piis operibus intentum habere animum, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*, Deuteron. cap. 6. Tum vero paſſim diligere proximum ſicut ſe ipſum; nemini malum facere; ergo omnes juſtitiam ſervare; orare pro inimicis, paſcere famelicos, veſtire nudos, viſitare infirmos, & cætera id genus; quod ſane conciliari non poteſt cum impia & horrenda Novatorum doctrina, qui Deum dicunt homicidia, rapinas, adulteria & alia quæcunque hominum flagitia velle & præcipere.

Tertio, conſtat etiam ex iiſdem divinis codicibus, Deum non modo propter peccata homines coarguere, minaſque paſſim intonare, ſed & illis pœnas aſſignare graviſſimas. Nimirum ibi Deus dicitur ultionum Dominus, terribilis ſuper omnem terram, horrenda iracundiæ ſuæ fulmina, tenebras exteriores, fletum & ſtridorem dentium, gehennæ ignem inextinguibilem peccantibus objicit: ſiccine vero propter illa eadem flagitia terreret puniretque homines, quæ quidem ex ſuſcepto conſilio præcepiſſet?

Quarto denique, addimus ea Scripturæ loca in quibus propriæ noſtræ voluntati & malitiæ, non Deo ipſi attribuuntur peccata. Eccleſiaſtici 10. primi hominis

voluntati tribuitur omnis peccati fons & origo, *initium omnis peccati ſuperbia*. Quocirca in hoc hominem peccaſſe, in quo a Deo diſceſſit, teſtatur Pſaltes regius Pſal. 72. *ecce omnes qui ſe elongant a te, peribunt: perdidiſti omnes qui fornicantur abs te, defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam*. Et illis in locis Chriſtus Dominus quaſi digito commonſtrans omnium peccatorum fontem, ſolos cordis depravati affectus refert, Math. 15. *de corde exeunt cogitationee malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ, hæc ſunt quæ coinquinant hominem*. Inſuper Apoſtolus varia criminum genera enumerans Galat. cap. 5. adulteria, impudicitiam, idolorum ſervitutem, veneficia, inimicitias, contentiones, æmulationes, iras, rixas, diſſenſiones, invidiam, homicidia, ebrietates, hæc omnia appellat opera carnis: *manifeſta ſunt*, inquit, *opera carnis*. Quo pertinent eximia hæc S. Jacobi verba cap. 17. *Deus neminem tentat, unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus*.

Probatur 2. ex SS. Patribus qui in id omnes nullo excepto conſentiunt plane ſtultum eſſe atque impium, mala noſtra opera in Deum velut autorem referre, quaſi nempe ea velit, præcipiat & decernat, aut ad illa ſollicitet atque compellat, ut impie loquuntur Calviniſtæ.

Agmen ducet S. Juſtinus qui ſic loquitur in dialogo cum Triphone Judæo pag. 370 *Porro quod non Dei culpa, qui prænoſcuntur & futuri ſunt iniqui ſive Angeli ſive mortales mali ſint, ſed ſuapte pro ſe quiſque culpa talis ſit, qualis eſſe appareat, ſuperius etiam probavi*.

S. Irenæus referente Euſebio lib. 5. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 20. Epiſtolam ſcripſit ad quemdam Florinum, ut dedita opera ei oſtenderet Deum non eſſe mali autorem, illum vero ſic alloquitur: *Hæc dogmata, Florine, ut parciſſime ac leviſſime dicam, non ſunt ſanæ doctrinæ: hæc dogmata diſſentiunt ab Eccleſia, & in maximam impietatem eos conjiciunt qui illis aſſentiuntur: hæc dogmata ne ipſi quidem hæretici extra Eccleſiam poſiti proferre unquam auſi ſunt; hæc dogmata hi qui ante nos vixere presbyteri, qui etiam Apoſtolorum diſcipuli extiterant, nequaquam tibi tradiderunt*.

Tertullianus lib. de Spectaculis cap. 2. teſtatur Deum odio habere malitiam: *Nam ſi omnem malignitatem & ſi tantum malitiam excogitatam Deus exactor innocentiæ odit, indubitate quæcunque condit, non in exitum operum conſtat condidiſſe quæ damnat*. Tum vero perverſitatem omnem eliminat a Deo lib. contra Praxeam cap. 11. *A quibus*, inquit, *& præſcriptio noſtra deducitur, non poſſe unum atque eundem videri qui loquitur, & de quo loquitur, & ad quem loquitur, quia neque perverſitas, neque fallacia Deo congruat*.

Item S. Clemens Alexand. lib. 1. Pedagogi cap. 8. *Unuſquiſque autem noſtrum*, inquit, *ſupplicium eligit, cum ſponte peccat, culpa eſt autem ejus qui eligit: in Deum autem culpa conferri nequit*. Dixerat initio ejuſdem capitis, Deum non velle id quod odio proſequitur, *non enim aliquid quidem odiſſe poteſt & velle id eſſe quod odit*. At certe dubitare non potuit Clemens Alexandrinus Deum vehementer odiſſe peccatum, ſiquidem id aperte declaratur in Scripturæ locis pene innumeris. Inſuper lib. 1. Stromatum pag. 310. quorumdam refellit opinionem qui Deum dicebant peccati cauſam eſſe, ex eo quod illud non prohibuit: *Sed nec laudee*, inquit, *nec vituperationes, nec honores, nec ſupplicia juſta ſunt, ſi anima non habeat liberam poteſtatem & appetendi & abſtinendi, ſed ſit vitium involuntarium: unde qui prohibuit quidem cauſa eſt, qui autem non prohibuit liberam animæ electionem, juſte judicat, ut vel maxime quidem Deus nobis non ſit cauſa vitii*. At Deus nobis eſſet cauſa vitii,

ut

Digitized by Google

ut per ſe patet, ſi ad peccatum nos impelleret, ut docent Calviniſtæ.

Originales lib. 4. contra Celſum pag. 207. in hoc cum ipſo Celſo manifeſte conſentit, quod Deus non ſit cauſa malorum, ſed unumquemque dicit propriæ malitiæ parentem. *Poſt hæc*, inquit, *pergit Celſus, naturam malorum cognoſcere difficile eſt non philoſophantibus, & ſatis eſt vulgus doceri mala non eſſe a Deo, ſed materiam verſari circa mala.* Et poſtea: *Eſt quidem verum mala non eſſe a Deo, nam & noſter Jeremias manifeſte docet, quod ex ore Domini non egredientur mala cum bonis: cæterum materiam quæ verſetur circa mortalia cauſam eſſe malorum falſum eſt noſtra opinione. Nam ſua cuique ratio cauſa eſt exiſtentis in ipſo malitiæ, quæ quidem malum eſt, malæ quoque actiones ex ea proveniunt.*

Idem vero quam diſertiſſime ſtatuit Euſebius lib. 6. de Præparatione Evangelica cap. 5. *Ita*, inquit, *ſi proprio motu naturalem deſpexeris legem, fons vitiorum ſponte non aliunde, neque ulla neceſſitate, ſed libera voluntate atque judicio facta eſt. Eligentis igitur culpa eſt. Deus vero inculpabilis eſt.* Et paulo poſt: *Impius profecto judicabitur, immo vero peſſimus omnium, quia a creatore univerſi alios ad adulteria, alios ad rapinas, alios ad alia vitia impelli arbitretur. Unde ſequitur aut hæc peccata non eſſe, aut peccandi cauſam creatori referri. Nam ſive cum videat univerſa cunctiſque adſit, peccare homines cogit, ſive ſtellarum motui vim cogendi conceſſit, ipſe certe aut ſe ipſum, aut per orbes cœleſtes, quaſi per organum nolentes homines ad vitia immittit, quare non jure homo, ſi creator ejus peccator erit, quo dogmate nihil ſceleſtius excogitari poteſt.* Quod ipſum tamen affirmare dicere Calviniſtas non pudet.

S. Baſilius in homilia quam inſcripſit, *quod Deus non eſt autor mali*, eos qui dicunt Deum eſſe cauſam mali, docet non minus deſipere quam qui nullum admittunt Deum: *ſtultus igitur & vere a ſenſu alienus eſt qui dixerit, Non eſt Deus; ſimilis item huic eſt, nec quicquam in ſtultia differt qui Deum malorum cauſam eſſe dicit, parque priori ſcelus exiſtimaverit, quoniam ambo bonum Deum ſimiliter negant.* Et deinde cum ſibi objeciſſet non eſſe malum in civitate quod non fecerit Dominus, ut legitur apud Prophetas, celebrem adducit diſtinctionem mali culpæ & pœnæ. *Malum itaque*, inquit, *proprie peccatum hæc vere dignum appellatione a noſtra voluntate pendet, propterea quod in nobis ſitum eſt vel abſtinere a malitia vel malum committere. Reliqua vero quæ appellantur mala, partim ad exercendos dantur bonos, partim ut medela eorum qui deliquerunt.* Homil. 2. in Hexameron: *At neque a Deo*, inquit, *ipſum malum profluxiſſe, pium eſt dicere, propterea quod nihil contrariorum a contrario ſuo gignitur.*

Idem docet S. Gregorius Niſſenus in myſtica interpretatione vitæ Moſis, *ſimile namque id ei eſt quod divinus Apoſtolus de iis qui convolvuntur in turpiſſimis nefandiſſimiſque luxuriæ vitiis dicit, quod ſicut non probaverunt impii Deum habere in notitiam, tradidit eos Deus in paſſiones ignominiæ. Nam & verba Scripturæ quaſi divinitus eos impulſos ad libidinem, ac ignominiæ paſſionibus traditos, ſonare videntur. Nec tamen turpitudini Deus quemquam tradit, nec Pharao nolens ab ipſo Deo in duritiem impellitur, nec vita ranarum a virtute conformatur. Nam ſi Dei voluntate atque impulſu ita fieret, nec turpitudinis & vituperationis hæ paſſiones appellarentur, nec ulla eſſet inter virtutem & vitium differentia.* Quibus certe nihil expreſſius afferri poteſt contra impium Calviniſtarum ſyſtema.

Tum & S. Gregorius Nazianzenus oratione tertia pag. 68. *A quibus rationibus*, inquit, *non ille quidem ad malum excitatus eſt (Deus enim nullo modo mali cau-*

cauſa eſt, quippe naturâ bonus; vitiumque eſt qui eligit, haud tamen ab impetu ſuo repreſſus eſt.

Omiſeram proferre autoritatem S. Athanaſii; qui in tractatu de ſalutari adventû Chriſti malas cogitationes negat in Deum refundendas. *Sed reſpondendum*, inquit, *ſi vitioſarum cogitationum creatio opus eſt Dei, opus illi ſuum adjungendum eſſe, venit enim ut aſſumeret ſuum proprium opus. At ſi illud concedatur, iniquum fuerit judicium quo peccator condemnatur: ſi enim vitioſas peccatriceſque cogitationes creavit Deus, qua ratione peccatum condemnat; aut quomodò tale judicium apud Deum reperire poſſit? ..... cæterum inobediens Dei præcepto collapſus eſt in vitioſas cogitationes, obnoxiuſque redditus, non quod Deus creaverit captivatrices iſtas cogitationes, ſed quod per diabolum deceptus fuerit*. Deus igitur non ſollicitat, non impellit, non cogit voluntatem hominum ad peccandum, ut ſcribere non verentur hæretici. Conſule quæ docet idem ſanctus Doctor oratione contra idola fere ad initium.

Simillimum eſt quod ſcribit S. Epiphanius hæreſi 66. quæ eſt Manichæi, ſic enim habet num. 15. *Quod autem nefarius ille quærit, ut ne Deo malitiam affingat; eſt id quidem, fateor, abſurdum iſtud ipſum tribuere Deo. Unde Eccleſiaſticæ doctrinæ forma profitetur, divinum numen ab omni prorſus pravitate alienum ac remotum eſſe. Nullum enim ille malum fecit, ſed omnia valde bona, cum & ſit natura bonus*. Et num. 11. *ac nihilominus tamen pro eo ac libertati cujuſque conceſſum eſt, privatim id permittit, ſuæ ut voluntati obſequens quicquid libitum erit efficiat*.

S. Chryſoſtomus homil. 23. in Acta Apoſtolorum pag. 218. *Nullus igitur dicat*, inquit, *Deus nobis autor malorum eſt, dum non punit nec vindicat. Dic enim, oro, ſi Princeps apprehenſum homicidam, liberum dimittat; nunquid judicatur eſſe autor ſequentium homicidiorum? Minime. Et quomodo audemus hoc impiis linguis permittere ut blaſphement? non reveremur, nec horremus? ..... oro & obſecro ne ſic loquamini, nullus hanc vocem de nobis emittat. Satius fuerit ſexcenties defodi, quam Deum audire talia per nos*. Et tamen longe plura & atrociora de Deo dicunt Novatores, aiunt enim Deum ad peccata voluntates hominum inclinare & cogere, nec niſi verbo tenus ab impietate doctrinam vindicant ſuam.

S. Ambroſius lib. 1. Hexameron. cap. 8. num. 30. *Nunquid ſimul malitiam Deus creavit? ſed ea ex nobis orta, non a creatore Deo condita, morum levitate generatur, non ullam creaturæ habens prærogativam, nec autoritatem ſubſtantiæ naturalis, ſed mutabilitatis vitium & errorem prolapſionis. Eradicari hanc Deus vult de animis ſingulorum, quomodo eam ipſe generaret? Clamat Propheta, Deſinite a malitiis veſtris; & præcipue ſanctus David, Deſine a malo & fac bonum: quomodo ergo ei initium a Domino damus? Sed hæc opinio feralis eorum qui perturbandam Eccleſiam putaverunt. Hinc Marciones, hinc Valentini, hinc peſtes Manichæorum*. Nos vero dicimus, hi ſunt Calvinus, Beza, Martyr, qui feralem & teterrimam hanc imbiberunt opinionem.

S. Hieronymus Commentario in cap. 1. Epiſtolæ ad Epheſios ad illa verba; *qui univerſa operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, ſic loquitur, *non quo omnia quæ in mundo fiunt, Dei voluntate & conſilio peragantur; alioquin & mea Deo poterunt imputari: ſed quo univerſa quæ facit, conſilio facit & voluntate*.

Fuit hoc dogma eleganter & non uno in loco traditum a S. Auguſtino, qui Deum docet nec eſſe nec poſſe eſſe autorem malæ voluntatis; neque vero ullam aliam vel ſcelerum vel improbitatis quærendam eſſe cauſam præter unam voluntatem creatam, hæc nimirum paſſim inculcat ſanctus Doctor tum libris con-

tra

tra Manichæos, tum contra Pelagianos editis.

Lib. 12. Confeſſ. cap. 11. *Hoc ſolum a te non eſt*, inquit, *quod non eſt motuſque voluntatis a te qui es, ad id quod minus eſt, quia talis motus delictum atque peccatum eſt*. Inter ea, quæ leguntur in tribus libris de libero arbitrio, quos dedita opera ſcripſit adverſus Manichæos, ut oſtenderet peccata non poſſe in Deum referri, hoc reperias lib. 3. cap. 16. *Omnino igitur non invenio, nec inveniri poſſe & prorſus non eſſe confirmo, quomodo tribuantur peccata noſtra creatori noſtro Deo, quanto & in ipſis eum laudabilem invenio, non ſolum quod ea punit, ſed etiam quia tunc fiunt, cum ab ejus veritate receditur*.

Epiſtola 194. olim 105. ad Sixtum: *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo gratiam*. Et poſtea: *Iniquitatem quam rectiſſime veritas improbat, damnare novit ipſe, non facere*. Lib. 13. de Trinitate cap. 12. *Modus quo traditus eſt homo in diaboli poteſtatem non ita debet intelligi tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri juſſerit, ſed quod tantum permiſerit*. In quo quidem teſtimonio cernere poſſunt Calviniſtæ divum Auguſtinum, cujus fere unius autoritate in præſenti materia fulciuntur, de voluntate Dei permittente interpretari quod in diaboli poteſtate traditus fuerit homo, ita ut hoc ipſum quod omnium ſcelerum origo eſt, Deus nec fecerit nec juſſerit. . . .

Hinc vel ſexcenties repetit Deum neutiquam peccati eſſe autorem lib. 2. de peccatorum meritis cap. 17. *nullius culpæ humanæ in Deum referas cauſam*; cap. 18. *malam voluntatem Deo autori eſſe tribuendam, nefas eſt dicere*. Lib. de ſpiritu & litera cap. 3. *nuſquam autem legimus in ſanctis Scripturis, non eſt voluntas niſi a Deo, & recte non ſcriptum eſt, quia verum non eſt, alioquin etiam peccatorum, quod abſit, autor eſt Deus*. Lib. 10. de prædeſt. ſanct. cap. 10. *Poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia, prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit quæ fuerat ipſe facturus; præſcire autem potens eſt quæ ipſe non facit, ſicut quæcunque peccata, quia etſi ſint quædam quæ ita ſunt, ut pœnæ etiam ſint peccatorum; unde dictum eſt, tradit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt, non ibi peccatum Dei eſt, ſed judicium*. Sane ſi quod eſſet peccatum cujus autor cenſeri poſſet Deus, maxime peccata quæ ſunt pœnæ aliorum præcedentium peccatorum: ſed ejuſmodi peccata in Deum non debent referri tanquam in cauſam: igitur.

Magiſtro aſtipulatur diſcipulus qui duos libros conſcripſit, reſpondens ad capitula Gallorum & ad objectiones Vincentianas, ut hanc ſcilicet calumniam qua nonnulli B. Auguſtinum docuiſſe publicabant Deum eſſe autorem peccati, ab ſancti Præſulis doctrina propelleret; ſic etenim loquitur ad decimam objectionem Vincentianam, *deteſtanda & abominanda opinio qua Deum cujuſquam malæ voluntatis aut malæ actionis credit autorem ... Non ergo caſus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædeſtinatio Dei aut excitavit, aut ſuaſit, aut impulit, ſed plane prædeſtinavit judicium ſuum, quo unicuique retributurus eſt prout geſſit ſive bonum ſive malum. Quod judicium futurum omnino non eſſet, ſi homines Dei voluntate peccarent*. Quid ergo ſibi volunt Novatores, cum dicunt Deum ſuæ voluntatis efficacia excitare nos atque impellere ad peccatum? ubi etiam quod frequentiſſime dicit Auguſtinus divino judicio ſubjici hominum peccata, id eo loci explicat S. Proſper, atque non idcirco homines Dei voluntate peccare.

Atque hoc ipſum diſerte repetit reſponſione ad objectionem decimam Gallorum his verbis: *Si Deus hominem ſibi obedientem a pietate deturbat, & bene currentem cadere facit: ergo pro bonis mala retribuit, & injuſte punit; quod ut fiat, im-*

impellit. Quid tam perverſum, quid tam inſanum dici aut cogitari poteſt? ſed in talem ſenſum trahuntur qui putant in omnibus hoc eſſe præſcientiam Dei quod & voluntatem, cum voluntas ejus nunquam velit niſi bona, præſcientia autem & bona noverit & mala. Et dicunt tamen hæretici Deum velle hominum peccata, & quidem ſuæ voluntatis efficacia.

Idem docet alter divi Auguſtini doctrinæ interpres S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum de duplici prædeſtinatione cap. 13. *Proinde potuit*, inquit, *ſicut voluit, prædeſtinare quoſdam ad gloriam, quoſdam ad pœnam. Sed quos prædeſtinavit ad gloriam, prædeſtinavit ad juſtitiam. Quos autem prædeſtinavit ad pœnam, non prædeſtinavit ad culpam. Poſſet enim peccatum aliquod ex prædeſtinatione Dei eſſe, ſi poſſet aliquis hominum juſte peccare. Nullus autem hominum juſte peccat, quamvis eum juſte Deus peccare permittat.* Cap. 17. *Ut agnoſcamus utrum malos Deus juſtus ad hoc prædeſtinaverit faciendum, quod in eis puniturus eſt factum. An idcirco iniquos ad ſupplicium juſte prædeſtinaverit, quia eorum mala opera licet futura præſciret, non tamen ipſe prædeſtinavit, ut futura eſſent, quia non ipſe fecit ut fierent.* Quod idem legitur in ſingulis fere hujus libri capitibus, id unum quippe hic oſtendere conatur Fulgentius, peccata hominum ex prædeſtinatione, hoc eſt, ex decreto & voluntate Dei non fieri, quod ſane Calviniſtarum placitis manifeſte adverſatur.

His addere nec immerito poſſumus eandem doctrinam apertiſſime definitam in nonnullis Conciliis.

Scilicet proferimus Arauſicanum II. can. 25. *Aliquos ad malum*, inquiunt Patres, *divina poteſtate prædeſtinatos non ſolum non credimus, ſed etiam ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.* Quæ quidem ipiſſima verba reperias in canone tertio Concilii Valentini III.

Proferimus & autoritatem Concilii Tridentini rem aperte conficientis ſeſſ. 6. cap. 6. his verbis: *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita ut bona Deum operari non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie & per ſe; adeo ut ſit ejus proprium opus non minus proditio Judæ quam vocatio Pauli, anathema ſit.*

Ex iis porro omnibus tum Scripturæ, tum Patrum, tum Conciliorum teſtimoniis apertiſſime demonſtratur Deum nec eſſe nec dici debere peccati cauſam; ſunt enimvero hæc momenta tam diſerta & expreſſa, ut illis opponi plane nihil poſſit. Quoniam tamen eo inſaniæ devenerunt Calviniſtæ, ut ex una parte in ſuis ſcriptis paſſim profiteantur Deum velle, decernere, prædeſtinare peccata hominum, & ad illa eos impellere & cogere: ex altera vero expreſſe affirment Deum non eſſe veram peccati cauſam, fateanturque id citra maximam impietatem & blaſphemiam dici non poſſe; exiſtimo e re noſtra eſſe nunc in id incumbere, ut Deum oſtendamus merito cenſeri peccati cauſam, ſi nempe illud velit, decernat, prædeſtinet, præcipiat; tum vero ſi hominum voluntates inſuper eo moveat, impellat, cogatque.

Sane nullo negotio id conficere poſſumus, non modo enim ratione quadam æquitati veritatique conſentanea conſtat, non ſolum id ſuadet dictatque naturale uniuſcujuſque lumen, ſed & apud omnes gentes, & in omni republica receptum eſt, eum eſſe alicujus ſceleris autorem, ita ut actio mala ipſi vitio vertatur, qui ejuſmodi actionem præceperat ad illam compellens vel etiam cogens; ex omnium enim conſenſu v. g. & ubique in more poſitum eſt, ut ei imputetur homicidium qui præcepit, vel etiam conſilium dedit ut fieret, tum vero ut idcirco puniatur, perinde ac ille ipſe qui propria manu homicidium commiſit: quia potius nemo ignorat opus quodcunque magis ad imperantem quam exequen-

Digitized by Google

quentem pertinere ſaltem in negotio morum; cum ille ſit prima cauſa operis quæ huic motum impreſſit, iſte vero inter agendum nonniſi famuletur & obtemperet alteri; cum ille moveat, impellat, agat, iſte vero potius moveatur, impellatur, agatur; cum denique ille ſit reſpectu operis cauſa princeps applicans, hic autem ſit ſolum cauſa inſtrumentaria & applicata: id inquam adeo certum eſt, adeo manifeſtum, adeo ipſi ſenſui communi congruum, ut vix facile intelligat quiſpiam ſanæ mentis compos, quid Calviniſtas tandem impulerit, ut contrariam ſententiam tam abſurdam, tamque ineptam amplecterentur.

Addo inſuper ex illis Calviniſtarum locutionibus non modo colligi Deum eſſe autorem ſcelerum quæ ab hominibus committuntur, ita ut in illum tanquam cauſam principem refundantur; verum etiam ſequi manifeſte in illa hypotheſi Deum vere ac proprie loquendo peccare, is enim vere ac proprie loquendo cenſetur peccare, qui voluntarie & libere decernit legis tranſgreſſionem; peccatum quippe, ut dixi initio hujuſce tractatus, nihil eſt aliud quam libera legis tranſgreſſio: atqui in ſententia Calviniſtarum Deus ab æterno voluit & decrevit ſingula hominum peccata, vel etiam ipſummet primum Adami peccatum; ad illa vero cum lege pugnantia, quæ ab æterno futura decrevit efficaciter, in tempore hominum voluntates ſollicitat, compellit, cogitque: igitur manifeſtum eſt in illa ſententia Deum vere & proprie loquendo peccare, eamque demum conſequentiam oretenus duntaxat execrantur Novatores ut impiam & blaſphemam.

Quibus haud immerito ſubjungit doctiſſimus Bellarminus ſimiliter colligi Deum ſolum vere peccare, neutiquam vero homines in illa ſcilicet Calviniſtarum ſententia; nemo enim peccat in eo quod vitare non poteſt, tum vero omne peccatum debet eſſe voluntarium, quod ita verum eſt, inquit S. Auguſtinus lib. de vera Religione cap. 14. ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat: atqui ſi Deus ab æterno efficaciter decrevit peccata hominum, ſi ad peccandum eos actu moveat atque impellat, profecto peccatum in ipſis voluntarium non eſt, nemo peccatum tunc vitare poteſt; nemo enim vitare poteſt quod invictam neceſſitatem, immo & coactionis vim imponit: igitur homo in illa hypotheſi amplius non peccaret; unde manifeſte ſequeretur vel invitis ac nolentibus Calviniſtis, veriſſimum eſſe quod effutiebant Libertini, quodvis peccatum plane nihil eſſe niſi falſam opinionem.

Scilicet hoc argumento iſti utebantur, ut oſtenderent nullum eſſe peccatum; nam, inquiebant, nec peccatum eſt in Deo, cum ipſe qui ſummum eſt bonum nihil facere poſſit mali; neque etiam homines peccare cenſentur, quia, quicquid agunt, Deo jubente & impellente, atque ita neceſſitatem afferente faciunt, ergo nullum eſt peccatum; quam ſane Libertinorum delirationem immerito rejicere conabuntur Calviniſtæ, ſi ſemel Deum dixerint impellere & cogere ad peccatum.

Sunt autem & nonnullæ aliæ rationes, quibus inſuper hæc noſtra ſententia probari poteſt.

Prima eſt, quia manifeſta eſt contradictio Deum velle peccatum, vellet enim eſſe id quod vult non eſſe, vellet quidem eſſe peccatum ex hypoteſi, quæ doctrina eſt hæreticorum, aliunde vero vult non eſſe peccatum, illud enim cenſetur non velle, quod prohibet & quidem ſub pœnis graviſſimis, quod odio habet deteſtaturque: atqui Deus peccatum prohibet ſub pœnis graviſſimis, tum vero illud ſe odio habere & deteſtari perſæpe ſignificavit, ut patet ex ſacra Hiſtoria: igitur manifeſte repugnat Deum velle peccatum.

Secunda eſt, quia nequit concipi Deum

Deum velle actu voluntatis ſincero & efficaci peccare homines, ita ut non ſolum peccata fieri permittat, ſed etiam illos ſollicitet, compellat, cogat ad peccandum, ſi conſtet ex altera parte Deum velle ut homines non peccent, ſi prohibeat & puniat peccata, ſi ipſe carnem humanam aſſumpſerit ut corpus peccati deſtrueret; hæc enim nuſpiam ſimul cohærere poſſunt: ſed iſta omnia veriſſima ſunt, ex conſenſu ipſorum Calviniſtarum, Deus ergo neminem neminem vult impie agere.

Tertia, quia impium foret affirmare Deum ſapienter non ſe gerere in ordine ad gubernationem hominum: atqui ſi peccata hominum decernere efficaciterque operaretur, ex altera vero parte propter eadem peccata illos puniret, profecto ſapienter non gubernaret; quiſquis enim alicujus Reipublicæ Rector & Princeps opera quædam præciperet aut lege lata præſcriberet, deinde vero propter eadem opera ſubditos puniret, is certe iniquus maxime vel etiam mente captus in ſententia omnium haberetur.

Quarta denique ratio eſt, quia, ut mox oſtendimus, Deus non poteſt quemquam hominum excitare, compellere, & cogere ad peccandum, tum & efficaciter ipſe peccatum in cordibus operari, ut blaſphemant hæretici, quin idcirco cenſeatur ipſe peccare: atqui Deus non poteſt omnino peccare; tum quia peccare eſt a recta ratione deflectere: atqui Deus non poteſt a recta ratione deflectere, eſt enim ipſa veritas, ipſa recta ratio: tum quia ſi Deus peccaret, malam utique haberet voluntatem: atqui Deus non poteſt malam habere voluntatem, quia eſt ſummum bonum; quemadmodum errare non poteſt, quia ipſa eſt ſumma & infinita ſapientia: igitur Deus peccare non poteſt: proindeque nec poteſt velle, decernere, præcipere peccatum & ad illud homines excitare, compellere, cogere.

Solvuntur objectiones e Scripturis & ratione petitæ.

OBjicies primo hæc ſacræ Scripturæ teſtimonia in quibus malum omne a Deo eſſe declaratur, Deum operari ea omnia quæ mala ſunt, Amos cap. 3. *ſi erit malum in civitate quod non fecerit Dominus*. Iſaiæ 45. cap. *ego Dominus & non alter, formans lucem & tenebras, faciens pacem, & creans malum*. Quibuſcum multum affinitatis habent iſtæ propoſitiones univerſales. Proverb. 16. *omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum*. Epheſ. 1. cap. *qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Ergo Deus eſt autor peccati.

Diſt. ant. his intellectis de malo pœnæ, C. de malo culpæ, N. hæc itaque & alia prope infinita Scripturæ teſtimonia, in quibus Deo ipſi aſcribuntur quæcunque fiunt vel etiam mala, intelligi debent de pœnis & ſuppliciis, non autem de culpa & peccato ipſo quod immittat Deus, vel operetur. Amos quidem loquitur de afflictione futura quam Judæis comminatur, ut manifeſtum eſt ex toto illo capite. *Audite verbum*, inquit, *quod locutus eſt Dominus ſuper vos .... viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras*: & poſtea, *ſi erit malum in civitate quod non fecerit Dominus*. Quæ poſtrema verba objicit Calvinus; ſcilicet malum omne faciet Dominus, quatenus viſitabit ſuper iniquitates ex eodem Propheta, infligendo miſerias & calamitates in pœnam ſcelerum quæ ab ipſiſmet Judæis antea perpetrata ſunt, ut reſpondet S. Auguſtinus lib. contra Adimantium cap. 26. his verbis: *Malum hoc loco non peccatum, ſed pœna intelligenda eſt, dupliciter enim appellatur malum, unum quod homo facit, alterum quod patitur; de pœnis ergo loquebatur Propheta, cum diceret, &c.*

Ne-

Neque alius plane ſenſus eſt verborum Iſaiæ qui loco citato per tenebras & malum intelligit afflictionem, ut diſerte interpretatur S. Hieronymus in hæc Prophetæ verba, *confundatur hæreſis quæ malorum conditorem arbitratur Deum; cum id non malum contrarium bono; ſed pro afflictione ponatur & bellum*. Quin & ex ipſo Luthero Novatorum parente impia revincitur Calvini deliratio, ille enim in Iſaiam ſic loquitur, *lucem & tenebras, allegorice accipio pro ſucceſſu & calamitate, quaſi dicat, ſi petitis pacem & liberationem, poſtulate eam a me; ſin metuitis calamitatem, me timete, ego enim utrumque creo*.

Ad tertium locum quod ſpectat, cum legimus Deum omnia propter ſemetipſum operari, *impium quoque ad diem malum*, id unum affirmat Salomon omnia eſſe a Deo, *impium quoque ad diem malum*, hoc eſt, impium etiam quem præviderat iturum ad diem malum, ad interitum, ad æternam damnationem; unde non ſequitur Deum eſſe cauſam illius impietatis, vel eam decreviſſe, prædeſtinaſſe efficaci decreto quod omnem impiorum culpam anteceſſerit, ut docent Calvinus, Beza & alii. Id certo colligitur ex iis omnibus quæ paulo ſupra adduximus, quibus nimirum diſerte pronuntiatur Deum odio habere impietatem, nemini præcipere ut impie agat; quæ quidem cum iſtis detortis hæreticorum interpretationibus cohærere non poſſunt; ſi enim Deus fecit impium ad diem malum; ut volunt, hoc eſt decernendo interitum ejus ſempiternum, nondum præviſa in eo ulla culpa, certe manifeſtum eſt Deum odio non habere impietatem, immo neceſſe eſt ut impietatem ipſam procuret in executionem ſuæ voluntatis decretorum.

Hinc porro facile intelligitur quo tandem modo explicari debeat teſtimonium Apoſtoli ex cap. 1. ad Epheſios deprompti: ejuſmodi enim propoſitiones univerſales ad certum ſenſum reſtringi debent propter alias, quæ certe non patiuntur, ut tam late pateant & ad omnia univerſim extendantur; Deus quidem dicitur omnia operari ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, ecce propoſitionem generalem, ex qua videtur colligi poſſe Deum quoque operari peccata; ſed quoniam ex multis aliunde locis manifeſtum eſt Deum odio habere impietatem & impium, eum nemini mandare impie agere, peccatum ex diabolo eſſe, non ex Deo, &c. Confeſtim quivis intelligit præfatam propoſitionem non indicare Deum operari etiam peccata ſecundum conſilium voluntatis ſuæ; præſertim cum apertiſſimum ſit eo ſenſu dicere Apoſtolum, omnia Deum operari ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, quod prædeſtinavit ab æterno quemcunque voluit ſine prævisis ejus meritis, ut patet ex ipſius lectione verſiculi, *in quo etiam & nos ſorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*.

Objicies: alia Scripturæ loca in quibus ſermo non habetur de malo pœnæ, ſed de veris ſceleribus, quæ dicuntur efficaci Dei conſilio & voluntate definita, Geneſeos 45. Joſeph ſic conſolatur fratres, quod ipſum per ſummum nefas vendiderint, *non veſtro conſilio ſed Dei voluntate huc miſſus ſum*. Et c. 50. fratres ſuos veniam ſceleris deprecantes ſic loquitur, *nolite timere, num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Actorum 2. de Chriſto Domino a Judæis interfecto ait S. Petrus, *hunc definito conſilio & præſcientia Dei traditus per manus iniquorum affligendo interemiſtis*. Cap. 4. *convenerunt enim vere in civitate iſta adverſus ſanctum puerum tuum Jeſum quem unxiſti. Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſrael, fecere quæ manus tua & conſilium tuum decreverunt fieri.*

Ex quibus ſic argumentum conficitur, quicquid proviſum eſt in conſilio Dei: quicquid factum eſt Dei voluntate, id Deus vult voluntate beneplaciti: ſed venditio Joſeph & occiſio Chriſti, quæ quidem ſcelera fuerunt atrociſſima, proviſæ ſunt & factæ ex conſilio & voluntate Dei: igitur Deus proprie loquendo vult peccata voluntate beneplaciti.

Diſt. min. ex conſilio & voluntate Dei ejuſmodi actiones dirigentis ad bonum finem, C. eas decernentis, volentis, prout ſcilicet malæ ſunt & vera hominum peccata, N. ex his itaque Scripturæ locis, aliiſque ſimilibus, in quibus legitur quaſdam actiones malas conſilio & voluntate Dei factas, id unum colligi debet ejuſmodi actiones propria hominum voluntate & malitia cogitatas & perpetratas, a Deo tamen dirigi ad certum finem, prout nimirum ſubjiciuntur ejus providentiæ, omnia etiam mala in bonum vertentis. Neque vero inferri debet execranda hæc ſcelera efficaci Dei conſilio fuiſſe definita non præviſa prius perverſa hominum voluntate; quapropter eo ſenſu tantum dicitur Joſeph conſilio Dei venditus a fratribus, quod Deus præviſa eorum mala cogitatione, illo eodem ſcelere uti voluit, ut inde majus utriſque bonum contingeret, quod revera factum eſſe probavit eventus; ſimiliter autem eo ſenſu tantum decreto Dei morti traditus dicitur Chriſtus, quod Deus præviſa Judæorum malitia de Chriſti Domini morte hanc ordinavit ad bonum finem, puta ad ſalutem æternam hominibus procurandam.

De venditione Joſeph ſolutio conſtat: 1. Ex ipſo Scripturæ contextu; ait enim Joſeph alloquens fratres: *Nolite pavere, neque vobis durum eſſe videatur, quod vendidiſtis me in his regionibus, pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum*. Quaſi diceret: Deus per veſtrum ſcelus, veſtra ſcilicet malitia & mala voluntate conceptum, quando me vendidiſtis, huc tamen me direxit, ut veſtræ aliorumque fami proſpicerem. Et clarius c. 50. ejusdem libri Geneſeos: *Vos cogitaſtis ad me malum, ſed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, ſicut in præſentiarum cernitis, & ſalvos faceret multos populos*. Quibus verbis nihil afferri poteſt luculentius, ut oſtendatur Deum non fuiſſe cauſam malæ voluntatis, qua fratres Joſeph Madianitis eum vendiderant, Deus enim dicitur ab Autore ſacro malam eorum cogitationem vertiſſe in bonum, *vos cogitaſtis de me malum*, hoc eſt, veſtrum fuit cogitare malum, Dei vero vertere illud in bonum.

2. Hæc eadem reſponſio colligitur ex SS. Patribus, unus inſtar cæterorum ſit S. Chryſoſtomus, qui præfatum locum ſic explicat homil. 64. in Geneſ. *Vide quomodo ipſemet & iterum & tertio conſolatur illos, dicens ſe non ipſis aſcribere cauſam ſui ingreſſus in Ægyptum, ſed Deum hoc feciſſe ut ipſe in hanc veniret gloriam. Deus*, inquit, *miſit me & fecit me quaſi patrem Pharaonis, & dominum totius domus illius, & principem totius Ægypti. Illa*, inquit, *ſervitus, hunc principatum mihi conciliavit, illa venditio in hanc me gloriam evexit, illa afflictio hujus mihi honoris occaſio fuit, illa invidia hanc mihi claritudinem peperit*. Ubi certe eo tantum ſenſu venditionem Joſeph a Deo fuiſſe definitam pronuntiat Chryſoſtom. quod voluit Deus ea uti ad gloriam ipſius Joſeph procurandam; unde iterum ſic in fine homiliæ loquitur: *O ſapientiæ excellentiam! o benevolentiæ coacervationem & dilectionis Dei largitatem! Non vos*, inquit, *hæc mihi feciſtis, ſed Dei erga me providentia hæc fieri permiſit, ut mihi ſomniorum eventus concedatur*. Satis ſit impræſentiarum ponderare hæc verba, *ſed Dei erga me providentia hæc fieri permiſit*. Quæ hanc

ipſam

Digitized by Google

ipſam noſtram reſponſionem exhibent.

Quod autem addit Joſeph, *num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* non moror; hæc enim verba non ſignificant efficaci decreto voluiſſe Deum venditionem Joſeph, ita ut ejus fratres huic Dei voluntati reſiſtere non potuerint quando Joſeph vendiderunt; ſed plane indicant Deum abſoluta voluntate decreviſſe Joſephum in Ægyptum mittere, eum ibi exaltare & per eum propriæ familiæ bono conſulere; unde voluntas Dei duntaxat ferebatur in bonum quod ex ſcelere fratrum Joſeph derivatum iri ſciebat, non autem in ipſum eorum ſcelus, quod ſolummodo ut medium ad finem ſibi propoſitum ordinaverat, voluntate ſimiliter efficaci, cui reſiſtere nemo poteſt.

Ait Bellarminus libri citati cap. 11. vere non potuiſſe Joſeph reſiſtere Dei voluntati, non quæ erat, ut Joſeph Ægyptiis venderetur, ſed quæ erat, ut Joſeph ipſe fratribus ſuis ignoſceret, verba enim Hebraica reddi poſſunt, *nolite timere, nam ſub Deo ſum ego*, vertunt Septuag. *nolite timere, Dei ego ſum*, ſcilicet ſervus: quaſi dicat, abſit a me ultio in vos & vindictæ cupido, ego enim Deum timeo; quamobrem hæc latinæ verſionis verba, *num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* de ea Dei voluntate merito accipi poſſunt, qua nimirum volebat, ut Joſeph fratribus parceret ſuis.

Atque idem plane ſentias de occaſione Chriſti, quam certe, ut horrendum fuit facinus, Deus non decreverat, ſed quam tamen ab æterno præſcitam impia Judæorum voluntate futuram in opus redemptionis noſtræ direxit. Egregie rem ita explicat S. Leo Serm. 16. de paſſione Domini cap. 2. ubi relato ex cap. 4. Actuum Apoſtol. teſtimonio hæc ſcribit: *Nunquid iniquitas perſequentium Chriſtum ex Dei eſt orta conſilio, & illud facinus, quod omni majus eſt crimine, manus divina præparationis armavit? Non hoc plane de ſumma juſtitia ſentiendum eſt, quia multum diverſum multumque contrarium eſt id quod in malignitate Judæorum eſt præcognitum, & quod in Chriſti eſt paſſione diſpoſitum. Non inde proceſſit voluntas interficiendi unde moriendi; nec de uno extitit ſpiritu atrocitas ſceleris & tolerantia Redemptoris. Impia furentium manus non immiſit in ſe Dominus ſed admiſit, nec præſciendo quod faciendum eſſet, coegit ut fieret, cum tamen ad hoc carnem ſuſcepiſſet, ut fieret.* Et cap. 4. *Quod itaque Dominus Jeſus Chriſtus furorem frementium pati voluerit, in nullo autor eorum criminum fuit, nec egit ut hæc vellent, ſed ceſſit ut poſſent.* Deus igitur non vult, ſed permittit peccata.

Plura hic nobis objiciunt hæretici, ex quibus ſequi videtur, quoſdam homines ex efficaci Dei decreto creatos in impietate & ſempiterno interitui deſtinatos, ut poſtea in eorum pœnis virtutem oſtenderet ſuam; ejuſmodi ſunt iſta. Exodi 9. *idcirco autem poſui te, ut oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Ad Rom. 9. *An non habet poteſtatem figulus facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Quoniam vero hæc aliaque ſimilia prout res poſtulabat, abunde, ut puto, expoſita a nobis ſunt in tractatu de reprobatione, lectorem huc remittimus.

Objicies alia Scripturæ loca in quibus Deus dicitur homines impellere ad peccata, vel moraliter ea præcipiendo, vel phyſice voluntates hominum velut inſtrumenta applicando, 2. Regum cap. 16. ita de Semei loquitur David: *Dimitte eum, ut maledicat, Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David . . . . . dimittite eum ut maledicat juxta præceptum Domini.* Et ejuſdem libri cap. 24. *& addidit furor Domini iraſci contra Iſrael, commovitque David in eis dicentem: Vade, numera Iſrael & Judam,*

dam, 3. Regum cap. 22. ſpiritui nequam dicenti, Ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus, dixit Dominus, *decipies & prævalebis, egredere & fac ita. Nunc igitur ecce dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hic ſunt, & Dominus locutus eſt contra te malum.*

Simillimum eſt quod Davidi declarat Deus 2. Regum cap. 12. his verbis: *Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis ſolis hujus, tu enim feciſti abſcondite: ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael.* Quæ quidem mala fecit Abſalon juſſu Dei. Deinde legitur a Deo fuiſſe rebellio Jeroboami lib. 3. cap. 11. tum vero & altera Jehu contra Achab lib. 4. cap. 10. conſtat vero utrumque peccaſſe una cum populo qui a legitimis Regibus deficit. Job. 1. cap. ait patientiſſimus vir, *Dominus dedit, Dominus abſtulit*. Quæ verba ſupponunt Chaldæos inſtrumenta Dei fuiſſe in eo opere quo ſpoliaverant Job. Iſaiæ cap. 10. Sennacherib dicitur virga furoris Dei: *Væ Aſſur, virga furoris mei & baculus ipſe eſt, in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat ſpolia, &c.* cap. 13. *Ecce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argumentum non quærant nec aurum velint, ſed ſagittis parvulos interficient & lactantibus uteris non miſerebuntur*. Joan. 13. cap. Judam proditorem ſic alloquitur Chriſtus, *quod facis fac citius*. Quo etiam pertinent hæ preces quæ paſſim leguntur in iiſdem Scripturis Pſalm. 104. *non declines cor meum in verba malitiæ*. Pſal. 118. *inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam*. Matth. 6. cap. *& ne nos inducas in tentationem*. Hæc ſupponunt Deum plerumque homines ad malum compellere. Ergo revera Deus homines impellit ad mala.

Diſt. ant. Deus dicitur homines ad peccata impellere improprie & permiſſive, C. poſitive & proprie loquendo, N. in his igitur aliiſque ſimilibus locis præfata verba, quæ poſitivum præceptum, expreſſumque declarare videntur mandatum de aliquo ſcelere perpetrando, nonniſi meram Dei permiſſionem continent, quatenus nempe videns Deus malas hominum aut ipſius dæmonis voluntates, utique ſinit ut mala ejuſmodi opera perficiant, ſic vero maxime debere hæc teſtimonia emolliri, ſic benigne accipi multis momentis & quidem luculentiſſime evincitur.

Primo, quia ſatis frequenter in iiſdem ſacris Paginis verba *præcipere* & *permittere* promiſcue & indiſcriminatim uſurpantur, Matth. 19. v. gr. dicunt Phariſæi, *quid ergo Moyſes (mandavit) dare libellum repudii?* Quibus reſpondet Chriſtus Dominus, *ad duritiam cordis veſtri (permiſit) vobis dimittere uxores*. Item & apud S. Marcum Evangeliſtam idem obſervare eſt cap. 9. Phariſæi dicunt, *Moyſes (permiſit) libellum repudii*. Et reſpondet Dominus, *ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis (præceptum) illud*. Ubi manifeſtum eſt etiam quando ſermo fit de una eademque re verba hæc *permittere* & *præcipere* promiſcue ſumi.

Secundo, quia hæc fuit SS. Patrum interpretatio, quorum ſi integra hic teſtimonia referrem, ſane immenſum creſceret iſta diſſertatio; unus erit inſtar cæterorum S. Auguſtinus quem eo lubentius ſuper iſta re ſeligo, quod illum ſibi omnino favere jactitant Calviniſtæ: is porro lib. de gratia & lib. arb. cap. 20. ſic explicat quod dictum eſt. 2. Regum cap. 16. *quomodo*, inquit, *dixerit Dominus huic homini maledicere David, quis ſapiens & intelliget? Non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudatur, ſed quod ejus voluntatem proprio vitio ſuo malam*

in

Digitized by Google

in hoc peccatum judicio ſuo juſto & occulto inclinavit, ideo dictum eſt (dixit ei Dominus.) Nam ſi jubenti obtemperaſſet Deo; laudandus potius quam puniendus eſſet, ſicut ex hoc peccato poſtea novimus eſſe punitum. Ubi negat aperte S. Auguſtinus hæc verba, *Dominus dixit illi maledicere David*, eo ſenſu accipienda quod præceperit Deus Semei ut Davidi malediceret; quandoquidem inde ſequeretur manifeſte laudandum potius fuiſſe Semei quam puniendum: quæ quidem ratio S. Auguſtini ſummo cum ſtudio ponderanda eſt, indicat enim mentem ſancti Doctoris fuiſſe, ejuſmodi peccata quæ in Scripturis videntur a Deo præcipi & mandari, unice tamen referenda in malitiam eorum qui male agunt, quod quidem probat ex parte Dei non fuiſſe proprie dictam juſſionem, quiſquis enim proprie jubet aliquod ſcelus, hujus dubio procul reus cenſeri debet. Quid vero ſibi velit S. Auguſtinus eo loci, cum utitur hac voce *inclinavit*, fuſius nos explicabimus infra; ubi ex profeſſo ſententiam clariſſimi Doctoris expendemus.

Tertio, quia & id manifeſte colligitur ex ipſis teſtimoniis quæ objiciuntur, in iis enim plane ſingulis nuda Dei permiſſio deſignatur, qua ſinebat ut homines alioquin perditiſſimi mala dudum in proprio corde concepta opera exequerentur. 1. Id evidentiſſimum eſt in citato loco e lib. Reg. 2. cap. 16. *dicitur enim Deus Semei præcepiſſe, ut malediceret David*. Quatenus corruptam & perverſam Semei voluntatem videns permiſit ut Regi malediceret, ad ipſius ſcilicet Davidis humilitatem manifeſtandam, ut ibidem habetur, *ſinite illum maledicat, quoniam dixit illi Dominus, ut videat Dominus humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledicto ejus in die iſto*. Deus itaque non juſſit peccatum, non jubendo dixit, inquit S. Auguſtinus; ſed eo uſus eſt ad bonum finem.

Secundum teſtimonium quod objicitur ex eodem lib. 2. Reg. cap. 24. ubi a Deo commotus dicitur David ad numerandum populum, & in quo graviter peccavit, recte quidem ad mentem noſtram explicamus ex lib. Paralipomenon cap. 21. ubi ſic legitur, *conſurrexit autem ſatan contra Iſrael, & incitavit David ut numeraret Iſrael*. Indicant hæc verba eum qui proprie Davidem incitavit ad numerandum populum, fuiſſe diabolum non ipſummet Deum, tametſi dicatur David a Deo commotus.

Clarius id oſtenditur ex ſequenti teſtimonio, ubi nempe legitur Dominum dediſſe ſpiritum mendacii in ore Prophetarum qui Achab deceperunt, manifeſtum eſt enim ex ipſo Scripturæ contextu ſpiritum nequam ſe ipſum obtuliſſe Deo, & ab eo veniam petiiſſe decipiendi Regem, *ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus*. Unde nonniſi permittendo dicit Dominus, *decipies & prævalebis, egredere & fac ita*. Nemo enim neſcit, inquit Bellarminus, ad omnia mala promptiſſimum eſſe diabolum, immo & nocendi cupidiſſimum. Quod autem verbis immediate ſequentibus ſubjungit Autor ſacer, *dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum*, id ipſum debet eodem ſenſu intelligi, quod nimirum Deus permiſerit illud mendacium quo deciperetur Achab, aut quatenus lucem ex mente Prophetarum ſubſtrahendo, ſpiritus mendacii induxit eos in errorem, aut quatenus nec dedit lumen Achab quo mendacium a veritate diſcerneret.

Cui reſponſioni favet maxime quod teſtetur plerumque Deus ſibi attribuenda non eſſe Prophetarum mendacia, ſed ipſiſmet Prophetis, Jeremiæ cap. 14. *Falſo Prophetæ vaticinantur in nomine meo: non miſi eos & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos viſionem mendacem, & divinationem, & fraudulentiam, & ſeductionem cordis ſui prophetant*

tant vobis. Cap. 23. *Nolite audire verba Prophetarum qui prophetant vobis, decipiunt vos, viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini*. Cum aliunde omnis malitia & mendacii autor dicatur ſatanas, Joan. 8. cap. *Spiritus immundus, ſpiritus mendax, & parens mendacii*.

Quod autem alia ſpectat exempla, quibus infinita prope ſimilia reperias in Scripturis, reſpondeo ejuſmodi opera eſſe a Deo prout ſunt pœnæ peccatoribus inflictæ, in ultionem ſcilicet præcedentium ſcelerum ab illis hominibus perpetratorum, non autem prout ſunt peccata formaliter prout ſunt mala opera, ſic v.g. Deo diſplicuit factum Abſalonis quatenus peccatum erat, placuit vero quatenus Davidis punitio fuit.

Ad alia duo de Jeroboam & Jehu putat Bellarminus veriſimile eſſe utrumque fuiſſe legitimum Regem & a Deo proprie electum, quod quidem adverſus Calvinum confirmat auctoritate S. Aug. lib. 17. de civit. Dei cap. 21. & 22. dicentis neque Jeroboam neque populum in ea defectione peccaſſe: *Apparuit nullum in ea re nec Regis Iſrael nec populi fuiſſe peccatum, ſed voluntatem Dei vindicantis impletam*.

Quibus conſentanea ſunt quæ leguntur lib. 3. Regum cap. 11. ubi poſtquam Abdias Propheta nomine Dei regnum promiſit Jeroboamo, hæc ſubjungit: *Si audieris omnia quæ præcepero tibi, & ambulaveris in viis meis, & feceris quod rectum eſt coram me, cuſtodiens mandata mea & præcepta mea, ſicut fecit David ſervus meus, ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificavit David domum*, quo ſane modo non loqueretur Deus, ſi tyrannus & regni invaſor fuiſſet Jeroboam.

Idem conſtat de Jehu, is enim regnum Iſrael vi aut malis artibus non occupavit, ſed ei miſit Eliſeus unum de filiis Prophetarum qui eum nomine Dei ungeret Regem ſuper Iſrael, qui poſtea Achab Regem, Jeſabel Reginam & omnem ejus domum exterminaret, quod cum perfeciſſet Jehu, impenſe laudatur a Deo his verbis lib. 4. Reg. c. 10. *Quia ſtudioſe egiſti quod rectum erat & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab, filii tui uſque ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael*.

Quæ objiciuntur poſtea ex cap. 1. Job, ex cap. 10. & 13. Iſaiæ, aliiſque ſimilibus, profecto nullius ſunt momenti; id unum etenim probant, ut mox dicebam, Deum eſſe auctorem mali pœnæ, non autem mali culpæ, ut ſatis etiam indicant ipſa Scripturæ verba quæ objiciuntur, *væ Aſſur*, inquit Dominus, *virga furoris mei, &c.* Præterquamquod Chaldæi citra peccatum potuiſſent ſpoliare Job, tum vero Sennacherib & Medi populum interficere, ſi nempe horum omnium poteſtatem dediſſet Deus vitæ, & necis omnium Dominus, & arbiter.

Quod ſpectat ad illa verba Chriſti Domini Judam Iſcariotem alloquentis, *quod facis, fac citius*; reſpondeo Chriſtum Dominum, aut voluiſſe Judam ad meliorem frugem revocare, ut putat S.Chryſoſtomus; aut malum Judæ prædixiſſe, ut docet S. Auguſtinus, aut denique permiſiſſe Judæ, ut ſcelus animo conceptum perficeret, ut ait S. Leo.

Denique nec difficultatem ullam creare debent adductæ preces quæ objiciuntur; his enim id unum a Deo petimus, ut nobis neceſſaria ſuppeditet gratiæ ſuæ auxilia, nec quemquam noſtrum ita deſerat, auxilii ſubſtractione ut inducatur in tentationem, inclinetur in malitiam; eſt hæc interpretatio S. Aug. Epiſt. 157. cap. 2. *Dictum eſt*, inquit, *ne nos inferas in tentationem quod intelligitur, ne nos inferri deſerendo permittas*.

Objicies ea Scripturæ teſtimonia in quibus Deus dicitur indurare vel excæcare homines, ita ut nec velint, nec poſſint bene agere. Exodi 7. cap. Deus lo-

loquens de Pharaone, *ego indurabo cor ejus*. Et poſtea, *induratumque eſt cor Pharaonis*, cap. 9. *induravitque Dominus cor Pharaonis*. Quod idem legitur c. 10. Deuteron. cap. 2. *noluitque Sehon rex Heſebon dare nobis tranſitum, quia induraverat Dominus Deus tuus ſpiritum ejus, & obfirmaverat cor illius ut traderetur in manus tuas*. Joſue 11. cap. *Domini ſententia fuerat, ut indurarentur*. Job. 12. *commutans labium veracium, & doctrinam ſenum auferens .... qui immutat cor principum populi terræ & decipit eos, ut fruſtra incedant per invium, palpabunt quaſi in tenebris & non in luce, & errare eos faciet quaſi ebrios*. Iſajæ 19. *Dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis*. Cap. 63. *quare errare nos feciſti Domine de viis tuis, induraſti cor noſtrum ne timeremus te?* Jerem. 20. cap. *seduxiſti me Domine, & seductus ſum*. Joan. 12. *propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſajas, Excæcavit oculos eorum & induravit cor eorum*. Rom. 1. cap. *tradidit eos in reprobum ſenſum, ut faciant quæ non conveniunt*. Denique ejuſdem Epiſtolæ cap. 9. *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*. Ex quibus ſic argumentari licet cum Calviniſtis, induratio ſive excæcatio cordis eſt a Deo efficaciter volente, atque induratio & excæcatio cordis eſt peccatum: ergo quoddam peccatum eſt a Deo efficaciter volente.

Minor negari non poteſt, docet enim S. Auguſtinus lib. 5. contra Julian. c. 3. cæcitatem mentis eſſe peccatum. *Cæcitas mentis*, inquit, *quam ſolus illuminator Deus removere poteſt, & eſt pecatum quo in Deum non creditur, & eſt pœna peccati, qua cor ſuperbum digna animadverſione punitur, & eſt cauſa peccati, cum aliquid mali cæci cordis errore committitur*. Quod idem verum eſt de induratione cordis, unde in utrumque velut in peccatum inſurgit Chriſtus Dominus Math. 13. *incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando videant oculis & auribus audiant & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos*.

Scilicet ea mentis cæcitas vel potius excæcatio de qua ſermo habetur in præfatis Scripturæ locis, minime reſpici debet tanquam nuda & ſimplex permiſſio qua Deus ſinit homines plerumque delabi in peccata, qua præciſe eos delerit per gratiæ ſuæ ſubſtractionem; ejuſmodi enim nuda permiſſione nunc ſinit juſtos peccare, quos nemo dixerit propterea excæcatos; tum vero & ſic olim permiſit primum Adami peccatum, quem tamen in numero excæcatorum nullus accenſere poteſt. Itaque cæcitas, cujus autor dicitur Deus in locis adductis, non eſt ſimplex luminis & gratiæ privatio, ſed affectus quidam pravus, quo quis amat tenebras & odit lucem, quo illuſtrationes divinas repellit; quemadmodum & obduratio cordis poſitiva quædam eſt animi malitia, quo quis divinas admonitiones contemnit, aut ipſe ſtatus eſt in quo jam nullas ſentit, jam nullis pungitur conſcientiæ ſtimulis, quo fit ut hoc utrumque malum, cæcitatis nempe & indurationis, ſit verum peccatum.

Diſt. maj. eſt a Deo excæcationem, & indurationem efficiente negative tantum & permiſſive, C. efficiente proprie & poſitive, N. nempe contendimus excæcari homines & obdurari ex eorum parte, quando propria malitia legem contempſerunt, & divinas inſpirationes repellendo peccatis peccata ſuperſtruxerunt; ex parte vero Dei, iidem homines excæcantur & indurantur ſolummodo negative; quatenus permittit Deus ut in multa delabantur peccata iis revera gratiæ ſuæ auxilium ſubſtrahendo, quo fit ut in omnia quæque ſcelera præcipites ruant, indeque maneant plane excæcati & corde indurati; ſed eos proculdubio Deus non indurat poſitive, quaſi nempe eorum voluntates malas, & per-

& perverſas ipſe faciat ; quaſi pravum hunc affectum in quo ſita eſt excæcatio vel induratio , in animos induratorum inſtillet ; neque vero alium eſſe ſenſum verborum quæ objiciuntur manifeſtum eſt .

Primo , ex ipſo Scripturarum contextu quæ cauſam illius indurationis magis tribuunt ipſiſmet hominibus quam Deo ; ſic v. g. ubi agitur de Pharaone , minus Deo quam ipſi Regi tribuitur induratio , Exodi cap. 8. *videns Pharao quod data eſſet requies , ingravavit cor ſuum & non audivit eos ſicut præceperat Dominus* . Cap. 9. *videns Pharao , quod ceſſaſſet pluvia , & grando , & tonitrua , auxit peccatum & ingravatum eſt cor ejus* . Ecce quomodo Pharao ipſe ex mala ſua voluntate *ingravavit* cor ſuum , ecce quomodo *auxit* peccatum , ſcilicet ex patientia Dei , qui illum toties peccantem ſuſtinuerat , nactus occaſionem divina ſpernendi mandata , cor ſuum ipſe obfirmabat in propoſito non obediendi , ut aperte ſignificant hæc verba , *ingravavit cor ſuum , auxit peccatum* ; quocirca cum legitur ibidem , *induravit Dominus cor Pharaonis* , hoc unum indicat a Deo derelictum fuiſſe Pharaonem quem decreverat non amplius movere , & flectere , adeoque non fuiſſe induratum niſi negative & permiſſive ; unde & ad alia objecta loca reſponſio facile intelligitur , neque enim majorem continent difficultatem .

Id vero mirum in modum ex eo confirmatur quod excæcatio & obduratio in iiſdem Scripturis aſcribuntur interdum illis etiam rebus , quæ ſunt occaſiones & cauſæ improprie dictæ utriuſque illius ſtatus ; ſic v. g. dicuntur munera excæcare oculos ſapientum , *nec accipies munera , quæ etiam excæcant prudentes & ſubvertunt verba juſtorum* . Eccleſiaſt. 19. *vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes* . Quia ſcilicet occaſione munerum vel ipſi juſti & prudentes excæcantur , tum vero occaſione vini , & mulierum inſaniunt ipſi ſapientes ; quo fit ut & ſuo modo patientia Dei , qui peccata hominum diſſimulat propter pœnitentiam , homines indurare cenſeatur improprie ſcilicet & occaſionaliter , quatenus patientia Dei abutentes ex pravo & impœnitenti corde peccata peccatis accumulant . *Ignoras* , inquit Apoſtolus ad Rom. 2. cap. *quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? Secundum duritiam tuam & impœnitens cor , theſaurizas tibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei* .

Secundo , Deum non aliter indurare quam negative & permiſſive patet manifeſte ex SS. Patribus Scripturæ legitimis interpretibus . Eorum unum aut alterum duntaxat appellabo ut brevitati conſulam . Origenes hom. 2. in Judices , *hoc modo intelligendum eſt Deum tradere quos tradit , non quia ipſe tradat aliquem , ſed eo quod derelinquit indignos* . S. Clemens Alexand. explicans lib. 1. Stromatum quod Prophetæ dixerant , ita iniquos fore Judæos ut Meſſiæ credere nollent , quod ipſum etiam confirmat Chriſtus Dominus Math. 13. *in parabolis loquor eis , ut videntes non videant* , ſic loquitur , *non quod eis Dominus tribuat ignorantiam (ſic enim ſentire eſt nefarium) ſed quod eam quæ inerat prophetiæ , oraverit* . S. Gregorius Nyſſenus de vita Moiſis , *ſic oportet* , inquit , *illud Apoſtoli dictum intelligere , eos nimirum qui Deum non cognoverant ignominiæ paſſionibus traditos eſſe , & induratum a Deo fuiſſe tyrannum Ægyptium , non quia divina voluntas duritiem in animum ejus induxerit , ſed quia cum ipſe vitioſe vivere maluerit , non ſuſcepit rationem , qua induratum in vitio cor permollitur* .

Et clarius longe S. Auguſtinus multis in locis , Epiſt. 194. *nec obdurat Deus impertiendo malitiam , ſed non impertiendo gratiam* . Lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. *obduratio Dei eſt nolle miſereri* . Tractatu 53. in Joan. *ſic enim excæcat , ſic obdurat Deus deſerendo & non adju-*

van-

vando; quod occulto judicio facere poteſt, iniquo non poteſt. Quod idem reperias apud S. Chryſoſtomum hom. 3. in Epiſtolam ad Rom. S. Gregor. M. lib. 25. Moral. cap. 2. S. Damaſcenum lib. 4. de fide cap. 20. & alios.

Huic porro argumento in objectione propoſito poſſet inſuper reſponderi negando minorem; falſum eſt ſcilicet excæcationem, uti & indurationem eſſe peccatum; utraque enim depravatio ſtatus eſt, in quo ſe ipſos conſtituerunt peccatores variis ſubinde admiſſis & repetitis ſceleribus, neque vero peccati rationem habet; unde cum loco citato ſcribit S. Auguſtinus cæcitatem mentis eſſe peccatum, dubio procul id intelligit de ignorantia, ut ita dicam, actuali eorum quæ quis ſcire tenetur, quod genus ignorantiæ per ſe formaliter eſſe peccatum docuimus in Tractatu noſtro de Actibus humanis: ſed non loquitur de excæcatione quæ ſtatus quidam eſt habitualis, & quæ minus proprie dicitur per ſe formaliter eſſe peccatum.

At, inquies, excæcatio hic non ſumitur pro nuda ſubtractione luminis, uti nec induratio pro ſimplici divinæ inſpirationis privatione, ſed pro affectu pravo quo quis Dei gratiæ illuſtrationes, divinoſque motus repellit; ſiquidem ejuſmodi gratiæ ſubtractio fit reſpectu eorum omnium qui peccant, tametſi nec excæcati nec indurati ſint: at nemo dixerit pravum illum affectum non eſſe peccatum: igitur excæcatio & obduratio peccata ſunt.

Nego maj. & dico hunc pravum effectum quo quis divinas ſolet inſpirationes repellere, non eſſe excæcationem neque indurationem, ſed peccatum actuale, quo quidem ex propria malitia homo perditus item obfirmatur in peccatis ſuis magis ac magis impœnitens: quo fit ut ejuſmodi affectus ſit potius cauſa indurationis quam ipſa induratio. Deinde ſi in illo perverſo pravoque animi affectu poſita ſit induratio, inde manifeſtum erit Deum non eſſe cauſam indurationis hominum, ea nempe ratione qua Deus non eſt cauſa actionis malæ, niſi negative & permiſſive.

Inſtabis: aliter Deus eſt cauſa indurationis aut ſcelerum quæ committuntur ab induratis, quam eorum quæ committuntur ab aliis peccatoribus; Deus enim peccata infligit excæcatis & obduratis in pœnam præcedentium peccatorum: atqui Deus eſt cauſa peccatorum quæ committuntur ab hominibus minime induratis ſaltem negative & permiſſive, nemo enim peccata niſi Deo permittente, deſerente, gratiæ ſuæ auxilium ſubtrahente: ergo Deus eſt vera poſitiva & proprie dicta cauſa peccatorum quæ committuntur ab excæcatis & induratis.

Diſt. maj. aliter quoad motivum, C. aliter quoad modum agendi, N. ſcilicet Deus, ut mox fuſius videbitur, cum hoc ſuper negotio doctrinam Sancti Auguſtini expendemus, peccata decernit in pœna præcedentium peccatorum, hoc eſt, agens partes juſti judicis ſtatuit divinum gratiæ ſuæ auxilium tollere & denegare: quo fit ut ejuſmodi homines iterum peccent poſitivo quidem Dei judicio, quo voluit gratiam ſuam ſubtrahere, non quo ſtatuit voluntates eorum ad peccatum impellere. Unde aliud quidem motivum exercet Deus reſpectu induratorum, quia vult illos punire, ſed non aliter tamen eſt cauſa peccatorum quæ ab illis committuntur, neque enim voluntates illorum ad peccata compellit.

Quanquam & aliud poſſit aſſignari diſcrimen inter modum quo ſe gerit Deus erga excæcatos & induratos, eumque modum quo cæteros homines regit & gubernat, Deus enim excæcatis & obduratis omnem gratiam etiam ſufficientem aliquando denegat in pœnam & ultionem præcedentium peccatorum, ut docuimus in Tractatu de gratia Dei; juſtis vero, quibus volentibus & eonan-

tibus impoſſibilia non ſunt mandata Dei, gratia ſufficiens nunquam deeſt, quando peccant.

Inſtabis: ex conceſſis ſæpe unum peccatum eſt pœna alterius peccati: ſed ejuſmodi pœnæ auctor eſt Deus, ad judicem enim pertinet infligere pœnam: ergo Deus eſt auctor peccati quod pœna eſt alterius peccati.

Diſt. min. autor eſt Deus hominem deſerendo, C. impellendo ad peccatum, N. itaque Deus eſt quidem autor illius peccati quod pœna eſt alterius, ſed deſerendo & permittendo, non impellendo; ita ut nimirum non tam ipſum peccatum quam permiſſio peccati, quam gratiæ divinæ ſubtractio, pœna juſto Dei judicio inflicta dici debeat: Deus enim non vult proprie ut fiat peccatum, quantumvis velit denegare gratiam ex cujus ſubtractione prævidet futurum peccatum; aliter aperte falſa forent hæc Scripturæ teſtimonia, in quibus ſexcenties legitur odio eſſe Deo impium & ejus impietatem, Deum nemini mandare impie agere, peccatum ex diabolo eſſe, & alia id genus.

At, inquies, Deus ab æterno decrevit juſtitiam ſuam & miſericordiam manifeſtare; atqui non poterat id efficere niſi peccata hominum decerneret, eaque conſequenter operaretur in tempore; ſublato enim peccato non eſt locus juſtitiæ ſaltem vindicativæ, uti nec miſericordiæ: ergo futurum aliquando peccatum efficaciter decreverat Deus.

Nego min. potuit quippe Deus & miſericordiam ſuam patefacere, etiamſi nunquam peccaſſent homines, ſi nimirum ex ſingulari beneficentia eos variis cumulaſſet beneficiis, potuit & juſtitiam ſuam oſtendere ſingulos pro meritis coronando, quod munus eſt juſtitiæ diſtributivæ. Quod ſpectat ad juſtitiam vindicativam, ſane neutiquam neceſſe fuit ut hujus virtutis partes impleret Deus; quin potius, cum vel in ipſa mundi creatione liberrimus fuerit, fieri potuit ut neque juſtitiam ſuam, neque miſericordiam mundo patefaceret.

Objicies: Deus eſt cauſa omnis actionis creatæ, quicquid enim creatum eſt, a Deo eſt: ſed peccatum eſt actio creata: ergo Deus eſt peccati cauſa.

Diſt. min. peccatum materialiter ſumptum eſt actio creata, C. peccatum materialiter ſumptum, N. in peccato duo diſtingui debent, materiale ſcilicet & formale; materiale, eſt actio ipſa voluntatis quatenus actio eſt, formale eſt inordinatio illius actionis ſeu privatio rectitudinis huic actioni debitæ; unum eſt effectus, ut aiunt; alterum vero eſt defectus: itaque Deus pro officio cauſæ univerſalis concurrens cum cauſis ſecundis ad proprios earum effectus, eſt quidem cauſa peccati materialiter ſumti, quatenus videlicet eſt actio, ſed non eſt cauſa ejuſdem peccati formaliter ſumpti & ratione ipſius malitiæ conſiderati.

Et ratio eſt quia generatim loquendo defectus alicujus operis quod proficiſcitur a duabus cauſis, quarum una eſt univerſalis, altera particularis; una perfecta, altera imperfecta; refundi ſemper debet in cauſam particularem & imperfectam, nunquam vero in cauſam univerſalem & perfectam; ſit v. g. in exemplum claudicatio quæ eſt defectus in homine claudo, eſtque ſimul & ab anima & a tibia; ab anima quidem ſi claudicatio ſumatur materialiter prout eſt motus, quia nempe anima cauſa eſt cur tibia curva moveatur; a tibia vero ipſa, ſi ſumatur formaliter, quia tibia cauſa eſt claudicationis, unde claudicatio formaliter ſumpta nunquam refunditur in animam quæ eſt veluti cauſa univerſalis omnis motus qui fit in corpore, ſed in tibiam quæ eſt cauſa particularis & imperfecta ſeu deficiens quatenus curva eſt. Jam vero omnis actio mala eſt a Deo ſimul & ab homine, ita ut Deus ſit cauſa univerſalis & perfecta, in quo ſcilicet nihil vitii & defectus occurrit; contra vero homo cauſa

ſit

Digitized by Google

ſit particularis ſuæ actionis, tum & cauſa natura ſua deficiens: ſi quid ergo ſit vitii & defectus in actionibus hominis, id ſemper in ejus voluntatem refundi debet, nunquam vero in Deum; unde ſequitur peccatum a Deo quidem eſſe ratione ſui materialis, neutiquam vero ratione ſui formalis, prout eſt actio, non prout eſt actio mala.

Hanc porro duplicis formalitatis in eadem actione diſtinctionem, qua nempe fiat ut eadem actio ſit ab una cauſa ratione unius formalitatis, ab alia vero ratione alterius formalitatis, non eſſe frivolam & ad nutum excogitatam, oſtendi facile poteſt ex nonnullis exemplis quæ rem iſtam non parum illuſtrabunt; ſane qui cantum dicit non ſimpliciter vocem intelligit, ſed vocem certa ratione modulatam; qui curſum dicit, non motum duntaxat, ſed motum concitatiſſimum; quemadmodum per blaſphemiam non ſermo præciſe intelligitur, ſed ſermo impius adverſus Deum, quia nimirum in omni actione duo accurate diſtingui debent, actio ipſa & ejus qualitas, quæ quidem ſuam habent diverſam rationem & definitionem, alioquin nulla vox eſſet niſi cantus, nullus motus niſi curſus, nullus ſermo niſi blaſphemia, denique omnis actio foret peccatum, quod manifeſte falſum eſt; ex quibus ita expoſitis facile intelligitur actionem malam ſpectari poſſe prout actio eſt & prout mala, actionem & modum ſeu qualitatem actionis, ita diſtingui ut actio ſit a Deo; qualitas actionis ſeu ejus malitia & deformitas ſit ab homine.

Inſtabis: deformitas ſeu malitia actionis malæ eſt inſeparabilis ab ipſa actione, quia modificatio ſeparari nequit a re modificata: ergo ſi Deus cauſa eſt actionis, erit ſimiliter cauſa malitiæ.

Nego conſeq. ut enim Deus ſit cauſa actionis ſeu peccati materialiter ſumpti, neque tamen cenſeri debeat cauſa malitiæ ſeu peccati formaliter ſumpti, ſatis eſt quod actio & malitia ejus diſtinguantur, neceſſe non eſt ut ſeparentur vel ſeparatim exiſtere poſſint; ſi enim v. g. peritus quidam ſcriptor utens male aptato calamo male ſcribat, in calamum, non vero in ſcriptorem refundetur ſcriptionis vitium, adeoque ſcriptor erit cauſa ſcriptionis, non vitii quod inerit ſcriptioni, quantumvis ſcriptio & ejus vitium ſeu deformitas ſint inſeparabiles; ſatis enim eſt ſi diſtinguantur, quia tunc actio eſt a cauſa efficiente, vitium vero actionis a cauſa deficiente, quod patet etiam ex alio jam adducto exemplo, anima enim eſt cauſa motus tibiæ, tibia vero ſola eſt cauſa ejus claudicationis quia curva, quamobrem merito dicimus actionem malam a Deo eſſe ut actio eſt, ab homine ſolo ut mala eſt; tametſi actio & malitia actionis ſint inſeparabiles. Scilicet peccati quod non tam eſt actio quam defectio, non tam quærenda eſt cauſa efficiens quam deficiens, inquit S. Auguſtinus lib. 12. de civit. Dei cap. 7. *Nemo quærat efficientem cauſam malæ voluntatis, non enim eſt efficiens ſed deficiens, quia illa effectio non eſt, ſed defectio*

At, inquies, quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati: atqui Deus eſt cauſa cauſæ, nempe voluntatis & ejus motionis quæ peccatum efficit: igitur & cauſa eſt cauſati, ſcilicet ipſius peccati.

Diſt. maj. ſi quidquam ſpecialiter influat in cauſatum, C. ſi nihil influat & præciſe quia eſt cauſa cauſæ, N. Itaque non id omne quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati: ſi nempe in iſtud aliunde non influat quidquam; pater enim in humanis eſt cauſa filii ſui, ſed non eſt cauſa eorum omnium quæ fiunt ab eodem filio. Atque hoc præfatum axioma locum præſertim nullum habet erga cauſam univerſalem, quæ quidem ut talis, eſt cauſa cauſæ, neque tamen eſt cauſa cauſati; quia nimirum cauſa ſecunda hac in parte recedit a prima, non movetur a prima, deflectit ab ordine

dine primæ, quo ſit ut Deus non ſit cauſa peccati, quamvis ſit cauſa voluntatis humanæ quæ peccatum facit; neque enim voluntas hominis peccat quatenus a Deo dirigitur, ſed immo quatenus a Deo deflectit.

Objicies: ille cenſetur autor peccati qui ſciens & volens influit in actionem cui novit conjunctam eſſe malitiam: atqui Deus influit ſciens & volens in actionem cui probe novit annexam eſſe malitiam: ergo.

Diſt. maj. ſi agat ut cauſa particularis, C. ſi ut cauſa univerſalis, N. ut enim ait S. Thomas 1. p. q. 22. art. ad 2. Deus eſt proviſor univerſalis rerum omnium, de ratione autem proviſoris univerſalis eſt, ut permittat quoſdam defectus, ne impediatur bonum univerſi; ſi enim omnia mala impedirentur, multa bona deeſſent univerſo, non enim eſſet vita leonis, niſi eſſet occiſio animalium, nec patientia Martyrum, niſi eſſet perſecutio Tyrannorum. Unde S. Auguſtinus in Enchirid. cap. 11. *Deus non ſineret malum aliquod eſſe in ſuis operibus, niſi uſque adeo eſſet omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo.*

Quamobrem jam evaneſcit difficultas quæ petitur ex comparatione hominis qui peccati reus cenſetur, ut aiunt, ſi cui gladium præbeat quem eo male uſurum prævidet; homo enim qui gladium alteri commodat, eſt cauſa particularis non agens ex officio; cum Deus ex adverſo ſit cauſa univerſalis cujus poſtulat munus & officium ut concurſum præbeat omni voluntati creatæ; quo fit ut ſi creatura libera ab ordine & recta ratione deflectat, id ipſum refundi non debeat in primam & univerſalem cauſam.

Inſtabis: ſi peccatum non refunditur in Deum, quia eſt cauſa univerſalis, inde ſequitur nec Deum ſimiliter eſſe cauſam actionis bonæ: abſurdum conſ. ergo & ant.

Nego maj. & par. ratio diſcriminis eſt, quia Deus non modo in genere cauſæ univerſalis influit in bonas actiones, ſed ſpecialiter illas efficit, ad illas enim hortatur ubique in divinis litteris, illas præcipit, in hunc finem dat ſpecialem gratiam, nimirum efficacem, quæ quidem minime præſtat in ordine ad peccatum, quod ſolummodo permittit, non vult, non intendit, non præcipit.

Expenditur Sententia S. Auguſtini.

QUoniam variis S. Auguſtini teſtimoniis in præſenti materia abutuntur Novatores, ea ſingillatim referemus omnia & nullo negotio explicabimus, ut cuivis manifeſte pateat ejuſmodi loca quæ prima fronte hæreticis favere videntur, excuſſa tamen nullius eſſe ponderis.

Objiciunt 1. hæc verba Enchridion cap. 100. *Propterea namque magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem, quia non fieret ſi non ſineret, nec utique nolens ſinit ſed volens.* Et cap. 101. *ſed quantælibet ſint voluntates vel Angelorum vel hominum, vel bonorum vel malorum, vel illud quod Deus vel aliud volentes quam Deus omnipotens, voluntas Dei ſemper invicta eſt.* Ex quibus ſic argumentum, eſt; ille proprie loquendo vult peccatum qui non ſinit nolens ſed volens ut fiat: atqui Deus ex hoc S. Auguſtini loco non ſinit nolens ſed volens peccatum: ergo.

Diſt. min. ſed volens ea voluntate qua permittit, C. ea voluntate qua decernit, ut fiat peccatum, N. id unum itaque docet eo loci S. Auguſtinus Deum, quando permittit peccata, aliquem voluntatis actum elicere, ita ut peccata non fiant eo invito & nolente, non fiant ſimul contra ejus voluntatem & præter ejus voluntatem, ut ipſemet ait ibi-

Digitized by Google

ibidem; adeoque non putat Deum proprie & poſitive velle ut fiant peccata, ſcilicet permittere peccatum, neque idem eſt ac velle peccatum, neque idem ac illud nolle poſitive, ſed alid quid tertium involvit, nempe velle illud permittere. Unde cum dicit Auguſtinus Deum permittere mala volentem non nolentem, *nec utique nolens ſinit ſed volens*, intelligit Deum permittere, volentem permittere; ita ut peccata non fiant ab hominibus eo invito & nolente, *præter ejus voluntatem*. At ibi non docet Deum proprie velle peccatum, velle ut fiat peccatum, *quod etiam contra ejus fit voluntatem*. Igitur ex hoc eodem teſtimonio colligitur ſolutio difficultatis; profitetur enim Sanctus Auguſtinus peccata non fieri præter Dei voluntatem, quia nempe Deus ea permittit, aliunde vero ait ea fieri contra ejus voluntatem, quia Deus proprie loquendo non vult peccata fieri, ea non decernit, ea non præcipit, quin potius ea prohibet & punit.

Inſtabis: cap. 101. ejuſdem libri hæc leguntur, *aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult, & rurſus fieri poteſt, ut hoc velit homo voluntate mala quod Deus vult bona. Tantum intereſt quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem ſuam quiſque referat voluntatem, ut aut approbetur aut improbetur*. Unde ſic argumentari licet, ex S. Auguſtino Deus vult bona voluntate quod homo vult mala voluntate: ergo vult Deus idipſum malum quod operantur homines, cum hoc ſolum diſcrimine, quod Deus bona intentione vult malum, homo vero mala intentione.

Diſt. ant. & illud non intelligit Auguſtinus de ipſo peccato, de ipſa peccati malitia, C. & illud intelligit de ipſo peccato, N. Ait itaque S. Doctor *fieri poſſe ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona*. Sed non dicit Deum velle ipſum peccatum, Deum velle ut homo velit & voluntate mala velit quod vult: hujuſce rei exempla ibidem ſubminiſtrat, Deus v. g. vult bona voluntate aliquem mori, forte etiam ex ſingulari miſericordia, ne mutato per malitiam intellectu ejus æternam incurreret damnationem, contingit autem ut plane idem mala voluntate cupiat homo, vel ex motivo vindictæ vel ad poſſidendam ejus hæreditatem: ea res adeo clara & manifeſta eſt ut fuſiori non egeat explicatione.

Objicies: lib. 83. quæſt. q. 53. aperte docet S. Auguſtinus Deum præcepiſſe Prophetis ut deciperent Regem Achab, & coram eo mentirentur. *Legimus*, inquit, *deceptum Regem falſo vaticinio Pſeudo-Prophetarum, & ita legimus, ut neque ſine divino judicio factum inveniamus, quoniam dignus erat ille ſic decipi*. Ex quibus hoc argumentum conficitur, deceptio Achab facta non eſt ſine Dei judicio: ergo fuit a Deo tanquam a cauſa.

Diſt. ant. ſine judicio Dei voluntatis permittere mendacium Prophetarum, & eo uti ad puniendum Achab, C. volentis proprie & directe ipſum mendacium quo deceptus eſt Achab, N. id colligitur ex eo quod ibidem teſtatur ſanctus Doctor, Achab fuiſſe deceptum a Prophetis, neminem vero poſſe a Deo decipi, *quapropter Deus quidem per ſeipſum neminem decipit, eſt enim pater veritatis, & veritas & ſpiritus veritatis, dignis tamen digna diſtribuens, quoniam hoc quoque pertinet ad juſtitiam & veritatem*. Si Deus neminem decipit, ſi pater eſt veritatis, & veritas & ſpiritus veritatis, quomodo poteſt proprie velle & efficaciter operari mendacium? id unum itaque eo loci docet Auguſtinus mendacio Prophetarum propria eorum voluntate & malitia concepto uſum eſſe Deum, vero quidem judicio ad puniendum Achab.

Inſtabis: ex S. Auguſtino ibidem, Regem Achab decepit Deus, quemadmodum Judex reum aliquem plectit; atqui

atqui Judex vere, proprie, poſitive pleƈtit reum aliquem utens manu carnificis, eſtque vere cauſa ejus mortis: ergo & Deus utens miniſterio Prophetarum vere ac proprie loquendo decepit Achab.

Diſt. maj. ita ut ejuſmodi comparatio quoad aliqua tantum inſtituatur, C. ſi quoad omnia, N. ſcilicet in eo comparatio eſt, quod ſicut Judex propria manu reum morti non addicit, ſed ope carnificis utitur; ita etiam Deus non niſi per alium decipit; at vero par aliunde non eſt amborum ratio; nam Judex pœnam imperat illiuſque idcirco autor merito dicitur, Deus vero fraudem vel deceptionem nunquam imperat, tantummodo illam fieri permittit; aut ea etiam utitur ad pœnam peccatoribus infligendam; id colligitur ex eodem loco. *Non itaque Deus deceptor eſt*, inquit, *quod credere nefarium & impium eſſe quis non intelligat? ſed meritorum & perſonarum juſtiſſimus diſtributor, faciens quædam per ſe ipſum quæ illo ſolo digna ſunt, eique ſoli conveniunt, ſicuti illuminare animas, alia per ſervientem creaturam, quædam eorum jubens, quædam permittens*. Jubens ſcilicet ubi opus imperatum de genere bonorum eſt, permittens vero ſi actio ſit turpis & iniqua.

Hæc porro Scripturæ loca, in quibus peccatum præcipere Deus dicitur, non eſſe intelligenda de juſſione proprie dicta, ex eo manifeſte liquet quod idem verbum *juſſionis* alio *permiſſionis* vocabulo emollit ipſe S. Doctor, dubio procul ut longius a Deo omnem fraudis ſuſpicionem amoveat. *Quapropter*, inquit, *cum & Ægyptii deceptione digni eſſent, & populus Iſrael pro illa ætate generis humani in tali adhuc gradu morum conſtitutus eſſet, ut non indigne hoſtem deciperet, factum eſt ut* juberet *Deus, vel potius pro illorum cupiditate permitteret, ut vaſa aurea & argentea, quibus adhuc terrenæ rei appetitores inhiabant, peterent non reddituri*. Vim ergo ne quis faciat in illa voce *juberet* hac ſua interpretatione vetat ipſe ſanctus Doctor.

Objicies celebre ejuſdem S. Auguſtini locum e libro 5. contra Julianum cap. 3. petitum, ubi nempe affirmate pronuntiat ea ſaltem peccata, quæ aliorum peccatorum pœnæ ſunt, eſſe a Deo ea volente, decernente, infligente, ad ea compellente; ſcilicet cum dixiſſet S. Auguſtinus lib. 1. de nupt. & concup. cap. 6. *carnis inobedientiam homini digniſſime retributam*, id falſum eſſe contendebat Julianus, *& conaris oſtendere hanc inobedientiam carnis potius eſſe laudabilem, ſi pœna peccati eſt*. Sic vero S. Doctor regerit, *nec cogitas poſſe te iſto modo laudare Angelos malos, qui utique non ſunt niſi prævaricatores atque impii, per quos tamen Deum meritas pœnas irrogare peccantibus ſancta Scriptura teſtatur dicens: Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & iram & tribulationem, immiſſionem per Angelos malos ..... Lauda iniquum regem Saulem, quia & ipſe fuit pœna peccantium; Domino dicente (dedi tibi Regem in ira mea.) Lauda dæmonium quod rex ipſe patiebatur, quia & hoc pœna fuerat peccatoris. Lauda cæcitatem cordis, quæ ex parte Iſrael facta eſt. Nec taceatur quare, donec plenitudo*, inquit, *gentium intraret, Niſi forte & iſtam pœnam negabis eſſe, quam ſi lucis æternæ amator eſſes, non ſolum aliquam, ſed valde magnam pœnam eſſe clamares. At iſta cæcitas fuit in Judæis grande incredulitatis malum & grandis cauſa peccati, ut occiderent Chriſtum. Iſtam cæcitatem, ſi pœnam fuiſſe negaveris, ſimilem te perpeti etiam non confitens indicabis. Si autem pœnam quidem fuiſſe, ſed peccati pœnam non fuiſſe contendis, interim fateris, quod unum aliquid & peccatum eſſe poſſit & pœna*. Et poſtea: *Quid enim egiſti, quæſo te, quid egiſti, commemorando Apoſtolicum teſtimonium, quo ego illud probavi, quod in alia mea diſputatione legiſti, quia de*

qui-

Digitized by Google

quibuſdam ſcripſit dicens: Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant quæ non conveniunt. Hoc enim voluiſti videri hyperbolice dictum, quod fit cum ad permovendos animos, fidem rerum qui ſermocinatur, excedit .... deinde damnates propter iſtum reatum, ſequitur enim (propter hoc tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.) Audis propter hoc & quæris inaniter, quomodo intelligendus ſit tradere Deus, multum laborans ut oſtendas eum tradere deſerendo. Sed quomodolibet tradat, propter hoc tradidit, propter hoc deſeruit, & vides ejus traditionem qualemlibet & quomodolibet intelligas quæ conſecuta ſint. Tum vero ſub finem capitis, *quid eſt autem*, inquit, *quod dicis, (cum deſideriis ſuis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi ſunt, non per potentiam in peccata compulſi.) Quaſi non ſimul poſuit hæc duo idem Apoſtolus & patientiam & potentiam, ubi ait, (ſi autem volens Deus oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam attulit in multa patientia vaſa iræ quæ perfecta ſunt in perditione.)* Quibus ſimillimum eſt quod poſtea ſubjungit, *an & hic dicturus eſt quod ait, ego Dominus ſeduxi Prophetam illum*, intelligendum eſſe, *deſerui, ut pro ejus meritis ſeductus erraret;* Ex quibus hoc conficitur argumentum, ex illo teſtimonio conſtat peccata quandoque eſſe pœnas præcedentium peccatorum; atqui hoc poſito illa eadem peccata ſunt a Deo, qui nimirum eſt univerſarum pœnarum autor: igitur.

Diſt. min. ſunt a Deo permittente, vel etiam illa ad certum finem referente & ordinante, C. ſunt a Deo illa faciente, probante, aut etiam ad illa compellente, N. diſſimulare non poſſumus S. Auguſtinum dixiſſe peccata quandoque eſſe a Deo tanquam pœnas præcedentium peccatorum, hoc enim non obiter & perfunctorie, ſed dedita opera probat & quidem multis Scripturæ teſtimoniis, in hac præſertim diſputatione cum Juliano habita; verum id unum contendit peccata quæ pœnæ ſunt aliorum, eſſe a Deo permittente, aut ſaltem ita malas voluntates gubernante, ut pravorum motuum non habeatur autor, id conſtat & ex propoſito & ex verbis ipſius Auguſtini.

Primo quidem ex ejus propoſito, id unum quippe toto hoc in capite conatur oſtendere, peccata quandoque eſſe pœnas peccatorum, ſcilicet quod lib. 1. de nupt. & concup. cap. 6. dixerat ſanctus Doctor concupiſcentiam malam eſſe, & tamen pœnam primi peccati; aperte reprehendit Julianus libris illis quos contra S. Auguſtini libros de nuptiis edidit, unde huic nata occaſio prolixius diſſerendi contra Julianum de peccatis quæ ſunt aliorum pœnæ; hoc enim utitur argumento; non eſt laudabile omne quod eſt pœna peccati, ſi peccata ipſa ſint pœnæ peccatorum: atqui peccata ipſa ſunt pœnæ peccatorum, nam cæcitas quæ Judæis cauſa fuit ut Chriſtum occiderent, fuit in illis & peccatum & pœna peccati: ergo concupiſcentia non eſt laudabilis, & tamen pœna eſt peccati. Ex quibus colligi debet tantum dixiſſe ſanctum Doctorem peccata quandoque eſſe a Deo tanquam pœnas præcedentium peccatorum: non autem eſſe a Deo illa operante efficaciter, vel ad illa voluntates noſtras compellente; id ſcilicet non poſtulat propoſitum S. Auguſtini, quod ex æquo ſtare poteſt, ſi ſupponatur peccata quæ aliorum pœnæ ſunt, eſſe a Deo permittente, deſerente, quam videlicet doctrinam frequenter ſatis reſperſam in ejus ſcriptis aliunde novimus.

Quin potius id unum voluiſſe hoc in loco oſtendere quædam peccata eſſe a Deo in pœnam præcedentium, abſtrahendo ab eo modo quo revera ſunt a Deo, an per meram gratiæ ſubtractionem, an per poſitivum influxum, ex eo manifeſte liquet quod cum dixiſſet Julianus Deum tradere tantum homi-

nes deferendo, reſpondet S. Auguſtinus ſe non curare de modo quo Deus tradit homines in reprobum ſenſum, modo conſtet ex Apoſtolo Deum tradere illos in reprobum ſenſum propter præcedentia peccata, ecce ejus verba capite citato. *Propter hoc tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ, audis propter hoc, & quæris inaniter quomodo intelligendus ſit tradere Deus multum laborans, ut oſtendas eum tradere deſerendo, quomodolibet tradat, propter hoc tradidit, propter hoc deſeruit, & vides ejus traditionem qualemlibet, & quomodolibet intelligas quæ conſecuta ſunt.* Unde patet unum hoc divi Auguſtini propoſitum fuiſſe, oſtendere Juliano quædam peccata eſſe a Deo in pœnam aliorum, quocunque tandem modo ea ſint a Deo, quod in præſenti occaſione fuſius inquirere non vacabat; quo fit ut ex ejus propoſito colligi non poſſit peccata eſſe a Deo decernente, efficaciter operante.

Secundò nec ex illius verbis idem inferri poteſt, nullum enim legere eſt toto hoc in capite quo perverſam adeo impiamve doctrinam inſinuet; quin potius contrarium manifeſte tradit, ubi ſub finem capitis loquitur de Rege Achab: *Nempe*, inquit, *Rex ipſe peccavit falſis credendo Prophetis, at hæc ipſa erat pœna peccati Deo judicante, Deo mittente Angelum malum, ut apertius intelligeremus quomodo in Pſalmo dictum eſt miſiſſe iram indignationis ſuæ per Angelos malos, ſed nunquid errando, nunquid injuſte quicquam vel temere judicando ſive faciendo? abſit.* Sane, ſi Deus malas faceret voluntates, pravoſque inſpiraret motus, & erraret & injuſte quicquam faceret, quocirca & hæc alia ſimilia quæ innuere videntur Deum ipſum inducere in peccatum, efficaciter movere ad peccatum, ſignificant ſolummodo Deum uti voluntatibus impiorum in aliquem ſibi congruentem finem, ut expreſſe declarat Auguſtinus cap. 4. ejuſdem libri, loquens de eodem Achab: *Sicut tradidit Achab in Pſeudo-Prophetarum mendacium, ſicut tradidit Roboam in falſum conſilium; facit hæc miris & ineffabilibus modis qui novit juſta judicia ſua non ſolum in corporibus hominum, ſed & in ipſis cordibus operari, qui non facit voluntates malas, ſed utitur eis ut voluerit, cum aliquid inique velle non poſſit.* Quibus poſtremis verbis nihil expreſſius & ad mentem noſtram magis accommodatum proferre potuit ſanctus Doctor.

Quibus adde Deum tradere homines in peccata per meram gratiæ ſubtractionem, in aliis permultis locis docuiſſe clariſſimum Præſulem lib. de natura & gratia capit. 22. *Utique iſta obſcuratio vindicta & pœna jam fuit, & tamen per hanc pœnam, id eſt per cordis cæcitatem quæ fit deſerente luce ſapientiæ, in plura & gravia peccata collapſi ſunt.* Cap. 23. *Hic nunc iſte dicat, non debuit ſic vindicari peccatum, ut peccator per vindictam plura committeret, fortaſſe reſpondeat Deum ad iſta non cogere, ſed dignos deſeri, tantum deſerere, ſi hoc dicit, veriſſime dicit, deſerti quippe, ut dixi, luce juſtitiæ, & per hoc contenebrati, quid pariant aliud quam hæc omnia quæ commemoravi opera tenebrarum.* Epiſtola 194. *nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo gratiam.* Lib. 1. ad Simplicianum: *Obduratio Dei eſt nolle miſereri .... ob hoc dicitur obdurare peccatores quoſdam, quia non eorum miſeretur.* Quo fit ut quæcunque in citato cap. 3. lib. 5. contra Julianum leguntur, quæ prima fronte duriora cuipiam videri poſſunt, quaſi dicatur Deus immittere cœcitatem mentis, tum vero cordis perverſitatem operari, explicari tandem debeant de mera deſertione qua Deus in pœnam præcedentium delictorum debita auxilia non ſuppeditat quæ hanc menti cœcitatem amoverent, vel cordis perverſitatem ſuperarent.

Inſtabis: ille exiſtimat Deum eſſe autorem peccatorum, eaque per poſitivum

Digitized by Google

tivum influxum operari, non per meram gratiæ ſuæ ſubtractionem, qui ægre fert Julianum adverſus quem diſputat hæc Apoſtoli verba, *tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*, interpretari de mera deſertione; atqui S. Auguſtinus ægre fert Julianum hæc Apoſtoli verba, *tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*, interpretari de mera deſertione, *audis propter hoc & quæris inaniter, quomodo intelligendus ſit tradere Deus, multum laborans, ut oſtendas eum tradere deſerendo*. ergo.

Diſt. min. ægre fert iſtam adduci a Juliano interpretationem, eo quod ad præſentem diſputationem nihil attinebat, C. eo quod non modo deſerendo, ſed etiam impellendo Deus tradit homines in reprobum ſenſum, N. non aliam fuiſſe Auguſtini mentem ex ſola contextus lectione facile perſpicitur, is quippe totus erat ut oſtenderet quædam peccata eſſe pœnas aliorum, in hunc finem adduxit hunc Apoſtoli locum, *propter hoc tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ*. Unde infert unum peccatum ex alio perſæpe oriri, *audis propter hoc*, cur argumento cum reſpondiſſet Julianus Deum non tradere homines niſi deſerendo, ſane ejuſmodi reſponſionem impatienter tulit Auguſtinus, non quod exiſtimaret alio modo homines Deo tradi in paſſiones quam per deſertionem, ſed quia ad propoſitam difficultatem quæ tunc temporis inter eos agitabatur, plane nihil attinebat, ut aperte indicant ipſa verba, *audis propter hoc & quæris inaniter, quomodo intelligendus ſit tradere Deus, multum laborans, ut oſtendas eum tradere deſerendo, ſed quomodolibet tradat, propter hoc tradidit*, non aliam eſſe S. Doctoris mentem percipit nonnemo.

Inſtabis: Juliano traditionem in deſideria eo modo interpretanti, ut deſerendo ſolum a Deo tradantur, eo nomine reſiſtit & obnititur Auguſtinus, quod non modo patientiam, ſed & potentiam poſuerit Apoſtolus, *quaſi non ſimul poſuit hæc duo idem Apoſtolus & patientiam & potentiam*. Unde ſequitur mentem S. Auguſtini fuiſſe, Deum non modo per patientiam, ſed & per potentiam tradere homines in reprobum ſenſum: atqui hoc poſito Deus eſt cauſa ſcelerum non per meram deſertionem, ſed per verum & poſitivum influxum: ergo.

Nego min. tametſi enim Deus non traderet homines in prava deſideria aliter quam per deſertionem, & tamen ejuſmodi traditio ſeu deſertio fiebat a Deo non ſolum per patientiam, ſed & per potentiam, quatenus ſcilicet deſerit Deus gratiam ſubtrahendo in pœnam præcedentis peccati ex certo & juſto judicio volens pro meritis peccatorem punire, quo certe judicio virtutem ſuam oſtendit & potentiam, inquit Apoſtolus: *Quod ſi Deus volens oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum*. Sane ſi hæc duo ſejunxiſſet Auguſtinus, Apoſtolo manifeſte contradixiſſet.

Eſt porro aliud & ſedulo & diligenter obſervandum, Juliano ſcilicet ſolam patientiam ſtatuenti circa excœcatorum & obduratorum peccata, ea potiſſimum ex cauſa reſtitiſſe divum Auguſtinum, quod patientia, cujuſmodi admittebat Julianus, non ſatis erat idonea explicandæ in ſenſu catholico hominum deſertioni; ſiquidem arbitrabatur ille, quod erat Pelagianæ hæreſeos dogma, gratiam ad vitanda peccata minime neceſſariam, unde non ita deſertionem ſeu permiſſionem uſurpabat, ut vellet gratiæ divinæ fieri ſubtractionem, proindeque nec erga obduratos fateri volebat ex certo voluntatis divinæ decreto in pœnam peccatorum fieri ejuſmodi gratiæ ſubductionem. Erat autem ſine dubio pravus iſte patientiæ & divinæ permiſſionis ſenſus ab catholicorum doctrina omnino alienus, qui videlicet duo hæc tanquam certiſſima profitentur, alterum nempe & ad vitanda

peccata indigere quempiam divinæ auxilio gratiæ, alterum vero excœcatos obduratoſque majoribus ejuſdem gratiæ præſidiis agere, qui tamen paucioribus juvantur in pœnam præcedentium delictorum; quo fit ut per meram patientiam ad ſenſum Juliani erga illos habeat ſe Deus, ſed ſuam vere exerceat iram, virtutem & potentiam, gratiam juſte ſubtrahendo, unde illi in nova delabuntur peccata, quorum certe Deus autor haberi non debet, neque enim ea ſuadet, præcipit, ad ea non movet, non impellit.

At vero, inquies, homines in peccata per divinam potentiam compulſos docet ibidem S. Auguſtinus.

Reſpondeo hunc loquendi modum non eſſe S. Auguſtini, hæc verba, ut cuipiam legenti manifeſtum eſt, ſunt Juliani qui adverſario ſuo inde invidiam creare voluit quaſi revera Deum in peccata compellere dixiſſet ſanctus Doctor, quod certe in ejus ſcriptis nuſpiam reperire eſt.

Neque vero argumentum inde peti debet, quod ab illa locutione nequaquam abhorreat Auguſtinus, quam proinde ſuam eſſe hoc pacto confiteatur; quandoquidem Julianum propterea non redarguit velut talia ſibi imponentem. Eſt quippe facilis reſponſio; nempe dicimus noluiſſe Auguſtinum quæſtionem, quam tractabat cum Juliano, an peccata poſſint eſſe aliorum pœnæ, alio divertere; ut non ſemel ibidem declaravit; ait enim Juliano, *quæris inaniter quomodo intelligendus ſit tradere Deus*. Et poſtea, *vides ejus traditionem qualemlibet & quomodolibet intelligas*, hæc enim aperte oſtendunt ſedulo cautum fuiſſe ab Auguſtino, ne illam quæſtionem de modo quo tradit Deus, in reprobum ſenſum tractandam aggrederetur, cum præſertim ſuam de iſto capite doctrinam frequentiſſime expoſuiſſet.

Denique non moror, quod ſimiliter Julianum redarguere videatur, quod hæc verba Jeremiæ, *ego ſeduxi Prophetam illum*, interpretabatur de media deſertione; *an & hic ducturus es, quod ait, ego Dominus ſeduxi Prophetam, illum intelligendum eſſe, deſerui ut pro ejus meritis ſeductus erraret?* Ibi enim ſolam interpretationem de deſertione ad ſenſum Juliani hæretici intellectam rejicit, non eam quæ ſolet a Catholicis admitti; putat nimirum id non eſſe explicandum eo ſenſu quod Deus in ejuſmodi ſeductione mere paſſive & otioſe ſe habuerit, ſuamque potentiam & virtutem non exercuerit, nullum gratiæ ſuæ auxilium ſubtrahendo, ut ſtulte putabat Julianus, ſed non idcirco omnem rejicit interpretationem de quavis deſertione, modo hæc pœnæ & ſupplicii rationem habere dicatur, ut ſatis indicant verba ſequentia, *age ut vis*, inquit, Juliano alloquens, *tamen eo modo punitus eſt pro peccato, ut falſum prophetando peccaret*.

Objicies: idem S. Auguſtinus ſic loquitur lib. de gratia & libero arbitrio cap. 20. *quæ Scriptura divina ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit non ſolum bonas hominum voluntates, quas ipſa facit ex malis & a ſe factas bonas, in actus bonos & in æternam dirigit vitam: verum etiam illas quæ conſervant ſæculi creaturam ita eſſe in Dei poteſtate, ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari*. Et cap. 21. *His & talibus teſtimoniis divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum eſt, ſatis, quantum exiſtimo, manifeſtatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, ſive ad bona pro ſua miſericordia, ſive ad mala pro meritis eorum, judicio utique ſuo aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper autem juſto*. Ex quibus ſic argumentum conficitur, is autor peccati eſt, qui operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates ad mala uti & ad bona: atqui

Digitized by Google

atqui Deus ex S. Auguſtino operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates ad mala uti & ad bona: igitur Deus eſt autor peccati.

Diſt. min. ad inclinandas late & improprie, C. proprie & ſtricte, N. ſcilicet id unum voluit Auguſtinus Deum operari mala uti & bona, quia nempe omnia operatur; non autem operari mala eodem plane modo quo bona; agit enim adverſus eos qui, ut ipſe ait, gratiam Dei vehementer oppugnabant, oſtenditque Deum operari bona in cordibus hominum; quod ut abundantius præſtet, probat etiam in iis Deum operari mala., quanquam non utrumque efficiat eodem & ſimili modo, ſed bona operatur vere & proprie, mala vero nonniſi permiſſive, ut centies inculcat in ſuis ſcriptis. Paulo quidem durius hac in parte locutus videtur, cum vocem illam *inclinandi* uſurpavit, ſed perperam & præter meritum idcirco cenſeretur docuiſſe Deum eſſe autorem peccati, ubique enim profitetur plane diſparem eſſe divinam operationem erga bonas & pravas hominum voluntates, motuſque earum bonos & perverſos; ubique docet Deum bonam voluntatem efficere; affectumque laudabilem infundere, cum ex adverſo malas actiones operetur tantum non impertiendo miſericordiam. Præclarum eſt, præter ea quæ jam a nobis adducta ſunt, quod ſcribit ſanctus Doctor libr. 21. contra Fauſtum cap. 9. ubi quæritur negare *perturbatos homines in uno eodemque opere malo . . . . aliud venire de aſtutia ſuadentis, aliud de nequitia volentis, aliud de juſtitia punientis, cum diabolus ſuggerit, homo conſentit, Deus deſerit.*

Idem vero & ex eodem loco qui objicitur, colligere eſt, nam cap. 20. ſic de Semei loquitur: *Quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere David quis ſapiens & intelliget? Non enim jubendo dixit, ubi obedientia laudaretur, ſed quod ejus voluntatem proprio vitio ſuo malam in hoc peccatum judicio ſuo juſto & occulto inclinavit, ideo dictum eſt, dixit ei Dominus; nam ſi jubenti obtemperaſſet Deo, laudandus potius quam puniendus eſſet.* Ubi de peccato Semei verba faciens Auguſtinus ait Deum in hoc voluntatem ejus inclinaſſe, & tamen negat idem peccatum præcepiſſe *non jubendo dixit*, quin potius totum illud in pravam Semei voluntatem refundit, quo fit ut Deum peccati autorem non reputet ſanctus Doctor, quanquam vocem *inclinandi* nonnunquam uſurpaverit.

Sunt porro alia objectionum genera quæ ex ejusdem S. Auguſtini ſcriptis depromi poſſunt & in hanc noſtram concluſionem urgeri, nolo tamen ea nunc perſequi, his omnibus in ſua quæque loca rejectis, quæ v. g. objiciuntur ex libro de corrept. & grat. cap. 7. ubi legitur Judas a Deo electus ad tradendum Chriſtum, explicantur commodius in tractatu de attributis, ubi de reprobatione. Quod objicitur ex l. 1. operis imperfecti cap. 47. ubi docere videtur Auguſtinus fatalem eſſe in nobis peccandi neceſſitatem, quo fit ut in Deum merito refundatur peccatum, fuſe ſatis, ut puto ac nitide diluimus in tractatu noſtro de actibus humanis, ubi de libertate.

De effectibus peccati.

HIc oriuntur quæſtiones quatuor; prima eſt, utrum & quomodo unum peccatum ſit effectus ſeu pœna alterius peccati. Secunda, an quodlibet peccatum actuale aliquam in anima imprimat maculam. Tertia eſt, an præterito peccati actu maneat reatus, & quid ſit ejuſmodi reatus. Quarta demum, an pœnæ peccatis mortalibus deſtinatæ futurum ſint æternæ.

Utrum

Utrum unum peccatum ſit pœna alterius peccati, & quomodo.

QUæſtio non eſt utrum omne peccatum ſubſequens ſit pœna alterius peccati; neque enim ejuſmodi ſunt omnia & ſingula peccata, ut mereantur per alia puniri: quapropter S. Auguſtinus, qui hujus doctrinæ, qua nimirum dicitur unum peccatum eſſe pœnam alterius, potiſſimus fuit vindex & aſſertor, ſcribere tantum ſolet, *nonnulla peccata*, *quædam peccata* pœnas aliorum eſſe. Unde quæritur ſolum an ex uno peccato præcedente quandoque ſequatur aliud peccatum, quod ſit pœna illius.

Fuit ſane hæc conſtans S. Auguſtini ſententia, quædam peccata eſſe pœnas aliorum, ut in multis locis tradit, præſertim vero in libr. 5. contra Jul. cap. 3. cujus ſenſum mox præcedenti quæſtione diſcuſſimus, idipſum enim dedita opera probat adverſus hunc Pelagianum; *Cum ergo dicitur*, inquit, *homo tradi deſideriis ſuis, inde fit reus, quia deſertus a Deo cedit eis atque conſentit, vincitur, capitur, trahitur, poſſidetur. A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt; & fit ei peccatum conſequens, præcedentis pœna peccati. An non eſt peccatum & pœna peccati, ubi legitur*, &c. Quam doctrinam ſumpſit Magiſter Sententiarum traxitque in Scholam, ubi communis eſt & receptiſſima.

Quærunt vero Theologi quomodo unum peccatum conſequens ſit effectus & pœna alterius præcedentis. Ratio dubitationis eſt, quia ſi quod peccatum infertur a Deo ut pœna peccati, Deus erit cauſa peccati; judex quippe eſt cauſa proprie dicta pœnæ quam infligit in ultionem culpæ. Si dicatur Deus ejuſmodi pœnam non infligere niſi deſerendo, & per meram gratiæ ſubtractionem; quæſtio eſt an iſtud intelligatur de gratia ſufficienti, an de gratia efficaci. Si de gratia ſufficienti, ſequitur inde Deum homini peccanti ſubtrahere gratiam ſufficientem, adeoque auxilium neceſſarium ad vitanda peccata, quod quidem cum divina juſtitia videtur minime conſentire. Si de gratia efficaci, hoc eſt ſi ſubtrahit ſolum Deus auxilium efficax, jam nullum erit diſcrimen inter primum peccatum, & alia quæ poſtea admittuntur; in primo enim peccato intervenit permiſſio & gratiæ efficacis ſubtractio; quiſquis peccat, hoc ipſo caret gratia efficaci: non poteſt igitur explicari quo tandem pacto unum peccatum ſit pœna alterius præcedentis peccati.

Reſpondeo illud peccatum, quod dicimus in excœcatis potiſſimum & obduratis eſſe pœnam alterius præcedentis peccati, eſſe a Deo pœnam infligente, peccatorem puniente, ſed a Deo deſerente, & permittente, non autem impellente; ita ut admiſſi criminis autor haberi non poſſit, ut fuſiſſime docuimus in ſuperiori diſſertatione. Ad quæſtionem vero propoſitam, utrum intelligi hoc debeat a Deo fieri per ſubtractionem gratiæ ſufficientis aut efficacis, ſic reſpondeo. 1. Cum dicimus unum aliquando peccatum pœnam eſſe alterius præcedentis peccati, hoc non intelligitur de omnibus peccatis quæ ab iis committuntur, qui jam aliquo peccato mortali obſtricti ſunt, ſed de quibusdam tantum peccatis, ut jam monuimus initio præſentis articuli; atque id potiſſimum locum habet reſpectu excœcatorum & obduratorum. 2. Dicimus veriſſimum eſſe & extra omnem dubitandi aleam poſitum apud omnes Theologos, ejuſmodi peccatores quando peccant, a Deo deſeri per ſubtractionem gratiæ efficacis; quandoquidem non peccaſſent, ſi ad vitandum hoc peccatum talem habuiſſent gratiam quæ ſuo nunquam caret effectu. 2. Dici poſſet, quod multi propugnant Theologi,

logi; deſertionem ejuſmodi hominum non fieri a Deo niſi per ſubtractionem gratiæ efficacis, qua quidem poſita ſententia ſubtractionem gratiæ efficacis a nuda & ſimpliciter permiſſione diſtingunt, quatenus videlicet ſubtractio gratiæ efficacis, ex qua primum ſequitur peccatum, nullam habet relationem ad aliud peccatum, nec eſt pœna, ſed ſimplex permiſſio; iſta vero ſecunda gratiæ efficacis ſubtractio refertur ad præcedens quoddam peccatum, a quo oritur tanquam pœna, ita ut ſi illud non præceſſiſſet, gratiam ſuam efficacem Deus non ſubtraxiſſet. 4. Denique, & addi poteſt nonnullos eſſe inter excæcatos & induratos homines, quibus non modo ſubducitur a Deo gratia efficax, ſed & ſufficiens in pœnam ſcilicet graviſſimorum ſcelerum quæ antea commiſerunt, ut fuſius a nobis probatum eſt in tractatu de gratia Dei.

An peccatum in anima producat maculam.

MOnet ſapienter Vaſquez in 1. 2. diſput. 129. c. 1. controverſiam hanc majoris eſſe momenti quam prima fronte appareat, quia nimirum ex ea pendet intelligentia ſtatus peccati a quo per juſtificationem purgamur; plurimum autem intereſt recte noſſe, quo pacto homo in peccato manere cenſetur præterito actu peccati, ut ſimiliter innoteſcat quid ſit a peccato purgari & juſtificari.

Nullam in anima per peccatum produci maculam aperte docent Lutherani & Calviniſtæ, qui quidem, ut dixi in tractatu de juſtificatione, affirmare non verentur peccata non eſſe poſita niſi in quadam extrinſeca imputatione qua pœnam pro ipſis deſtinavit Deus; ita ut per pœnitentiam deleri tantummodo cenſeantur, quatenus per divinam occultantur miſericordiam.

Eſt autem firma illa ſtabiliſque omnium Catholicorum doctrina, per peccatum ſaltem mortale aliquam in anima produci maculam, quæ præterito actu peccati in ea remanet. Id vero ex iis primum Scripturæ locis colligitur, in quibus peccata dicuntur ſordes, maculæ, inquinamenta; & inſuper peccatores dicuntur inquinati, ſordidi, immundi; juſtificati autem a peccato abluti, mundati, purgati, ſine macula, Pſal. 50. *Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.* Ezechiel 36. *effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* 1. Joan. 1. *Sanguis Jeſu Chriſti emundat nos ab omni peccato.*

2. Idem colligitur ex modo loquendi apud Patres Tridentinos uſitato, nam Seſſ. 5. can. 2. hominem dicunt per inobedientiam *inquinatum*. Can. 4. infantes per baptiſma mundari, *ut in eis regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt*. Can. 5. anathema pronuntiant dicentibus peccatum per baptiſma *tantum radi aut non imputari*, quod manifeſte ſupponit aliquam eſſe peccati maculam quæ vere tolli debet per baptiſmum.

Difficultas eſt quid ſit ejuſmodi macula quæ remanet in peccatore, & per quam actu peccati præterito aliquis dicitur peccator, donec per pœnitentiam juſtificetur; ſunt autem ſuper ea re nonnullæ Theologorum opiniones.

Docet Scotus in 4. diſt. 14. q. 1. hanc peccati maculam nihil aliud eſſe quam reatum ſeu obligationem ad pœnam, quatenus anima poſt actum peccati commiſſum, manet objectum iræ Dei hominem ad pœnam debitam deſtinantis.

Verum iſta ſententia refellitur; 1. Quia aperte damnata eſt a Pio V. & Greg. XIII. in propoſitionibus 56. & 57. Michaelis Baii; 56. hæc eſt: *in peccato duo ſunt, actus & reatus, tranſeunte autem actu, nihil manet niſi reatus ſive obli-*

obligatio ad pœnam 57. *Unde in ſacramento baptiſmi aut ſacerdotis abſolutione proprie reatus peccati duntaxat tollitur, & miniſterium ſacerdotum ſolum liberat a reatu*. Hinc ſtatuunt illi Pontifices præter reatum pœnæ ſeu obligationem ad pœnam aliquid manere in peccatore, actu peccati præterito, quod certe nihil aliud eſſe poteſt, quam macula ab illo reatu diſtincta, quæ per baptiſmum & ſacerdotis abſolutionem tollitur.

Secundo, quia in eo poſita non eſt macula peccati, quod eſt quid poſterius & ſubſequens maculam peccati: ſed reatus pœnæ eſt aliquid conſequens peccati maculam; quando enim peccatum aliquod committitur, prius intelligitur animam inde maculari, quatenus, ut ait S. Thomas, ejus nitorem diluit, quam pœnis a Deo deſtinatis digna cenſeatur; aliunde vero macula peccati eſt aliquid abſolutum, in anima veluti inhærens; reatus vero pœnæ eſt aliquid relativum, ſeu potius relatio actus mali cum pœna ipſi deſignata; unde quamvis nulla fuiſſet a Deo aſſignata pro peccato pœna, adeoque nullius pœnæ reus eſſet homo; tamen, ex eo quod peccaſſet, manere diceretur in ſtatu peccati pollutus & inquinatus macula: igitur macula peccati confundi non debet cum reatu ſeu obligatione ad pœnam.

Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 18. cap. ult. ſcribit maculam peccati relictam in anima ex actu peccati præterito, quandam eſſe a Deo elongationem, quatenus Deus eſt vita animæ & illius mundities, unde ab eo elongari idem eſt quod maculari & pollui.

Verum nec proprie loquendo dici poteſt maculam peccati poſitam eſſe in ejuſmodi elongatione a Deo; in eo quippe poſita non eſt macula peccati quod melius dicitur cauſa maculæ quam macula ipſa: ſed elongatio ſeu averſio a Deo eſt potius cauſa maculæ per peccatum contractæ, quam macula ipſa; averſio a Deo eſt cauſa efficiens maculæ peccati, non cauſa formalis; ideo enim aliquis maculatus efficitur & inquinatus, qui a Deo & ab ejus lege receſſit, non autem formaliter maculatus per illam elongationem, ſicut corpus nigrum non eſt formaliter nigrum per receſſum ſolis, ſed per ſuam & propriam nigredinem quæ remanet in corpore poſt ſolis receſſum: igitur macula peccati minus proprie dicitur elongatio a Deo.

Eſt alia permultorum opinio qui docent peccati maculam ſitam eſſe formaliter in privatione gratiæ ſanctificantis. Quominus autem & iſta mihi probetur opinio obſtant nonnulla. 1. enim reperiri poteſt pecati macula, ubi non ſit privatio gratiæ ſanctificantis; eſt enim in anima juſti qui peccavit venialiter aliqua macula, ut mox oſtendam, in quo tamen non eſt privatio gratiæ ſanctificantis. 2. Quia ſequeretur nullam per ſecundum peccatum mortale imprimi maculam, quia nempe qui primo mortali peccato peccat, eatenus privatur tota quæ in ipſo erat gratia ſanctificante. 3. Quia & inde fieret inſuper, ut omnes mortaliter peccantes eadem ſpecifice peccati macula forent contaminati; tum vero & omnino æquali macula, quantumvis diverſa & longe inæqualia eſſent eorum peccata, quod certe manifeſte abſurdum nemo non videt.

Alia inſuper extat quorumdam Theologorum ſententia, qui dicunt maculam peccati eſſe ipſam malitiam peccati actualis, quatenus moraliter perſeverat tranſacto phyſice actu peccati; peccatum enim, inquiunt, prout eſt actio & in eo inſtanti in quo fit, retinet nomen peccati actualis; ſi vero prout correſpondet tempori conſequenti, donec per pœnitentiam deleatur, macula peccati nominatur.

Sed meo quidem judicio parum accurate Doctores iſti loquuntur; confundunt enim cauſam maculæ peccati cum ipſa macula; ſcilicet & quando peccatum actua-

actuale committitur, duo hæc diſtingui debent, actio ipſa libera quæ mala eſt, & macula quæ per eandem actionem pro eodem inſtanti imprimitur in anima; deinde præterito actu peccati, iterum hæc duo ſecerni debent, actus ipſe peccati mortaliter perſeverans, & macula per idem peccatum impreſſa, quæ ſimiliter exiſtit in anima, donec per gratiæ divinæ infuſionem expungatur peccatum; actus igitur peccati qui moraliter perſeverare dicitur, non eſt macula ſed cauſa maculæ, macula quippe per peccatum impreſſa phyſice afficit & inficit animam tanquam effectus peccati, non tanquam ipſum formaliter peccatum.

Quamobrem puto maculam peccati eſſe in anima id quo formaliter anima eſt & denominatur maculata, coinquinata per modum qualitatis inhærentis per peccatum productæ: nam in eo poſita eſt peccati macula, quo poſito anima intelligitur maculata, inquinata: ſed poſita ejuſmodi qualitate per peccatum producta quæ animæ inhæreat, anima ſtatim intelligitur maculata, inquinata; quemadmodum poſita albedine in ſubjecto, ſubjectum ſtatim intelligitur album; poſita doctrina in homine, homo ſtatim intelligitur eſſe doctus; ergo macula peccati eſt in anima ejus qui peccavit inſtar cujuſdam qualitatis illam inficientis, maculantis.

Et certe in eo conſiſtit macula peccati, quo ſemel admiſſo recte explicantur ea Scripturæ & Conciliorum teſtimonia, quæ hominem peccato maculatum perhibent, & quo ſublato eadem loca commode explicari non poſſunt: ſed ita res ſe habet, ſi dicatur macula peccati poſita in quadam qualitate animæ inhærente, Scripturæ enim & Concilia quorum teſtimonia quædam mox adduxi, ſic maculam peccati deſcribunt, ut dicant illam non tantum imputari, ſed vere ineſſe animæ, per baptiſmum aut pœnitentiam vere tolli, vere expungi: atqui plane nihil eſt præter ejuſmodi qualitatem inhærentem quod dici poſſit vere ineſſe animæ, & vere tolli in juſtificatione, ut conſtat ex facta eorum enumeratione quæ in præfatis Theologorum opinionibus recenſita ſunt: igitur macula peccati poſita eſt in quadam qualitate per quam anima formaliter maculata eſt & inquinata.

Scio quidem hanc noſtram ſententiam nonnullis diſplicere, qui ejuſmodi qualitates, ut meras ſomniantis quiſquilias reſpuere ſolent. Verum ut dicam quod res eſt, & cum ſana ratione, & cum autoritate quæ plurimum valere debet apud Theologos, conciliari non poteſt vanum hoc pro qualitatibus faſtidium; cum ſana quidem ratione, ſicut enim abſurdum eſt dicere aliquid eſſe album ſine albedine, pulchrum ſine pulchritudine, ita nec quicquam cogitari poteſt maculatum ſine macula, idque locum habet in ſpiritalibus uti & in corporalibus; ſuus eſt enim ſpiritibus decor, adeoque ſua macula. Addo vero illas qualitates non parum in Scripturis, & Conciliorum locutionibus fundatas, ut conſtat ex locis ſuperius adductis; ubi nempe cautum eſt ne peccati natura explicetur per meram imputationem facinoris admiſſi, juſtificatio vero per meram non imputationem.

Quærunt nonnulli an ex peccato veniali macula quædam derivetur in animam.

Reſpond. affirmative, quæcunque enim probant per peccatum mortale imprimi maculam, eadem omnino quandam indicant ex peccato veniali derivatam. Quiſquis peccatum veniale commiſit, aliquo modo dicitur pollutus; tum vero quando juſtificatur, vere dicitur ab eo emundari. Deinde conſtat abſolutione ſacerdotis tolli maculam peccati, & aliunde peccata venialia eſſe materiam ſufficientem abſolutionis ſacerdotalis.

De reatu peccati.

EXiſtere aliquem peccati reatum, hoc eſt peccata actualia tranſire actu & manere reatu conſtat ex Scripturis quæ hanc vocem perſæpe uſurpant, Math. 5. homo dicitur reus judicio, reus gehennæ; quod idem legitur Matth. 26. Marci 3. 1. Corint. 11. Jacobi 2 & in aliis pene infinitis locis. Unde S. Auguſtinus lib. 3. de nupt. & concup. cap. 26. ſic loquitur: *Hoc eſt enim non habere peccatum, reum non eſſe peccati, nam ſi quiſquam v. g. fecerit adulterium, etiam ſi deinceps nunquam faciat, reus eſt adulterii, donec reatus ipſius indulgentia remittatur: habet ergo peccatum, quamvis illud quod admiſit, jam non ſit, quia cum tempore quo factum eſt, præteriit .... Nam ſi a peccando deſiſtere, hoc eſſet non habere peccatum, ſufficeret ut hoc nos moneret Scriptura: Fili, peccaſti, non adjicias iterum; non autem ſufficit, ſed addidit, & de priſtinis deprecare ut tibi remittantur. Manent ergo niſi remittantur, ſed quomodo manent, ſi præterita ſunt, niſi quia præterierunt actu, manent reatu?*

Reatus peccati duplex diſtingui ſolet, culpæ nimirum & pœnæ; reatus culpæ, eſt ea conſtrictio & obligatio culpæ qua quis ſub peccato tenetur, quandiu ipſum facti non pœnitet; reatus vero pœnæ, eſt obligatio quædam pœnæ ſubeundæ pro peccato commiſſo; pœnæ quidem temporalis; ſi peccatum ſit tantum veniale, pœnæ vero æternæ, ſi peccatum ſit mortale, ut ſequenti diſſertatione probaturi ſumus.

Utrum æternæ ſint damnatorum pœnæ.

ÆTernas non fore damnatorum hominum pœnas, ſed aliquo tandem tempore deſituras, olim docuiſſe fertur Origenes; quanquam ab hac eum ſuſpicione purgare conentur nonnulli, e recentioribus. Scribit Petavius lib. 3. de Angelis cap. 6. Origenem hoc in negotio uti & in aliis pleriſque Platoni adhærentem, ut reproborum hominum, ita & dæmonum pœnas æternas negaſſe, cujus rei teſtes appellat complures veterum, qui quidem Origenem ita ſenſiſſe prædicant, ut Theophilum Alexand. Epiſt. 2. Paſchali, S. Athanaſium lib. de communi eſſentia cap. 6. S. Hieronymum in Epiſt. 55. & 61. ad Pammachium, Apolog. 1. adverſus Rufinum, Epiſt. 59. ad Avitum, & 75. adverſus Vigilantium; profert deinde teſtimonium S. Epiphanii in Epiſtola quam ad Joannem Jeroſolymitanum ſcripſit adverſus Origenem, tum libro de hæreſibus hæreſi 64. & in ſynopſi quæ initio tomi 1. lib. 2. poſita eſt. S. Auguſtini lib. de hæreſibus hæreſ. 47. & lib. 21. de civitate Dei cap. 17. quintæ ſynodi generalis in anathematiſmis, Photii cod. 117. Gennadii lib. de dogmatibus cap. 8. & tandem S. Joannis Damaſceni lib. 2. cap. 1.

Dehinc ut eandem opinionem adhuc certius afferat Origeni, hoc argumentum petit ex ipſius ſcriptis, ex hom. 8. in Joſue, ex homil. 9. de diverſis, ex homil. 23. in Lucam, ex tom. 1. & 19. in Joan. & lib. 6. contra Celſum; præſertim vero ex l. 1. periarchon c. 6. ubi nempe & dæmones reprobos homines poſt varia ſupplicia tandem liberandos non ſemel pronuntiat.

De Origene idem ſentit illuſtriſſimus Huetius, ut colligitur ex lib. 2. Origenianorum quæſtione undecima, idque adeo certum eſſe arbitratur ut affirmare non dubitet hominis eſſe intemperantis, neque ſatis tempori parcentis ſuo varia ſuper illo negotio Origenis teſtimonia congerere, *adeo multus eſt*, inquit, *in hoc dogmate prodendo & odioſus Adamantius*. Hujus tamen illuſtriora quædam fidei cauſa profert, nimirum ex homil. 7. in Leviticum, ex homil 6. in Num. ex homil. 4. in Ezechielem.

Ex

Ex tom. 11. tomo 15. & tract. 33. in Matth. ex lib. 8. contra Celſum, *&c.* conjicit ſimiliter Huetius Origeni cauſam erroris fuiſſe, aſſiduam Platonis lectionem, qui in Phædone Socratem inducit ita differentem, hominum qui ſeſe terrenis cupiditatibus dediderint, animas circa ſepulchra vagantes pendere pœnas, quoad rurſus corporibus alligentur.

Quapropter vix mentem intelligo nonnullorum, qui Origenem, quoniam in quibuſdam aliis locis de pœnis damnatorum rectius ſenſiſſe videtur, ab omni erroris ſuſpicione tam anxie tamque ſollicite vindicare laborant. Quæ ad majorem hujus criticæ intelligentiam neceſſaria ſunt, conſuli facile poſſunt apud Petavium & Huetium mox citatos, hæc enim longiori oratione perſequi non eſt præſentis inſtituti.

His porro longe pejora noſtris fere temporibus tradiderunt Sociniani; in eo conſentiunt omnes, quod neminem ex impiiſſimis hominibus putent ſempiternis puniendum ſuppliciis, ſed eo inſipientiæ ex illa ſecta venerunt nonnulli, ut & animarum immortalitatem, & corporum reſurrectionem e medio tollerent, ut certius inde atque facilius ſuam aſſererent doctrinam; ita Smalcius diſput. de baptiſ. *Solos pios in æternum victuros*, inquit, *nonne petitum eſt e penetralibus ſanctarum litterarum, quæ ſolos vitæ promiſſione ſolantur fideles? jam ſi quis hinc colligat impios in æternum non victuros id non noſtræ ſententiæ, ſed ſanctis litteris potius aſcribendum eſſet?* **Cum** *porro de interitu vel judicio dæmonum legitur, nonne dolendos eos eſſe hinc jure colligi poteſt? jam quomodo hoc futurum ſit, in eo, unicuique, noſtro quidem judicio licet ſenſu ſuo abundare, idque idem etiam de cruciatibus dæmonum & impiorum eſt ſtatuendum.* Sic vero & idem legitur in actis manuſcriptis Colloquii Racovienſis: *Animadvertendum eſt Chriſtum & Apoſtolos quodam modo coactos fuiſſe hominum opinionibus, quæ tunc plerumque vigebant, ſe accommodare: quemadmodum ſatis aperte docet parabola divitis & Lazari; nam aliquem in inferno fuiſſe & ibi torqueri, aut in ſinu Abrahæ decumbere, ſunt plane fictitia, & ſimilia illis, quæ Poetæ de Ixione, Siſypho, Tantalo ſcribunt; hac etiam prudentia hodie apud vulgus Chriſtianorum, in hac materia, utendum eſt illis, qui gloriæ Dei conſultum cupiunt.* Hæc illi plus ſatis impie, & quæ ſine horrore maximo hic referre non poſſum; ſatius eſt hanc ineptam & plane abnormem doctrinam impugnare, quod modo qua poterimus diligentia præſtabimus.

CONCLUSIO.

Æternæ ſunt damnatorum pœnæ.

Probatur primo ex Scripturis ſacris, ex utroque nimirum Teſtamento, veteri & novo.

Ex veteri quidem, Sapientiæ 4. cap. ubi de impiis ſermo habetur, *videbunt enim finem ſapientis*, inquit auctor ſacer, *& non intelligent quid cogitaverit de illo Deus & quare munierit illum Dominus. Videbunt & contemnent eum, illos autem Dominus irridebit; & erunt poſt hæc decidentes ſine honore & in contumelia inter mortuos in perpetuum.*

Iſayas cap. 5. Verſ. 14. *Propterea dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino.* Verſ. 25. *Ideo iratus eſt furor Domini in populum ſuum & extendit manum ſuam ſuper eum ... in his omnibus non eſt averſus furor ejus, ſed adhuc manus ejus extenta.* Cap. 33. *Conterriti ſunt in Sion peccatores, poſſedit tremor hypocritas, quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Cap. 34. *quia dies ultionis Domini, annus retributionum judicii Sion. Et convertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in ſulphur, & erit terra ejus in picem ardentem. Nocte & die*

non extinguetur. Et demum ultimo totius Prophetiæ verſiculo, *& egredientur & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati ſunt in me, vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*.

Idem vero præcinebat Daniel c. 12. *In tempore illo*, inquit, *conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui, & veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes eſſe cœperunt uſque ad tempus illud. Et in tempore illo ſalvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit ſcriptus in libro. Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium ut videant ſemper*. Quam certe doctrinam ſatis frequenter legimus reſperſam apud alios Prophetas, tum in libris Machabæorum.

Deinde vero & idem conficitur ex novo Teſtamento, ubi nihil pene uſitatius quam æterna fore damnatorum ſupplicia. Inſigne eſt quod legitur Mat. 25. *diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus*. Quæ verba de malis quidem Angelis intelligenda ſunt, ſed de hominibus reprobis aperta mox ſententia ſequitur, de illis enim ſubjungit Chriſtus Dominus, *& ibunt hi in ſupplicium æternum, iſti autem in vitam æternam*. Ubi nempe eodem ſenſu debet ſupplicium intelligi æternum pro reprobis, quo vita dicitur æterna pro electis, ſed vita beatorum hic dicitur æterna eo ſenſu quod nunquam deſitura ſit, vel ipſis fatentibus Origeniani commenti defenſoribus, id enim negare auſi ſunt ſoli Sociniani, qui quidem & animarum immortalitatem & corporum reſurrectionem e medio ſuſtulerunt; ſupplicium itaque damnatorum erit proprie loquendo ſempiternum. Dixerat idem Evangeliſta cap. 3. *& congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*.

Idem legitur Marc. 3. cap. ubi Chriſtus de peccato irremiſſibili quodcunque tandem illud ſit, verba faciens ſic habet, *qui autem blaſphemaverit in Spiritum ſanctum, non habet remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti*. Item Apoſtolus 2. ad Theſſalon. c. 1. *qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti, pœnas dabunt in interitu æternas*. In Epiſtola Judæ Apoſtoli Verſ. 13. de quibuſdam peccatoribus hæc leguntur, *quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum*.

Neque eſt quod dicatur, *æternum*, in Scripturis ſumi plerumque pro diuturno, cujus plane innumera proferrentur exempla. Levitici 25. cap. *poſſidebitis in æternum*. Pſal. 5. *in æternum exultabunt*. Quo fit ut ex præfatis teſtimoniis certo colligi non poſſit pœnarum æternitas ſtricte ſumpta. Hæc quippe difficultas ſtatim evaneſcit, ſi modo diligenter attendatur eandem reproborum hominum damnationem, quæ in locis adductis nuncupatur *æterna*, ſic in aliis deſignari, iiſque titulis & nominibus inſignitam, ut citra ullam dubitationem cenſeri debeat ſempiterna & nunquam deſitura; quod enim v. g. dixerat S. Mathæus loco citato, *ibunt hi in ſupplicium æternum*, Marcus his concipit verbis cap. 9. *bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem*. Dixerat & ipſe cap. 3. *comburet igni inextinguibili*. Tum vero & Iſayas cap. ultimo, *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Quæ quidem locutiones ſane durationem exhibent non longam qualitercunque, non diuturnam, ſed æternam ſtricte loquendo, hoc eſt nullo circunſcriptam fine, nullo termino.

Favent & alia Scripturarum teſtimonia quæ ſimiliter præfata interpretatione emolliri non poſſunt: Apocalypſeos cap. 14. *fumus tormentorum aſcendet in ſæcula ſæculorum*. Et cap. 20. *beſtia & Pſeudo-Propheta in ſtagno ignis & ſulphu-*

Digitized by Google

pluris cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum. Quibus manifeſte ſignificatur ſuppliciorum perditis hominibus deſtinatorum perennitas.

Quo pertinent etiam ea divi Pauli teſtimonia, in quibus peccatores docet nunquam regnum Dei poſſeſſuros, 1. Corint.6. *an neſcitis quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles &c. regnum Dei poſſidebunt*. Ad Epheſios cap. 5. *ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt Idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei*. Sed ſi, ut aiebat Origenes, futurum eſt aliquando, ut peccatores poſt quaſdam temporarias & piaculares pœnas ab omni criminis macula expurgentur, falſum erit quod ait Apoſtolus, illos regnum Dei nunquam adepturos, iis enim paratum eſt qui ab omni inquinamento puri erunt & immunes.

Probatur 2. ex SS. Patribus, quorum certe una eſt ſuper hoc negotio conſtans firmaque omnium doctrina.

S. Juſtinus hæc ſcribit Apol. 2. pag. 87. *Cum omnium etiam, qui unquam extitere mortalium corpora excitabit, atque dignos quidem indues natura corruptibilitatis univerſa experte, injuſtos autem in perpetuo ſenſu una cum malis geniis in ignem mittet ſempiternum*. Paulo antea dixerat pag. 71. *Apud nos archidux & princeps malorum dæmonum ſerpens vocatur & ſatanas & diabolus; ſicuti ex ſcriptis noſtris ſi inquiratis, cognoſcere poteſtis; quem una cum militia & hominibus eum ſequentibus in ignem miſſum & per ſæculum infinitum excruciatum iri præmonſtravit Chriſtus*. Quæ quidem verba expreſſiſſima ſunt ad probandam pœnarum æternitatem. Nec moror quod immediate ſubjungat Juſtinus, *porro quod nondum hoc factum ſit a Deo propter hominum genus, cui mora hæc datur, id accidit; prævidet namque quoſdam ex pœnitentia ſalutem conſequuturos, quoſdam etiam qui fortaſſis necdum nati ſunt*. Quibus docet non ante judicii diem extremum æterno igne cruciandos dæmones, ut enim ait doctiſſimus Petavius lib. 3. de Angelis cap. 4. ea fuit omnium fere antiquorum ſententia; quod ſane huic noſtro catholico dogmati neutiquam nocet.

Theophilus ad Autolycum lib. 1. in fine. *Confirmatus*, inquit, *ex iis quæ prædicta ſunt a Prophetis & contingere non amplius hæſito, ſed Deo fidem habeo, lubenti animo ei obtemperans, cui te adhortor quoque obedias, ne ſi nunc incredulus es, aliquando cogaris, magno tuo malo ſubditus ſempiternis pœnis. Harum pœnarum mentionem fecere & profani veſtri Scriptores, Philoſophi, & Poetæ ... & ut ad pauca redeam, ignis infernalis hos perpetuo cruciabit*.

S. Irenæus lib. 4. adverſ. hæreſ. cap. 47. non minus aperte loquitur: *Sic & pœnas eorum qui non credunt verbo Dei & contemnunt ejus adventum, & convertuntur retrorſum, adampliata eſt, non ſolum temporalis, ſed æterna facta. Quibuſcunque enim dixerit Dominus, Diſcedite a me maledicti in ignem perpetuum, iſti erunt ſemper damnati; & quibuſcunque dixerit, Venite benedicti Patris mei, percipite hæreditatem regni, &c.*

Tertullianus Apologetici c. 45. *Enimvero nos qui ſub Deo omnium ſpeculatore diſpungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, merito ſoli innocentiæ occurrimus, & pro ſcientiæ plenitudine & pro latebrarum difficultate, & pro magnitudine cruciatus non diuturni, verum ſempiterni, eum timentes, quem timere debebit & ipſe qui timentes judicat*. Et lib. de teſtimonio animæ cap. 4. animam ait *pro meritis aut cruciatui deſtinari aut refrigerio, utroque ſempiterno*.

Item S. Cyprianus lib. de mortalitate ad Demetrianum in fine. *Quando iſthinc*, inquit, *exceſſum fuerit, nullus*

jam

Digitized by Google

jam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus, hoc vita aut amittitur, aut tenetur.

Et Minutius Felix qui elegantiſſime idem ſcribit. *Admonentur homines*, inquit, *doctiſſimorum libris & carminibus Poetarum illius ignei fluminis & de ſtygia palude ſæpius ambientis ardoris, quæ cruciatibus æternis præparata, & dæmonum indiciis & de oraculis Prophetarum cognita tradiderunt..... Nec tormentis aut modus ullus aut terminus.*

Lactantius lib. 7. cap. 5. *Qui noluerit bene vivere ad tempus, male vivet in æternum, damnabitur enim ſententia Dei ad æternam pœnam, quia cœleſtibus bonis terrena propoſuit.* Et cap. 26. *Eodem tempore fiet ſecunda illa & publica omnium reſurrectio, in qua excitabuntur injuſti ad cruciatus ſempiternos; ii ſunt qui manufacta coluerunt, qui Dominum mundi ac parentem vel neſcierunt vel abnegaverunt. Sed & dominus illorum cum miniſtris ſuis comprehendetur ad pœnamque damnabitur, cum quo pariter omnis turba impiorum pro ſuis facinoribus in conſpectu Angelorum atque juſtorum perpetuo igni cremabitur in æternum.*

S. Hilarius idem declarat can. 27. in Mathæum loquens de illo ſervo qui per abſentiam heri inſolenter in domo ſe gerit. *Præſentium tantum*, inquit, *curam in cultu ventris exercens, deſperata die Dominus adveniet, eumque a bonis quæ ſpoponderat, dividet, portionemque ejus cum hypocritis in pœna perennitate conſtituet, quia mandatis non obtemperaverit, quia præſentibus ſtuduerit, quia vita gentium vixerit.*

Tum vero Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus in parænesi ad pœnitentiam prope finem: *Properat jam tempus extremum, tartarus & gehenna laxatos impiis ſinus pandunt, poſt animarum tempeſtiva ſupplicia, redivivis quoque perpetua corporibus pœna ſervatur ..., mementote, fratres, quia apud inferos exomologeſis non eſt, nec pœnitentia tunc tribui poterit conſumpto tempore pœnitendi.*

Et Julius Firmicus lib. de errore profanarum religionum cap. 19. *Tunc tu*, inquit, *per interjecta flammarum ſpatia ad mitigandæ conſcientiæ tuæ vulnera, tenuem ab eo ſtillantis aquæ guttulam poſtulabis, nec tibi volens Lazarus lenimentum doloris tui aut dare poterit aut impetrare, ſingulorum enim pari gratia merita penſantur, illi vita confertur, propter hujus ſæculi mala, tibi propter hujus ſæculi bona perpetua tormentorum pœna decernitur.*

Item S. Chryſoſtomus homil. 9. in 1. ad Corint. *Non eſt hæc parva*, inquit, *quæ proponitur, quæſtio, ſed & de maxime neceſſariis & quæ quærunt omnes homines, an finem habeat ignis gehennæ? Nam quod non habeat quidem Chriſtus pronuntiavit dicens, Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non deſinet. Et ſcio quidem vos hæc audientes torpeſcere.... atque quod non habeat quidem finem & Chriſtus pronuntiavit, & Paulus quoque id dicit oſtendens immortale ſupplicium, & quod peccatores dabunt pœnas exitioſas & æternas.* Et rurſus homil. 13. *Multum intereſt hic afflictare & tibi. Nam hic quidem ad breve afflictaris tempus: potius autem ne ſenſum quidem afflictionis capis, exploratum habens, afflictari te, ut bene tibi ſit. Ibi vero longe durior afflictatio; nulla enim ſpe recreatur, neque exitum invenit, ſed infinita ac perpetua eſt.*

Quin & idem dogma conſtantiſſime docuerunt S. Baſilius, ambo Gregorii Nyſſenus & Nazianzenus, quemadmodum & Latini Patres Ambroſius & Hieronymus, ut patebit ex illorum omnium teſtimoniis, quæ mox allaturi ſumus, cum eorum doctrinam ſingillatim expendemus.

Atque ut inchoatam de pœnarum æternitate traditionem proſequamur, S. Auguſtini autoritatem merito proferimus; is quippe non uno in loco docet

eos

eos & Scripturis & fidei Eccleſiaſticæ adverſari, qui vel dæmonibus vel hominibus damnatis ſalutem pollicentur, eoſque morti non addicunt ſempiternæ æternisque cruciatibus, lib. 21. de civit. Dei cap. 9. *Quod igitur*, inquit, *de ſempiterno ſupplicio damnatorum per ſuum Prophetam Deus dixit, fiet, omnino fiet (vermis eorum non morietur & ignis eorum non extinguetur,) ad hoc enim vehementius commendandum, etiam Dominus Jeſu cum membra quæ hominem ſcandaliſant pro his hominibus, &c.* Ubi citatis ex Iſaya multis locis contendit ignem illum ut & vermem non ad animi, ſed ad corporis pœnas pertinere; rem eandem conficit cap. 13. ubi nempe in eorum opinionem inſurgit qui ſupplicia putant poſt mortem adhiberi purgationis cauſa, ſolaſque piaculares pœnas admittunt, conſulantur quæ ſcribit ibidem cap. 17. 18. 23. & 24. tum vero Epiſt. 102. quæſt. 4. & lib. 32. contra Fauſtum cap. 4. & demum quæ ſcribit lib. de hæreſibus, hæreſi 43. ubi Origeniſtarum deſcribit hæreſim, quam vocat hac in materia vaniſſimam impietatem propter quam dicit Origenem ab Eccleſia merito redargui.

Aſtipulatur Fulgentius lib. 2. de remiſſione peccatorum cap. 13. *Permanebit enim*, inquit, *cruciamentorum perennis ſenſus in mortuis, ubi miſeris mori non conceditur in pœnis. Ibi mors miſerorum talis erit, quæ non animam de corpore dolentis excludat, ſed in dolenti corpore ad hoc jugiter teneat, ut animam ſimul & corpus æternitate doloris affligat. Ac per hoc ſemper cum corpore ſuo morietur anima, cum quo ſine cogetur æterna communicare tormenta.* Quod idem docet cap. 15. 17. & 21. tum vero lib. de fide ad Petrum cap. 43. his verbis: *Firmiſſime tene & nullatenus dubites.... quando per judicium juſtum ſegregabit juſtos ab injuſtis, bonos a malis, rectos a perverſis, bonos conſtituet a dextris, malos a ſiniſtris, & ex ejus ore juſti æternique judicii ſempiterna atque incommutabili prolata ſententia iniqui omnes ibunt in combuſtionem æternam, juſti autem in vitam æternam. Iniqui ſemper arſuri cum diabolo,*

Sic & autor operis de vita contemplativa lib 1. cap. 3. *Ut jam*, inquit, *nec remunerati præmium finiant, nec damnati ſupplicium: quandoquidem propterea incorruptio & immortalitas dabitur etiam corporibus miſerorum, ut nec ipſi æternam pœnam finiant, nec ipſos conſumat immortalis pœna, ſed puniat.*

Leo Magnus idem teſtatur ſermone 4. de Collectis, cap. 3. ubi nempe judicii extremi formam deſcribens ſic loquitur: *Separabuntur ab injuſtis juſti, a nocentibus innocentes, & cum præparatum ſibi regnum recenſitis miſericordiæ operibus filii pietatis acceperint, exprobrabitur duritia ſterilitatis injuſtis, & nihil habentes ſiniſtri commune cum dextris, in ignem ad diaboli & angelorum ejus tormenta diſpoſitum, omnipotentis judicis damnatione mittentur cum illo habituri pœnæ communionem, cujus elegerunt facere voluntatem. Quis igitur iſtam ſortem æternorum cruciatuum non paveſcat? Quis mala nunquam finienda non timeat?*

Inſuper proferri poteſt autoritas Synodi V. generalis, ex cujus actis referente Nicephoro Calliſto lib. 17. c. 27. & 28. patet damnatum fuiſſe Origenem quod diceret, *omnium impiorum hominum, ipſorumque etiam dæmonum tormenta finem habitura: atque impios & dæmones in priorem ſuum ſtatum reſtitutum iri. Præterea Chriſtum oportere pro dæmonibus crucifigi, & ipſum ſæpius per futura ſæcula perpeti a ſpiritibus nequitiæ qui ſunt in cœleſtibus.* Niephoro hac in parte conſentiunt Photius in libello de Synodis, & anonymus quidam autor libri de Concil. œcumenicis. Tum vero inter anathematiſmos Juſtiniani Epiſtolæ ad Menam ſubnexos, poſtremus iſte eſt. *Si quis dicit aut ſentit temporariam eſſe dæmonum vel impiorum hominum punitionem, finemque*

que aliquo tempore hanc habituram, nimirum reſtitutionem futuram dæmonum vel impiorum hominum, anathema ſit.

Ejuſdem vero ſententiæ catholicæ teſtes alios quamplures appellat doctiſſimus Huetius loco jam citato, ſcilicet Gregorium M. qui lib. 34. Moralium cap. 19. & lib. 3. Expoſit. in 1. Reg. cap. 2. hoc Origeniſtarum de pœnarum fine commentum redarguit. Maximum qui ſcholiis ad Dionyſii librum de Cœleſti Hierarchia cap. 6. Theophanem Ceramicum homil. 2. Bedam lib. 1. Expoſitionis in Proverbia, Stephanum Gobarum apud Photium cap. 232. Nicetam lib. 4. Theſauri orthod. fidei hær. 31. Gennadium lib. de dogmat. cap. 9. Leontium, Joannem Climacum, Sophronium, Theophilactum, Freculphum Lexovienſem, Anathaſium Bibliothecarium, Cedrenum, Zonaram, Glycam &c. qui quidem omnes & ſinguli præfatam Origenis doctrinam velut hæreticam inſectantur.

Quibus inſtar coronidis adjungemus autoritatem Concilii Lateranenſis IV. cap. *Firmiter*, ubi legitur reprobos cum diabolo in pœnam æternam ituros, tum vero & Concilii Tridentini quod pœnas damnatorum appellat æternas ſeſſ. 6. can. 25. & ſeſſ. 14. can. 5.

Probatur denique nonnullis rationibus.

Prima eſt, quia ſtatus hominis poſt mortem eſt plane immutabilis, Eccleſiaſt. 11. cap. *lignum ubicunque ceciderit, illic erit*. Homo quippe per mortem conſtituitur in termino, jam non manet in via: vel igitur, qui decedent peccatis mortalibus obſtricti, æterna beatitudine donabuntur; vel æternis cruciabuntur ſuppliciis: atqui dici non poteſt, eos æterna beatitudine donatum iri, qui decedent peccatis mortalibus obſtricti; nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cœlorum: erunt igitur ſempiternæ hominum damnatorum pœnæ.

Secunda eſt, quia non licet orare pro damnatis, nec pro iis ſacrificium offerre, ut docet S. Auguſtinus lib. 21. de civit. Dei cap. 24. his verbis: *Si de aliquibus Eccleſia ita certa eſſet ut qui ſunt illi, etiam noſſet, qui licet adhuc in hac vita ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipſo*. Atqui pro damnatis orare liceret, ſi damnatio eorum finem eſſet aliquando habitura; quemadmodum pro illis orare licet qui in purgatorio detenti nonniſi piaculares & temporarias patiuntur pœnas, ad hunc ſcilicet finem ut Dei placari poſſit iracundia, eorumque ſupplicii terminus acceleretur: igitur ſempiternas fore damnatorum pœnas docet perpetua & conſtans Eccleſiæ praxis.

Tertia ratio eſt, quia ut damnati ſint vere miſeri, eo ſcilicet miſeriarum genere quod paſſim in divinis litteris deſcribitur, quo nempe in deſperationem adducti exclamant, *montes cadite ſuper nos*, certi eſſe debent ſuam æternum duraturam eſſe damnationem; ſi enim ſperarent futurum ut aliquando finem eſſet habitura, dubio procul ſpes illa non parum eos ſublevaret reficeretque: quemadmodum juſti non forent perfecte beati niſi, cum Deum poſſident bonorum omnium fontem, certa illius nunquam amittendi ſecuritate fruerentur.

Quarta eſt, quia eadem & par eſſe non debet impiorum & juſtorum conditio, quod quidem non modo paſſim declarant ſacræ Paginæ, ſed & ipſius proprium conſcientiæ teſtimonium rectaque ratio: unde Sociniani ut pœnarum æternitatem tollerent vel ipſa reclamante conſcientia, maluerunt audacter negare & animarum immortalitatem, & corporum reſurrectionem: ſed æqualis foret juſti & impii conditio ſaltem poſt aliquot annos, ſi poſt quaſdam piaculares pœnas ab omni inquinamento tandem purgarentur impii homines: conſtat igitur perpetuam fore & nunquam deſituram eorum damnationem.

Omit-

Digitized by Google

Omitto aliam rationem qua plerumque uti ſolent hac in occaſione plurimi Theologi, qui idcirco æternam dicunt impiorum damnationem, quod peccatum mortale infinitum eſt, cui proinde reſpondere debet, inquiunt, pœna infinita, adeoque æterna. Sed ejuſmodi ratio mihi non probatur, tum quia minus accurate dicitur, peccatum eſſe infinitum, ut ſuperius a nobis oſtenſum eſt; tum quia ſequeretur in illorum principiis peccatum veniale puniri ſimiliter pœna æterna, volunt enim peccatum veniale, quantumvis leviſſimum, eſſe infinitum.

Solvuntur objectiones.

Objicies nonnulla Pſalmiſtæ verba, quæ ita multum Dei miſericordiam prædicant, ut nemo æternum puniendus ſit. Pſalm. 76. *nunquid in æternum projiciet Deus?* Pſal. 102. *Dominus miſericors non in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur*. Ergo pœnæ hominum non erunt ſempiternæ.

Nego conſequentiam; neque enim hæc & ſimilia Scripturæ teſtimonia promiſcue ſingulis hominibus applicari debent, quaſi impiis & in impietate defunctis placabilem aliquando ſe exhibeat Deus; plane enim liquet ex iiſdem Scripturis eos pœnas ſubituros, tametſi multa ſit & infinita Dei clementia: id unum itaque ex præfatis teſtimoniis colligere eſt, ibi Pſalmiſtam multis commendare Dei miſericordiam qui benignus eſt & promptus ad parcendum, cujus clementia major ira & judicio, cito remittens pœnam iis nempe hominibus qui ſinceram agunt pœnitentiam, non autem obduratis & impœnitentibus, quorum ſcelera non remittentur neque in hoc neque in futuro ſæculo. Hæc porro Pſalmiſtæ verba ad pios duntaxat & in hac mortali vita degentes pertinere, aperte confirmatur verſiculo ſequenti in Pſal. 102. *non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis*. Ubi experientia probat Deum eſſe benignum & placabilem erga homines, qui nimirum miſericordiam ejus provocant, *quoniam ſecundum altitudinem cœli a terra corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe*. Qui vero hæc aliaque ſimilia cum pœnarum æternitate cohærere non poſſint, plane non video.

Objicies hæc alia Pſalmiſtæ verba, nimirum Pſalm. 15. *quoniam non derelinques animam meam in inferno*. Pſalmus 48. *veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi*. Pſalm. 85. *eruiſti animam meam ex inferno inferiori*. Quæ quidem oſtendunt animas damnatorum in inferno æternum minime manſuras.

Reſpondeo hujuſmodi teſtimoniis id unum ſignificare Davidem, aut ſperare ſe per ſinceram cordis compunctionem & pœnitentiam æternos inferni dolores devitaturum, ut in Pſalm. 15. & 48. manifeſte perſpici poteſt; aut Deo gratias agere maximas, quod ab illis inferni pœnis liberatus videatur, ut aperte liquet e Pſalmo 85. ſic enim loquitur, *glorificabo nomen tuum in æternum, quia miſericordia tua magna eſt ſuper me*. Quibus adde priorem locum e Pſalm. 15. petitum, Chriſti reſurrectioni applicatum fuiſſe a S. Petro Actor. 2. cap. in quem pariter ſenſum alia poſteriora duo exponunt multi interpretes.

Objicies hæc Pſalmi 139. *cadent ſuper eos carbones, in ignem dejicies eos, in miſeriis non ſubſiſtent*. Qui quidem Propheticus ſermo de hominibus damnatis, aperte ſignificat eorum miſerias tandem aliquando deſituras, *in miſeriis non ſubſiſtent*. Ergo pœnæ damnatorum non erunt æternæ.

Reſpondeo hanc imprecationem, ſi tamen vim habet vaticinii, eſtque triſtis

Digitized by Google

ſtis comminatio pœnarum æternarum adverſus impios a Davide pronunciata, non modo pœnarum æternitati quidquam non adverſari, ſed illam potius manifeſte aſtruere; loco enim verborum iſtorum *in miſeriis non ſubſiſtent*, conſentanee ad textum hebraicum a multis poſt ſanctum Hieronymum redditur, *unde nunquam emergent*, *ut non conſurgant*, quæ quidem verſio hocce noſtrum de pœnarum æternitate catholicum dogma aperte confirmat. Hic porro Pſalmi verſiculus orationem litteraliter complectitur, qua David pœnam & exitum ſuis imprecatur hoſtibus. Cæterum in hanc de pœnis æternis partem Catholicam totum iviſſe Regium Pſalmiſtam ſatis oſtendunt præclara hæc verba Pſal. 48. *introibit uſque in progenies patrum ſuorum, & uſque in æternum non videbit lumen*. Tum & ipſius Pſal. 139. *cadent ſuper eos carbones, in ignem dejicies eos, in miſeriis non ſubſiſtent*, præfato nimirum ſenſu, qui verus eſt & genuinus, intellecta.

Objicies: Iſaiæ 24. de impiis hæc leguntur, *congregabuntur in locum & claudentur ibi in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur*. Atqui Deo viſitante liberabuntur: ergo ex Iſaia Propheta pœnæ impiorum non erunt ſempiternæ.

Nego min. ejuſmodi enim viſitatio ſumitur in malam partem, eo ſcilicet ſenſu quod perpetuo donabuntur ſupplicio, viſitare enim plerumque idem ſignificat in ſcripturis ac punire, percutere, apud eundem Prophetam v. gr. c. 6. *viſitaſti & contrivisti eos*. Cap. 29. *viſitabitur in tonitruo*. Cum præſertim tormentorum perennitatem omnium diſertiſſime aſtruat Iſaias, ut ſupra oſtendimus, hoc nimirum teſtimonio, *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*.

Objicies: Marci 12 cap. de Phariſæis ait Chriſtus, *accipient prolixius judicium*. Ergo judicium aliorum non eſt æternum, hoc eſt damnatio non eſt æterna.

Nego conſ. prolixius enim dicitur judicium eo ſenſu quod ſit durius, gravius, duplo majus; quatenus nempe bis peccabant Phariſæi, inquit Maldonatus, & dum viduarum facultates conſumebant, & dum id ſanctitatis ratione faciebant; unde quod *prolixius* dicit S. Marcus, *amplius* ſcribit S. Matthæus cap. 23. *propter hoc amplius accipietis judicium*.

Neque vero audiendi ſunt Sociniani, cum impie non minus quam inſcite dicunt inculcari paſſim in Scripturis, peccatores in æternum non victuros, ſed penitus delendos; adeoque mere Parabolicum eſſe, Poetarumque Gentilium fabulas redolere, quæ de igne ſempiterno cæteriſque animarum tormentis leguntur. Namque haud ſcio an fuerit unquam opinandi laſcivia major; quatenus videlicet reclamantibus tot ac tam expreſſis Scripturarum locis non modo pœnarum æternitatem, ſed & animarum immortalitatem ſimul & corporum reſurrectionem è medio tollunt impiiſſimi illi homines.

Quod autem objiciunt in ſacris Litteris frequenter inculcari impios in æternum non victuros, plane nullius momenti eſt, norunt enim omnes tormenta & cruciatus non ſemel nomine mortis & perditionis inſigniri, idque non ſolum pro futuro ſæculo in quo vocantur mors ſecunda & interitus: Apocalypſeos cap. 20. *beatus & ſanctus qui habet partem in reſurrectione prima, in his ſecunda mors non habet poteſtatem*, 1. Timoth. 6. *nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva quæ mergunt homines in interitum & perditionem*. Sed etiam pro eo in quo degimus ſæculo, ut ex teſtimoniis ejuſdem Scripturæ prope infinitis demonſtrari poteſt, Exodi cap. 10.

ait

ait Pharao, *rogate Dominum Deum veſtrum, ut auferat a me mortem iſtam*, Locuſtas intelligens. *Quotidie morior*, inquit S. Paulus 1. Corinth. 15. de ſuis afflictionibus differens. *Qui adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam*. Proverb. 6. cap. aliis hujuſmodi referendis ſuperſedeo, ne ſcilicet operam in re minime neceſſaria videar collocaſſe.

Objicit vero vir clariſſimus Huetius lib. 2. Origenianorum quæſtione undecima §. 25. nonnullos e veteribus ſenſiſſe pœnas damnatorum per mortem animarum eſſe finiendas.

Profert primo loco hæc S. Juſtini verba in dialogo cum Tryphone pag. 223. *Verum enimvero non mori univerſas animas affirmo, lucroſum namque hoc eſſet revera malis, quid igitur, piæ quidem in loco quopiam meliore manent, injuſtæ vero & pravæ in deteriore judicii tempus expectantes. Hoc namque modo quæ dignæ ſunt ut coram Deo appareant, non moriuntur amplius, illæ autem excruciantur, quoad eas & eſſe & excruciari vult Deus.*

Profert ſecundo loco hæc S. Irenæi lib. 2. cap. 64. *Sic & de animabus & de ſpiritibus & omnino de omnibus his quæ facta ſunt cogitans, quis minime peccavit, quando omnia quæ facta ſunt, initium quidem facturæ ſuæ habeant, perſeverant autem quoad uſque ea Deus & eſſe & perſeverare voluerit ... Non enim ex nobis, neque ex noſtra natura vita eſt, ſed ſecundum gratiam Dei datur. Et ideo qui ſervaverit datum vitæ & gratias egerit ei qui præſtitit, accipiet & in ſæculum ſæculi longitudinem dierum; qui autem abjecerit eam, & ingratus extiterit factori, ob hoc quod factus eſt, & non cognoverit eum qui præſtat, ipſe ſe privat in ſæculum ſæculi perſeverantia.*

Profert tertio loco Arnobium, qui nempe, inquit, animas tormentorum diuturnitate & ſævitia conſumptum iri & extinctum arbitratus eſt, eas ancipitis eſſe mediæque vitam inter & mortem ac ambiguæ naturæ, quod quidem legitur paſſim lib. 2. adverſus gentes; ubi cum ea adduxiſſet incommoda quæ ſequi videntur ex utraque parte, ſi nimirum anima humana dicatur immortalis, vel ſi peritura cenſeatur, ſic habet: *Medietas ergo quædam, & animarum anceps ambiguaque natura locum Philoſophiæ peperit, & cauſam cur appeteretur invenit; dum periculum ſcilicet ex malis iſte formidat admiſſis, alter concipit ſpes bonas ſi nihil ſceleris faciat, & cum officio vitam juſtitiamque traducat.* Hanc medietatem in eo poſitam eſſe putat Arnobius, quod mortem ſubituræ ſint animæ impiorum, pii vero felici ſint immortalitate donandi.

At certe, abſit tamen verbo injuria, nec ſatis catholicæ traditioni conſuluit vir illuſtriſſimus, cum adeo craſſum errorem circa animæ immortalitatem & damnatorum pœnas præfatis ſcriptoribus impegit; neque vero illorum mentem eſt feliciter aſſecutus, ut cuipiam eorumdem opera vel leviter inſpicienti abunde patebit.

Ac primo cum ait docere S. Juſtinum animas non eſſe immortales, ſane hoc unum profitetur ſanctiſſimus Martyr illas non eſſe immortales ea immortalitate quæ Deo ſoli competit, quatenus a Deo deſtrui poſſunt, ſuamque vitam habent ſolo Dei beneficio & munere, quod quidem maxime catholicum eſt. *Quæcunque*, inquit, eadem pagina 223. *ſecundum Deum ſunt aut erunt unquam, ea naturam corruptibilitati obnoxiam obtinent, abolerique & ulterius non extare poſſunt. Solus autem ingenitus & incorruptibilis eſt Deus, & propterea Deus eſt, omnia vero reliqua genita ſunt & corruptibilia.* Et pag. 224. *Vitam vero anima participat quoadusque eam Deus vult vivere: ita videlicet aliquando non participabit, cum ea vivere*

Digitized by Google

nolet. Non enim ita per ſe ipſam ei vita eſt, ſicut per ſe ipſum Deo.

His adde non uno in loco antiquiſſimum hunc ſcriptorem pœnas damnatorum profiteri æternas, eo nempe ſenſu quod nunquam deſituræ ſint, ſic enim loquitur pag. 57. *Plato vero Radamantum & Minoem itidem injuſtos ad ſe venientes plexurum eſſe docuit: nos autem idipſum etiam factum iri dicimus, ſed a Chriſto corporibus eisdem cum animabus ſuis uniendis, atque æternis prorſus, ac non eis tantum qui mille annorum decurſo ambitu durent, ut ille ait cruciatibus torquendis.* Pag. 64. *Nihil nos quidem capiemus detrimenti credentes, ac potius certo perſuaſum habentes, unum pro ſe quemque pro factorum ſuorum meritis pœnas per ignem perpetuum daturum.* Pag. 65. *Sed enim cum ſenſus omnibus defunctis reliquus permaneat & pœna perennis injuſtis ſit repoſita;* & tandem pag. 67. *nos autem immortales duntaxat eos fieri ſcimus, qui ſancte per virtutem ad imitationem Dei vivunt, torqueri autem in igne æterno qui injuſte abſque reſipiſcentia & morum mutatione ætatem tranſigunt, credimus.*

S. Irenæum quod attinet, is profecto nec vel unico verbo inſinuat animas impiorum utpote perituras æternis cruciatibus punitum non iri: id unum quippe docet in loco qui objicitur, omnia quæ facta ſunt duratura *quoadusque ea Deus & eſſe & perſeverare voluerit*, quod veriſſimum eſſe nemo catholicus diffitetur; præterquamquod pœnarum æternitatem diſerte aſtruit lib. 4. cap. 47. his verbis quæ ſuperius a nobis adducta ſunt.

Non diſſimulabo paulo obſcurius locutum fuiſſe Arnobium, pro ſuo nimirum more atque ingenio; tamen ſi ejus verba legantur attentius, duo certe conſtabunt uti & de S. Juſtino ſupra, illum nempe non aliam animæ noſtræ immortalitatem denegaſſe quam quæ Deo ſoli competit, & aliunde pœnarum æternitatem ſatis aperte aſtruere; primum quidem his colligitur verbis: *O iſti qui mediæ qualitatis animas eſſe non creditis, & in medio limite vitæ atque interitus contineri, nonne omnes omnino quos eſſe opinatio ſuſpicatur, dii, Angeli, dæmones, aut nomine quocunque ſunt alio, qualitatis & ipſi ſunt mediæ & in ambiguæ ſortis conditione mutabiles? Nam ſi omnes concedimus unum eſſe verum Patrem, immortalem atque ingenitum ſolum, nihilque omnino ante illum, quod alicujus vocaminis fuerit, invenitur.* Et paulo poſt: *Non ergo natura, ſed voluntate Dei Patris ac munere. Quo igitur pacto immortalitatis largitio eſt donum Dei, certe prolatis, & animas hoc pacto dignabitur immortalitate donare, quamvis eas mors ſæva poſſe videatur extinguere, & ad nihilum redactas irremeabili abolitione delere.* Ubi docet Arnobius ea ſolum ex cauſa noſtras animas eſſe mortales, quod illas ad nihilum redigere poſſit Deus, cujus nimirum dono ac munere ſunt immortales. Deinde & alterum manifeſte legitur his verbis; *Audetis*, inquit, *ridere nos, cum gehennas dicimus & inextinguibiles quosdam ignes, in quos animas dejici ab earum hoſtibus inimicisque cognovimus?*

Quo teſtimonio patet eam tum fuiſſe communem Chriſtianorum doctrinam, impiorum animas in ignes inextinguibiles dejici, quamobrem perſæpe illudebantur ab Ethnicis.

Objicies: hæc fuit communis & pervulgata Eccleſiæ doctrina pœnas damnatorum, ſi Chriſtiani ſint, non fore ſempiternas, ſiquidem id ſatis aperte ſignificarunt plurimi Scriptores in ſuis adverſus Pelagianos lucubrationibus. Paulus Oroſius Presbyter Hiſpanus Apologetici pro libero arbitrio cap. 13. eo nomine redarguit Pelagium, quod diceret, *omnes peccatores ſimul cum impiis in æternum ignem eſſe damnandos*. Exiſtimans nempe Catholicus Scriptor Deum

ali-

aliquando Chriſtianis peccatoribus parciturum, eoſque, ut ait S. Hieronymus dialogo primo contra Pelagianos, tandem ſalvandos eſſe poſt pœnas.

Idem docet Marius Mercator in commonitorio cap. 4. cum in Pelagium his verbis inſurgit: *Sed in eo eſt impius in quo ſub ſimili & æquali nos; qui ſub Evangelio ſumus, maledicto conſtituere non pertimeſcit; exæquans legi circumciſionis & omni Judaiſmo Evangelicam gratiam*. Ubi etiam a maledictione, quæ nihil eſt aliud quam ira Dei punientis, violatores legis immunes factos fuiſſe Chriſtianos probat ex illis divi Pauli verbis ad Galat. c. 3. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*.

Edidit Pater Garnerius inter opera Marii Mercatoris pag. 114. libellum qui ſic inſcribitur, *incipit fides Rufini*. Ubi Rufinus in eos anathema pronunciat, *qui dicunt diabolo & dæmonibus & impiis, hoc eſt, Gentilibus, Judæis, Samaritanis, omnibuſque hæreticis (exceptis Chriſtianis, qui rectam fidem ſequuntur & peccatores ſunt) aliquando parcendum, & pœnas eorum non eſſe perpetuas*.

Hic primus eſt inter undecim anathematiſmus; ibique, ut per ſe patet, ab æternis ſuppliciis immunes declarantur Chriſtiani omnes tametſi ſint peccatores. Hæc igitur fuit tunc temporis omnium Catholicorum ſententia, ſaltem Chriſtianos ſempiternis pœnis non fore puniendos.

Diſt. ant. pœnas damnatorum, ſi Chriſtiani fuerint, non fore ſempiternas, eo ſenſu quod non omnes penitus Chriſtiani pœnis punientur æternis, C. eo ſenſu quod nulli Chriſtiani ejuſmodi pœnas patientur, N. ſcilicet ea ex cauſa ſolum Chriſtianos ab æternis ignibus vindicant, ab aliiſque ſecernunt peccatoribus præfati ſcriptores, quod ferre non poſſint hanc Pelagii propoſitionem plus æquo generalem qua dicebat, *in die judicii iniquis & peccatoribus non parcendum, ſed æternis eos ignibus exurendos*. Quam certe propoſitionem ut falſam merito rejiciunt, & ad ſolos impios, vel Judæos, vel Gentiles reſtringunt, nominatim excipiendo Chriſtianos; falſum eſt enim omnes peccatores nullo excepto æternum damnatos; quandoquidem multi ſalvabuntur Chriſtiani. Sed quod eſt obſervatione digniſſimum, hi autores ſentiunt quidem in hac cum Pelagio pugna, non omnes Chriſtianos ignibus æternis exurendos, ſed non putant nullos Chriſtianos eſſe comburendos, quæ quidem duo magnopere differunt; prius enim veriſſimum eſt, poſterius aperte falſum. Conſule quæ mox dicturi ſumus, cum S. Hieronymi mentem expendemus, ibi enim hanc eandem plane difficultatem dilutam habes. Res porro poteſt interim illuſtrari ex ipſis autoribus, quorum loca nunc objiciuntur.

1. Id manifeſte conſtat ex teſtimonio Pauli Oroſii, qui cum eo nomine tantum invehatur in Pelagium, quod diceret, *omnes peccatores ſimul cum impiis in æternum ignem eſſe damnandos*, hanc propoſitionem, non niſi ad ſenſum Pelagii modo explicatum, condemnat.

2. Senſus hic noſter apertiſſimus eſt in teſtimonio Marii Mercatoris, namque in fine capitis hæc refert Pelagii verba, *odiſſe, maledicere, & invidere, mentiri, detrahere, & detrahentibus credere, leve aut nullum putatur eſſe peccatum? Sed hi qui hoc putant, obliti ſunt quoniam & levis præcepti obnoxios gehennæ legimus eſſe mancipandos, dixiſſe enim, inquit, Dominum manifeſtum eſt, quicunque dixerit fratri ſuo fatue, vel raca, reus erit gehennæ*; quæ quidem quoniam reprehendit Marius, ſatis aperte ſignificat, idcirco falſam eſſe Pelagii propoſitionem dicentis nos eodem ſubjacere maledicto ac Judæos; quod nimirum docere videbatur omnes Chriſtianos pœnis æternis puniendos. His addo de

pœna-

pœnarum æternitate eo loci quæſtionem non eſſe, id unum quippe in Pelagio redarguit Marius, quod Evangelio Chriſti legem exæquaret Moſaicam, ut conſtat ex his verbis quæ immediate ſequuntur, *unde etiam diſcipulus ejus Cœleſtius aperte auſus eſt pronuntiare, (legem ſic mittere ad regna cœlorum, ſicut Evangelium.)*

3. Ad Rufini teſtimonium quod attinet, ſi tamen hujus ſit præfatum opuſculum, hoc ſane non aliam exhibet doctrinam; cum enim iis omnibus anathema pronuntiat Rufinus, qui dicunt dæmonibus, impiis &c. aliquando parcendum, & pœnas eorum non fore perpetuas, aliunde vero Chriſtianos excipit; ſane ad ſenſum S. Hieronymi, cujus teſtimonia mox adducturi ſumus, intelligi debet: præterquam quod pœnarum æternitatem manifeſte aſtruit idem Rufinus in Apologia quam ad Anaſtaſium Papam ſcripſit, *De quo*, inquit, *illud ſentimus quod ſcriptum eſt in Evangelio, quia & ipſe diabolus & omnes angeli ejus cum his qui opera ejus faciunt, id eſt, qui criminantur fratres, cum ipſo pariter æterni ignis hæreditatem patientur*, vel ut legit Hieronymus, *hæreditate potientur*.

Objicies: S. Gregorius Niſſenus non uno in loco docet animas corporibus exutas, quemadmodum & ipſos dæmones, omnem olim depoſituras vitioſitatem omnemve peccati maculam, aſcito hac in re auri exemplo quod adhibito igne expurgatur excocta & ſecreta craſſiori materia: lib. de anima & reſurrectione paulo ante medium, Pauli locum illum pertractans, *in nomine Jeſu omne genu flectetur cœleſtium, terreſtrium, & ſubterraneorum*, id aperte de diabolis declarat: *Perſuaſum eſt*, inquit, *tam ex communi opinione quam ex Scripturarum traditione, eſſe quandam naturam extra talia corpora, quæ recto atque honeſto adverſa contrariaque ſit, & in humanæ naturæ detrimentum atque perniciem incumbat, quæ ſponte ſua a meliore ſorte exciderit atque defluxerit, & in locum boni & honeſti, a quo defecit, id quod ex contrario intelligitur in ſeſe ſubſtituerit quam aiunt Apoſtolum inter ſubterranea & inferna numerare, id illo ſermone ſignificantem, quod vitioſitate longis ſæculorum anfractibus & circuitionibus aliquando abolita atque extincta, nihil præter bonum relinquetur. Sed etiam dæmones concorditer & conſentienter dominationem Chriſti confitebuntur.*

Tum vero ibidem non multo poſt plane eandem doctrinam exhibet Gregorius; hæc Apoſtoli verba, *Deus erit omnia in omnibus*, ?e 1. ad Cor. cap. 15. petita ſic exponens: *Porro qui omnia exiſtit, etiam omnibus exiſtit. Atque in hoc videtur mihi perfectum & abſolutum interitum vitioſitatis ac nequitiæ tradere Scriptura. Si enim in omnibus rebus Deus erit, vitioſitas, nequitiaque nimirum in rerum natura non erit. Nam ſi quis vitioſitatem etiam & nequitiam eſſe poſuerit, quomodo ſervabitur ea ſententia qua dicitur, quod in omnibus Deus ſit? illius enim videlicet vitioſitatis nequitiæque exemptio atque ſubtractio imperfectam ac non plenam efficit omnium comprehenſionem.*

Inſuper alia multa his ſimilia congerit hic ſcriptor oratione Catechetica, nam cap. 8. poſt hanc vitam in futuro judicio curandos a Deo pravos hominum affectus diſerte affirmat: *Quod ſi curari non poſſit*, inquit, *in futuram vitam reſervatur curatio.... Tale quid etiam denuntiat in poſterum futurum judicium ad curandos morbos animæ, quod pigris quidem & vanis minatur, gravia que & aſpera intentat.* Cap. 26. non homines duntaxat impios, ſed peccati etiam autorem diabolum ita expurgatum iri docet, uti purum redditur aurum igne adhibito. *Quomodo enim*, inquit, *ſi vili materia auro admixta aurifices per ignem eo conſumpto quod erat alienum & rejiciendum, ad naturalem ſplendorem præ-*

ſtan-

ſtantiorem reducunt materiam, ... Eodem modo etiam cum mors & interitus & tenebræ, & ſi quis eſt alius vitii fœtus, inventori mali adnata eſſent, divinæ virtutis appropinquatio, tanquam ab igne deleto eo quod eſt præter naturam, naturam incorruptionis afficit beneficio, etiamſi laborioſa ſit ſecretio. Et poſtea: *Cum per longum temporis ambitum ablatum fuerit naturæ malum, quod nunc eſt eis immiſtum & coalitum, & eorum qui nunc jacent in malis in antiquum ſtatum facta fuerit reſtitutio, una voce agentur gratiæ ab univerſa creatura, & ab iis qui caſtigati fuerint in purgatione, & ab iis qui ne omnino quidem opus habuerunt ut purgarentur.*

Denique cap. 35. ejuſdem libri aurum itidem in exemplum adducit, & ne futuræ quidem ſalutis ſpe eos intercludit, qui neque baptiſmi, neque pœnitentiæ, nec ulla demum purgatione vitæ noxas eluerunt. *Non enim quæcunque per reſurrectionem reditum accipiunt od eſſentiam, ad eandem vitam redeunt. Sed multum intereſt inter eos qui ſunt expurgati, & eos qui indigent expurgatione .... Quibus autem induratæ occaluerunt affectiones, neque ſordium & macularum ulla fuit adhibita purgatio, non aqua myſtica, non divinæ virtutis invocatio, non inconcinnæ pravitatis correctio, neceſſe eſt ut ii quoque ſint in eo quod convenit. Manifeſtum eſt autem auro adulterino confuſoque & non ſincero convenire fornacem, ut cum eis mixtum vitrum fuerit liquefactum, longis poſtea ſæculis Deo pura conſervetur natura.*

Hæc vero omnia pravum Origenis dogma redolere, cum nimirum & impios homines & diabolum ipſum ſalvos fore ſcribit poſt certum quoddam a reſurrectione tempus, nemo non videt.

Solent huic argumento reſpondere hæc verba quæ falſam & erroneam Origenis doctrinam exhibere putant, non eſſe S. Gregorii Niſſeni, ſed in iſta ſancti Doctoris opera ab Origeniſtis malitioſe inſerta, id aſſerunt in fidem S. Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani in libro, qui inſcribitur *retribuens & legitimus*, ut refert Photius Biblith. Cod. 253. ſcribentis, *Gregorium Niſſæ Epiſcopum ejuſque ſcripta ab Origenis errore eſſe immunia. Etenim quibus illud delirium placet, dæmonibus & hominibus in æternam pœnam conjectis liberationem inde expectandam: illi (quod virum doctrina ſingularem & eloquentia inſignem eum agnoſcerent, claramque ſanctitatis exiſtimationem per omnium decantatam ora viderent) aggreſſi ſunt claris & ſalutaribus ejus ſcriptis obſcura ac pernicioſa Origeniani ſomni venena admiſcere, virtutique hominis & doctrinæ celebri hæreticam occulte amentiam ſubjicere. Quare partim additamentis falſis, partim rectis argumentis violenter detortis, multa ex irreprehenſibilibus ejus monumentis calumniari conati ſunt.* Et infra de eodem S. Germani opere ſic loquitur Photius: *Has porro ſacras ſententias adducens de Origeniſtis in propriis ſententiis convictis, quibus illi male utebantur, triumphum egit: reprehendens, tum quod legitima quidem audacibus & inpudentibus additamentis illegitima redderent, tum vero quod additamenta continuantes, magna arrogantia & ſtupiditate, ad hæreticam ſuam opinionem ea audacter detorquerent. Et ut breviter dicam, omnia ſancti hujus Patris ſcripta ab omni hæretica pravitate & calumnia quæ in impietatem vergit, immunia eſſe declarat. Hæc porro immunitas & improbitatis refutatio & ex antecedentibus locis depravatis & ex conſequentibus conficitur & demonſtratur, & ex aliis ſexcentis B. Gregorii Niſſeni libris qui orthodoxe & legitime ſentiunt, recte excutiens, ut nemo melius in ſalutares preces ac laudes Dei laborem finiit. Libri autem quos inſidiis excipere hæretici moliti ſunt & quos Germanus veritatis propugnator primarius ab latronum inſultu ſine noxa ſervavit, ſunt dialogus ad*

Ma-

Macrinam ſororem de anima, *& liber Catecheticus*, *& ille qui de perfecta vita rationem continet*. Hunc poſtremum librum non extare putat Petavius; in duobus enim libris quorum unus inſcribitur *de perfectione Chriſtianæ vitæ*, alter vero de vita Moſis, qui & *de perfectione vitæ ex virtute inſtitutæ*, nihil occurrit priorum ſimile.

Addunt hi Theologi plerique omnes pœnarum æternitatem manifeſte aſtruere Gregorium Niſſenum oratione quæ inſcribitur *adverſus eos qui differunt baptiſma*, ubi ſic habet: *In electione malorum magis eſt eligendum, ut ſalutare lavacrum aſſecutus, rurſus ſit in peccato, quam ut gratiæ expers vitam finiat. Nam peccatum quidem veniam fortaſſe conſequitur aut clementiam, cujus magna eſt ſpes apud bonos: alteri autem eſt omnino vetita ſalus ex certa ac definita ſententia. Nam cum audiero vocem quæ non mentitur dicentem, amen, amen dico vobis, niſi quis natus fuerit deſuper, non poteſt videre regnum Dei, nihil boni poſſum expectare iis qui myſteriis non ſunt initiati .... Quomodo enim cum non ſit obſignata, nec ullum ferat ſignum ſui Domini, quam eſt veriſimile per aerem ferri errantem & vagantem, & minime quæſitam, ut quæ Domino carent, quærentem quietem & locum in quo maneat & non invenientem, fruſtra deflentem & inutiliter pœnitentem, non ſecus atque divitem qui induebatur purpura & byſſo, quemque lautus & delicatus omnis generis cibus alebat, materiam ignis qui non poteſt extingui.*

His tamen non obſtantibus re maturius diſcuſſa Germano Conſtantinopolitano cæteriſque poſtmodum Theologis aſtipulari non poteſt Petavius, quatenus nimirum præfata Gregorii Niſſeni opera ab Origenis fautoribus hæreticis depravata eſſe ſuſpicantur; quod quidem, ut ait, nemo ſibi facile perſuaderi ſinet, qui ad illa legenda judicium & candorem adhibebit; quippe tam ſtilus & dicendi caracter quam reliqua conſequens oratio, germana & nativa illa eſſe demonſtrat; quo fit ut Gregorium in hoc Origenis dogmate multum implicatum candide fateatur. Accedit & clariſſimus Huetius qui eundem Gregorium teſtatur ſententiam Origenis amplexum ſine ulla dubitatione, agnoſcens ſimiliter immerito hac in parte interceſſiſſe Germanum Conſtantinopolitanum.

Verum ut ingenue dicam quod res eſt, nec cum iſto ſanctiſſimo Præſule conſentire poſſum, cum nempe Gregorii opera ab Origeniſtis ita corrupta fuiſſe conjicit, ut quæcunque hic objiciuntur ipſius Gregorii non ſint; nec in eorum tamen ſententiam facile iverim qui propter citata ſuperius teſtimonia eundem Gregorium Niſſenum fatentur in Origenis erroribus de pœnarum æternitate verſatum. Prius quidem minime placet, tum propter rationem Petavii mox adductam, tum quia nonniſi ex graviſſimo fundamento, quale non apparet in iſta re, ad ejuſmodi reſponſiones confugere debent Theologi. Poſterius vero nimirum in dogma de pœnarum æternitate non ſcripſiſſe S. Gregorium Niſſenum, confidenter affirmo & quidem duplici momento luculentiſſimo.

Primum eſt, quia hoc idem dogma manifeſte aſtruit commentario in ſextum Pſalmum de octava ubi de futuro ultimi judicii die ſic loquitur: *Quis enim terribilis judicii Chriſti recordatus, non ſtatim in conſcientia ſua quaſi convellitur, ac terrore & angore non conſtringitur? Atque etiam ſi vitæ melius quam deterius actæ ſibi conſcius ſit, attamen ad exactam diligentiam & rigorem judicii reſpiciens, in quo minimæ quoque culpæ in quæſtionem adducuntur, ac prorſus expectatione terribilium pœnarum perhorreſcit, ignorans quiſnam ſibi judicii exitus & eventus futurus ſit. Ideirco quaſi in oculis habens terribilia ſupplicia, gehennam illam & tenebroſum ignem, & conſcientiæ vermem nunquam emorientem,*

qui

Digitized by Google

qui animam ſemper pudore ſugillat, ac recordatione male actę vitę cruciatus renovat atque redintegrat. Et poſtea: *Quid igitur differs ſanationem tu Domine? Quouſque tandem miſericordiam non adhibes? An non vides quam brevis ęvi, quam pręcipitis fati vita humana ſit? Pręoccupa animam meam convertendo vitę noſtrę neceſſitatem, ne cum mors tandem nos invaſerit, omnis ad curandum excogitata ratio nullius usus ſit. Non enim amplius erit in morte, qui morbum ex vitioſitate atque nequitia ſibi contractum, per recordationem Dei curare poſſit, quoniam in terra quidem confeſſio vires habet, in inferno autem non itidem.* Hoc loco, quem nullus unquam, quod ſciam, ad fidem S. Gregorii Niſſeni hac in parte vindicandam attulit, ſane nihil illuſtrius, nihil expreſſius deſiderari poteſt; ſcribit enim debere unumquemque noſtrum ante oculos habere terribilia vitæ futuræ ſupplicia, ignem tenebroſum & vermem nunquam moriturum; tum vero pœnitentiam hac in mortali vita vires habere, non itidem confeſſionem quæ fieret in inferno.

Alterum momentum ex eo petitur, quod clare & aperte pœnarum æternitatem non rejicit S. Gregorius Niſſenus in locis quæ objiciuntur; id unum quippe docet nequitiam & vitioſitatem aliquando abolendam & extinguendam, lib. de anima & reſurrectione, *quod vitioſitate aliquando abolita atque extincta nihil præter bonum relinquetur;* & poſtea, *ſi enim in omnibus Deus erit, vitioſitas nequitiaque nimirum in rerum natura non erit &c.* Sane ex ejuſmodi locutionibus valde obſcuris colligi non poteſt, S. Gregorium negaſſe pœnarum æternitatem: neque enim ſatis apertum eſt quid per illam vitioſitatis abolitionem intelligit, quando dicit nihil præter bonum tunc relictum iri, immo quid per illam vitioſitatem, de qua tam frequens habetur mentio in illis locis, præſertim cum hoc noſtrum dogma verbis tam expreſſis aſtruat loco mox laudato.

Unum eſt tamen quod in illis obſcuris locutionibus nonnullam faceſſere videtur difficultatem; ait nempe S. Gregorius Niſſenus lib. de anima & reſurrectione futurum ut *dęmones concorditer & conſentienter damnationem Chriſti confiteantur.* Tum vero oratione Catechetica cap. 26. *Poſtquam*, inquit, *ablatum fuerit naturæ malum, una voce agentur gratiæ ab univerſa creatura.* Quibus aperte ſignificat futuram illam ab omni nequitia & vitioſitate expurgationem, ita ut omnis creatura Deo gratias agat, quod conſequenter ſupponit nullum amplius in inferno detentum iri, *in inferno enim quis confitebitur Domino?*

At vero reſpondeo, nec in iſtis locis S. Gregorium Niſſenum negare pœnarum æternitatem; dici namque poteſt Gregorium exiſtimaſſe futurum aliquando, ut dæmones Chriſti dominationem confiteantur, vel etiam ut una voce Deo agantur gratiæ ab univerſa creatura, tametſi æterna maneant impiorum ſupplicia, in his enim ſuppliciis quemadmodum manifeſtatur Dei juſtitia, quemadmodum, ut loquuntur Scripturæ, quoſdam reprobavit Deus (alicujus peccati reos intelligo) propter virtutis ſuæ oſtenſionem, recte etiam dici poteſt damnatos vel ipſis ſuis pœnis nomen Chriſti confiteri, Deoque gratias agere, quos nimirum ad manifeſtandam Dei juſtitiam æternum cruciabit ignis nunquam extinguendus. Sane aliam Dei confeſſionem nullam fore in inferno aperte teſtatur S. Gregorius Niſſenus loco mox citato in Pſal. 6. *Quoniam*, inquit, *in terra quidem confeſſio vires habet, in inferno autem non itidem.*

Quid vero, inquies, ſibi vult Gregorius noſter, cum toties declarat nullam fore tunc nequitiam & vitioſitatem? Ergo quidem puto eum id unum contendere, nullam amplius futuram in altera vita malam affectionem, pravam animi di-

diſpoſitionem qua peccare poſſint & ab eo deviare ſtatu in quo conſtituentur, namque lib. de anima & reſurrectione ex eo colligit nullam fore tunc nequitiam & vitioſitatem in rerum natura, quod Deus erit in omnibus, *ſi enim in omnibus rebus Deus erit, vitioſitas nequitiaque in rerum natura non erit*. Quæ quidem ratio probat ibi per vitioſitatem & nequitiam non intelligere Gregorium maculam quandam peccati ſuperſtitem, Deus enim eſt in peccatoribus quamvis tali macula contaminatis, quos nimirum per juſtitiam ſuam vindicem plectit, adeoque ſolam intelligere pravitatem animi qua peccent homines, Deus enim in iis hominibus eſſe deſinit, quos deſeruit & in reprobum ſenſum juſto judicio tradidit. Hinc etiam oratione Catechetica cap. 35. ſic loquitur de iis hominibus qui in pravis affectionibus mortui ſunt non ſuſcepto baptiſmate, nullaque ante acta pœnitentia: *Neceſſe eſt*, inquit, *ut ii quoque ſint in eo quod convenit*. Hoc eſt in ea diſpoſitione, in eo ſtatu ut amplius peccare non poſſint. Sane, iterum repeto, ex locutione tam ambigua, tam obſcura non poſſum colligere S. Gregorium Niſſenum pœnarum æternitatem negaſſe, eum aliunde tam expreſſe, tam diſerte hoc dogma Catholicum tradiderit loco ſuperius laudato.

Objicies: S. Gregorius Nazianzenus oratione 59. quæ eſt *in ſancta lumina*, Novatianos inceſſens, comminatur eis ſupplicia poſt mortem, ſed quæ non putat perpetua: *Atque hi quidem noſtra ſi velint, atque adeo Chriſti via, ſin minus, ſua inſiſtant. In altero ævo igni fortaſſe baptiſabuntur, qui poſtremus eſt baptiſmus, nec ſolum acerbior, ſed & diuturnior, qui craſſam materiam inſtar fœni depaſcitur, vitiique omnis levitatem abſumit*. Unde ſic argumentari juvat, is negat pœnarum æternitatem, qui Novatianos tunc in Eccleſia agnitos ut hæreticos, docet in altero ævo ita baptizatum iri, ut ignis quo baptizabuntur, materiam omnem, hoc eſt eorum peccata, conſumat; hoc ipſum enim purgationem, ut per ſe patet, non æternam damnationem arguit: atqui S. Gregorius Nazianzenus, &c. ergo.

Diſt. min. & per illum baptiſmum quem Novatianis comminatur, intelligit ignem damnatis deſtinatum, ignemve nunquam extinguendum, C. ignem mere purgatorium & aliquando periturum, N. ſane nihil eſſe video hocce in teſtimonio, ex quo poſſit colligi ignis ille purgatorius, & unde conſequenter inferatur Gregorium Nazianzenum iviſſe in partes Origenis; non equidem quod ignem ejuſmodi appellat diuturniorem, diuturnum enim non ſonat aliquid finitum & terminatum; tum neque ex eo quod, ut ibidem legitur, ignis iſte craſſam materiam, hoc eſt peccata, depaſcetur, vitiumque omne conſumet; id enim eo ſenſu intelligitur, quod igne ſempiterno baptizabuntur qui terrenam & craſſam materiam tanquam fœnum comedit, ut ait Iſayas, hoc eſt craſſis & obſcœnis corporis voluptatibus ſervientes exurit, atque homines peccato leves & aridos ita excruciat, ut tamen non abſumat. Eſt hæc interpretatio Nicetæ in Comment. ſuper illa S. Gregorii oratione. Addit iſte per ignis baptiſmum examen intelligendum cenſuramque extremi judicii, juxta id quod ait Apoſtolus: *Uniuſcujuſque opus, quale eſt, ignis probabit*: adeoque nec vel leviter inſinuat eo loci Gregorius Nazianzenus æternas non fore damnatorum pœnas.

His adde luculentiſſimum ejuſdem S. Gregorii teſtimonium e decimaquinta oratione depromptum: *Mitto enim*, inquit, pag. 229. *dicere futura vitæ tribunalia, quibus hujuſce vitæ indulgentia & impunitas eos tradit: ita ut ſatius ſit nunc caſtigari ac purgari, quam ad cruciatum illum tranſmitti, cum jam pœnæ tempus erit, non purgationis. Quemadmodum*

Digitized by Google

modum enim, qui Dei memor hic eſt, morte ſuperior eſt, idque a Davide optime dictum eſt; ita his, qui e vita exceſſerint, non eſt in inferno confeſſio, nec morum correctio. Et pag. 230. de hominibus damnatis verba faciens: *Hoc autem*, inquit, *ſimul cum aliis, vel potius ante alia iſtud excruciabit, quod a Deo projecti ſint; atque injuſtam in conſcientia ſempiternæ ignorantiæ notam gerunt*.

Inſtabis: idem Gregorius Nazianzenus orat. 40. clare indicat dubitare ſe, an pœnæ damnatorum futuræ ſint ſempiternæ, ſic enim habet: *Eſt alter ignis non purgans ſed ſcelerum vindex, ſive ſodomiticus ille, quem ſulphure & procella permixtum Deus in peccatores omnes fundit; ſive ille qui diabolo ejuſque Angelis paratus eſt; ſive etiam ille qui ante faciem Domini procedit, & in circuitu inimicos ejus inflammat; ſive denique ille omnibus his formidabilior, qui cum inſomni illo verme conjunctus eſt, nec unquam extinguitur, verum in ſceleratorum hominum pœnam perennis eſt & ſempiternus. Hi enim omnes eam vim habent ut perdant ac deleant, niſi tamen hoc quoque loco quiſpiam ignem mitius, atque ut Deo vindice dignum eſt, intelligendum putet*. Unde ſic argumentum eſt, is ſaltem dubitat de pœnarum æternitate, qui poſtquam appellavit ignem, quo punientur ſcelerati homines, perennem & ſempiternum, ſubdit illico rem potius ex Dei benignitate æſtimandam eſſe, id mitius intelligendum, ita ut nempe ejuſmodi pœna aliquando terminetur: atqui S. Gregor. Nazianzen. &c. ergo &c.

Diſt. min. id mitius intelligendum quoad pœnæ acerbitatem, &, ut ajunt, inextenſionem, C. quoad ejus durationem, N. ſane nil vetat quominus iſta Gregorii Nazianzeni verba, quibus nimirum præſumit futurum, ut mitius agat Deus cum hominibus, putemus in ſupplicii acerbitatem cadere, non autem in ejus durationem, cum ſcilicet adeo affirmate pronuntiet in aliis locis & nulla adhibita reſtrictione pœnas damnatorum ſempiternas, hoc ipſum dixerat pag. 657. his verbis: *Ne peccatum tuum confiteri grave ducas, ſciens quo pacto Joannes baptizaverit: ut per hujus vitæ pudorem, futuri ſæculi pudorem ignominiamque fugias (nam hoc quoque ſempiterni illius ſupplicii pars eſt.)*

Objicies; S. Baſilius negat ſimiliter æternitatem pœnarum commentario in cap. Iſajæ ſuper illo verſiculo, *quia abluet Dominus ſordem filiorum & filiarum Sion, & ſanguinem Jeruſalem expurgabit de medio ejus in ſpiritu judicii & ſpiritu ardoris*. Quem ſic explicat: *Ut illud (abluet) pro depoſitione peccati accipiatur, quæ in hac vita fit, hoc autem in ſpiritu judicii & ſpiritu ardoris, ad eam refertur probationem ſive examen quod per examen fiet in ſæculo futuro. Equidem peccata per ignorantiam admiſſa, utique cum ſint veluti ſordes quædam, quæ animæ ſplendorem exterminant, & nativo ejus decori officiunt, egent purgatione per lotionem. Quæ vero ad mortem ducunt peccata, eorum nempe qui poſt acceptam cognitionem, certa animi deſtinatione flagitia committunt, ſanguis vocantur. Et hæc quidem indigent ardore ſeu exæſtuatione judicii*. Et non multo poſt: *Qui vero poſt acceptam Dei notitiam conſulto ac ſtudio ſeipſos reddunt obnoxios ſanguini, utique tales opus eſt purgari per ignem*. Unde ſic argumentum conficitur; is negat pœnarum æternitatem, qui docet ea peccata quæ ducunt ad mortem ſic demum in futuro ſæculo eluenda, ut per ignem & judicii exæſtuationem purgentur: atqui S. Baſilius &c. ergo, &c.

Diſt. min. ait peccata lethalia in futuro ſæculo eluenda per ignem æternum & nonquam extinguendum, C. per ignem mere purgatorium & piacularem, N. ſane nihil eſſe video in toto hoc S. Baſilii contextu, quo vel minimum inſi-

inſinuet pœnas damnatorum aliquando deſituras; cum enim aſſerit ejuſmodi eſſe peccata quæ ducunt ad mortem, ut ea ignis ardore purgari neceſſe ſit, profecto inde colligi non debet talem ignem extinguendum, pœnamque hominum non fore ſempiternam, qui potius cum hæc interpretetur Iſajæ verba, *ſanguinem Jeruſalem expurgabit de medio ejus*, proclive eſt, ut per expurgationem intelligat æternam rejectionem, non vero quandam emundationem. Niſi forte hæc emundatio ſumatur comparate ad filios Sion, hoc eſt, pios & bonos qui emundari cenſentur cum ab ipſis ſegregantur mali, quo plane ſenſu hæc eadem Iſajæ verba exponit S. Auguſtinus lib. 20. de civitate Dei caput 25. *Dicit tale aliquid & Iſayas, (lavabit Dominus ſordes filiorum & filiarum Sion, & ſanguinem emundabit de medio eorum ſpiritu judicii & ſpiritu combuſtionis.) Niſi forte ſic eos dicendum eſt emundari a ſordibus & eliquari quodam modo, cum ab eis mali per pœnale judicium ſeparantur, ut illorum ſegregatio atque damnatio purgatio ſit iſtorum, quia ſine talium de cætero permixtione victuri ſunt.*

Atque non aliam prorſus fuiſſe S. Baſilii mentem ex eo colligitur, quod catholicum de pœnis æternis dogma tradit aperte homil. in Pſal. 33. verſus medium, ubi damnatorum ſtatum temporibus ultimi judicii ſic deſcribit: *Subinde conſpicient baratrum in imum patens, tenebras impermeabiles quidem illas, ignemque obſcurum, urendi quidem in tenebris vim habentem, luce vero deſtitutum. Unde vermium innumerabilium genus venenoſum ac carnivorum, eſitans quidem ſemper, nec tamen ſe exſatians, intolerabiles dolores morſibus infligens. Poſtremo omnium duriſſimam pœnam, probrum illud & verecundiam ſempiternam*. Quod idem docet in regulis brevioribus ad interrogationem 257. his verbis conceptam: *Qui ſunt illi de quibus dicitur, Paleas autem comburet igne inextinguibili?* Ubi reſpondet, *ii nimirum qui eo modo utiles ſunt iis, qui digni ſunt regno cœlorum, quemadmodum paleæ tritico, &c.*

Objicies auctoritatem S. Ambroſii qui diaboli æterna fore ſupplicia cenſet, ideoque pœnam illius differri, ut ſempiterna ſit; hominum vero quia miſericordia temperari ac circumſcribi ſupplicia debent, ſtatim poſt obitum ea judicio ſubmitti, expoſitione in Pſ. 118. ſerm. 23. num. 22. *Diabolus enim & miniſtri ejus cum hominibus non flagellantur. Separata eſt pœna, ubi diſtat & culpa*. Hinc divitem illum qui Lazari opem imploravit, evaſurum aliquando putat. *Si hæc operatur humanum examen, quanto magis Chriſti eſt omnibus expetendum? differtur diaboli judicium ut ſit ſemper in pœnis reus: ſemper improbitatis ſuæ innexus catenis, conſcientiæ ſuæ in perpetuum ſuſtineat ipſe judicium. Ideo dives ille in Evangelio, licet peccator pœnalibus urgetur ærumnis, ut citius poſſit evadere. Diabolus autem nequaquam perveniſſe ad judicium demonſtratur; nequaquam adhuc pœnis eſſe ſubjectus, niſi quas ipſe tantorum conſcius ſcelerum ſolvit timore perpetuo, ne aliquando ſecurus ſit*. Unde ſic argumentum eſt, is negat pœnas hominum fore æternas, qui in eo diſtinguit pœnas dæmonum a pœnis hominum, quod illi judicium Dei nondum ſubierunt, ut nempe æternum crucientur; homines vero flagellentur, ut tandem ab omni ſupplicio liberi evadant: ſed hoc ipſum loco citato affirmat S. Ambroſius; ait enim divitem, in Evangelio, pœnalibus urgeri ærumnis, ut citius poſſit evadere: ergo putabat S. Ambroſius pœnas damnatorum hominum non fore æternas.

Diſt. maj. ſi ſermo habeatur de pœnis alterius vitæ, C. ſi de pœnis univerſe ſpectatis & in genere, N. porro quando comparat S. Ambroſius pœnas æternas dæmonum cum pœnis hominum hie uten-

utendo verbis : *Separata eſt pœna*, *ubi diſtat & culpa*: ubi loquitur tantum de pœnis in genere, in eo ſtatuens diſcrimen dæmones inter & homines, quod iſti tametſi peccatores, pœnas ſubeunt piaculares & finitas; ſive in hac vita quando flagellantur, ſive in altera per ignem purgatorium; dæmones vero pœnis punientur æternis, nullo ipſis deſtinato flagello quo tandem purgari poſſint : ex quibus certe colligi non poteſt S. Ambroſium negaſſe pœnarum æternitatem, veriſſimum quippe eſt caſtigari plerumque homines & flagellari, ut inde eorum peccata eluantur, quod certe non ita feliciter ceſſit dæmonibus, qui ſuam ſimiliter culpam expiare nullo potuerunt pœnitentiæ genere.

Hanc fuiſſe divi Ambroſii mentem liquido conſtat ex hoc ipſo contextu, explicans enim hunc Pſalmiſtæ verſic. *Judica judicium meum & libera me*, *propter verbum tuum vivifica me*, hoc unum laborat, ut homines oſtendat judicium ſubire & flagella hoc in ſæculo; cum dæmonibus contra datum non ſit pœnis caſtigari piacularibus : *Habet*, inquit, *hoc uſus etiam in ſæculo, quod eſt commune cum ſanctis*. *Verum is qui apud Deum juſtus eſt habet aliam cauſam judicii non timendi*, *quia apud miſericordem judicem ſibi cauſa eſt ; apud redemptorem ſuum vult cito*, *& ſperat abſolvi*. *Abſolutio enim natura ſanctorum eſt*. *Unde & Dominus ait per Ezechielem ad Angelos qui miniſtri ſunt ultionum* (*a ſanctis meis incipite*.) *Non vult Dominus commune ſanctis cum diaboli ſociis conſortium eſſe judicii : diabolus enim & miniſtri ejus cum hominibus non flagellabuntur : ſeparata eſt pœna ubi diſtat & culpa*. Et non multo poſt : *Videmus in hoc ſæculo inſertos nexibus catenarum reos in ſpecie pompæ miſerabilis duci*. *&c.* Ubi non loquitur Ambroſius niſi de pœnis quas patiuntur homines, & quibus flagellantur hoc in ſæculo; quo fit ut inde colligi non poſſit eum negaſſe pœnarum vitæ alterius æternitatem.

Nec moror quod in exemplum adducat divitem Evangelicum, hunc enim puto non judicari divitem illum epulonem de quo Lucæ 8. cap. parabola inſtituitur, ſed divitem avarum de quo Lucæ 12. cap. qui nimirum de morte ſibi imminente a Deo commonitus eſt his verbis : *Stulte hac nocte animam tuam repetent a te*, *quæ autem paraſti*, *cujus erunt ?* Aut certe ſi divitem epulonem intellexit Ambroſius, hoc exemplo hacve parabola oſtendere voluit futuras in altera vita piaculares pœnas; quod unum probare in votis habebat Sanctus Doctor; ſed non idcirco pertendit eandem fore omnium damnatorum conditionem.

Et hercle non puto clarius quemquam e veteribus aſtruxiſſe pœnarum æternitatem, ut conſtat ex eodem loco, ait enim num. 24. *Ita & Chriſtus ſuos caſtigat quos diligit*, *alienos tanquam generali damnatione impietatis aſtrictos pœnæ donat æternæ*. Tum vero & apertiſſime lib. de lapſu Virginis conſecratæ cap. 8. *Ego tamen*, inquit num. 32. qui *ſcio graviora facinoroſis ſervari tormenta*, *& ſine fine impias animas cruciatus manere*, *non temporales utique ſed æternos*, *aliis te volo cruciatibus affici pro futuris utique*, *non animam perdituris*. Num. 34. *& ſi te jam credas prope ipſas poſitam tenebras exteriores*, *ubi erit fletus oculorum*, *& ſtridor dentium ſine fine*. *Cum hæc certa fide*, *ſicut eſt*, *animo conceperis*, *quia neceſſe eſt prævaricatricem animam tartareis pœnis & gehennæ ignibus tradi*, *nec aliud remedium conſtitutum eſſe poſt unum baptiſmum quam pœnitentiæ ſolatium*, *quantamvis afflictionem*, *quantumvis laborem ſubire*, *eſto contenta*, *dummodo ab æternalibus pœnis libereris*. Num. 36. *peccator ergo ſi ſibi non pepercerit*, *a Deo illi parcetur*. *Et ſi futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc parvo vitæ ſpatio compenſaverit*, *ſe ipſum ab*

ab æterno judicio liberabit. Denique n.38. *quantumvis & qualemvis cruciatum ad præſens libentiſſime ſufferrent, etiamſi eſſet longior vita, dammodo in illas pœnas æterni ignis non incurrerent*.

Quod vero diabolum adhuc judicium non ſubiiſſe ibidem doceat S. Ambroſius, mirum profecto videri non debet, hæc quippe permultorum ex antiquioribus fuit opinio, ut poſt Maldonatum obſervat Petavius loco jam citato.

Objicies auctoritatem S. Hieronymi dialogo primo adverſus Pelagianos hæc ſcribentis: *illud vero quod in ſequenti ponis capitulo, in die judicii iniquis & peccatoribus non parcendum, ſed æternis eos ignibus exurendos, ferre quis poteſt, & interdicere te miſericordiam Dei, & ante diem judicii de ſententia judicis judicare: ut ſi voluerit iniquis & peccatoribus parcere te præſcribente non poſſit. Dicis enim, ſcriptum eſt in centeſimo tertio Pſalmo (deficiant peccatores a terra & iniqui ita ut non ſint.) Et in Eſaya (comburentur iniqui & peccatores ſimul, & qui relinquunt Deum conſummabuntur.) Et non intelligis comminationem Dei interdum ſonare clementiam. Non enim dicit æternis ignibus exurendos, ſed a terra deficere & iniquos eſſe ceſſare; aliud enim eſt ipſos a peccato & iniquitate deſiſtere, & aliud ipſos perire in perpetuum & æternis ignibus concremari. Denique Eſayas, de quo ponis teſtimonium (comburentur peccatores & iniqui ſimul,) non addidit, in æternum, & qui relinquunt Deum conſummabuntur. Proprie hoc de hæreticis loquitur, qui rectum fidei tramitem relinquentes conſummabuntur, ſi noluerint ad Dominum reverti quem dereliquerunt. Quæ ſententia & tibi parata eſt, ſi neglexeris ad meliora converti. Deinde cujus es temeritatis iniquos & peccatores impiis jungere qui a nobis ſic definitur. Omnis impius iniquus eſt & peccator, nec reciprocatur ut poſſimus dicere, omnis peccator & iniquus etiam impius eſt. Impietas enim proprie ad eos pertinet qui notitiam Dei non habent, vel cognitam tranſgreſſione mutarunt. Peccatum autem & iniquitas pro qualitate vitiorum poſt peccati & iniquitatis vulnera recipit ſanitatem. Unde ſcriptum eſt, multa flagella peccatoris & non interitus ſempiternus, & per omnia flagella atque cruciatus emendatur Iſrael, quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit. Aliud eſt cedere Magiſtri & parentis affectu, aliud contra adverſarios crudeli animo deſævire, quam ob cauſam & in primo Pſalmo canitur, quoniam non reſurgent impii in judicio, jam enim in perditionem ſunt præjudicati, neque peccatores in concilio juſtorum; aliud enim eſt gloriam perdere reſurgendi, aliud perire perpetuo.... Sine lege impius eſt qui in æternum peribit, in lege peccator credens in Deum qui per legem judicabitur & non peribit. Si peccatores & iniqui æternis ignibus exuruntur, non times ſententiam tuam, qui iniquum & peccatorem te eſſe dicis? & argumentaris hominem non eſſe ſine peccato, ſed eſſe poſſe. Ergo ſolus ille ſalvetur qui nunquam fuit, nec eſt, ſed futurus eſt, aut forſitan nec futurus, & pereant omnes quos retro fuiſſe legimus. Tu ipſe qui Catoniana nobis inflaris ſuperbia, & Milonis humeris intumeſcis, qua temeritate peccator Magiſtri nomen aſſumis? aut ſi juſtus es & humilitate ſimulas peccatorem, mirabimur atque gaudebimus habere te ſolum & poſſidere cum ſociis, quod nec Patriarcharum nec Apoſtolorum quiſpiam habuit. Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non eſſe perdendas, & diabolo tribuit pœnitentiam, quid ad nos qui & diabolum & ſatellites ejus omneſque impios & prævaricatores dicimus perire perpetuo, & Chriſtianos, ſi in peccato præventi fuerint, ſalvandos eſſe poſt pœnas*. Hactenus Atticus, qui in hocce dialogo orthodoxi perſonam agit, adeoque S. Hieronymi adverſus

Cri-

by Google

Critobolum, qui quidem Pelagiani perſonam ſuſtinet; ex illis autem verbis ſic conficitur argumentum, is putat æternas non fore damnatorum pœnas, qui ex eo reprehendit Critobulum Pelagianum, quod dixiſſet, iniquis & peccatoribus non parcendum in die judicii, ſed æternis ignibus exurendos: atqui S. Hieron. reprehendit Critobolum &c. ergo &c.

Diſt. min. reprehendit Critobulum dicentem iniquos & peccatores æternis comburendos ignibus, eo nimirum quod hæc Pelagianorum propoſitio, ut lata nimis & plus æquo generalis, ſignificare videtur omnes omnino peccatores æternum perituros, C. eo quod ſignificat quoſdam peccatores æternis comburendos ignibus, & quaſi contendat Sanctus Hieronymus nullum peccatorem, aut certe nullum Chriſtianum pęnis addictum iri ſempiternis, N. ea itaque ſolum ex cauſa hanc Pelagii propoſitionem refellit Hieronymus, quod latius quam par eſſet patebat illa, ac proinde falſa: nimirum falſum eſt omnes reipſa peccatores ignibus concremandos æternis, Deumque nulli parciturum peccatori; quandoquidem bene multi ſunt eruntque etiam in die judicii vere peccatores, ſed nonniſi levioribus & venialibus obſtricti peccatis, quibus parcet Dominus, quique pęnis non plectentur ſempiternis; ſcilicet hæ duæ propoſitiones debent ſedulo diſtingui, *nulli peccatores damnabuntur*, & *non omnes peccatores damnabuntur*. Prior eſt Origenis & pridem proſcripta ab Eccleſia, poſterior eſt S. Hieronymi qui hoc unum pro virili docet contra Pelagium non omnes univerſe peccatores in æternum perituros. Non aliam autem fuiſſe S. Doctoris mentem multis invicte oſtenditur momentis.

Primum petitur ex variis ratiocinationibus quas urget Hieronymus in Pelagianum, eæ quippe omnes in hoc collimant, ut hanc propoſitionem impugnent tanquam late nimis patentem & peccatores levioribus tantum peccatis obſtrictos pęnis addicentem æternis.

1. Enim obſervat S. Hieronymus multum eſſe diſcriminis impium inter & peccatorem: *Omnis impius iniquus eſt & peccator, nec reciprocatur, ut poſſimus dicere, Omnis peccator & iniquus etiam impius*. Ut inde nimirum inferat ſolum impium pęnis puniendum æternis, ubi certe impium appellat quiſquis gravi & mortali coinquinatus eſt peccato; peccatorem vero quicunque leviorum duntaxat reus eſt delictorum; ſubdit enim illico ejuſmodi peccatum in iis eſſe quos Dominus flagellat & corripit, Deum vero corripere quos diligit; quæ profecto de hominibus mortalis peccati reis nemo ſanæ mentis interpretabitur.

2. Et aliud in eadem Critobuli propoſitione ratiocinium adhibet Hieronymus: *Si*, inquit, *peccatores & iniqui æternis ignibus exuruntur, non times ſententiam tuam, qui iniquum & peccatorem te eſſe dicis?* Quapropter eo plane ſenſu peccatores & iniquos ibi ſumit, quo ſe peccatores dicebant Pelagiani: ſed juxta mentem Hieronymi eo tantum ſenſu peccatores ſe dicebant Pelagiani, quod venialiter peccarent, quatenus ſepties cadit juſtus, & quia ſi quis dixerit ſe peccata non habere ipſe ſe ſeducit; hæc enim aliaque ſimilia ipſis exprobrat hoc in colloquio; unde non immerito ſic in illos hæreticos inſurgit argumento ad hominem; ſi, inquit, omnes peccatores æternis punientur pęnis, ergo & eadem vos manet pęna, eſtis enim peccatores, vobis ipſis conſentientibus: hoc porro ratiocinium, ſi non ineptit, manifeſte oſtendit S. Hieronymum, idcirco tantum refellere propoſitionem Pelagianorum, qua omnes peccatores dicebant igne concremandos æterno, quod nimirum pateret, & peccatores omnes etiam

pec-

Digitized by Google

peccatis tantum venialibus obſtrictos complectebatur.

3. Idem probat alia conſequentia qua non multo poſt eandem impugnat propoſitionem, *Ergo*, inquit, *ſolus ille ſalvetur, qui nunquam fuit nec eſt, ſed futurus eſt, aut forſan nec futurus eſt; & pereant omnes quos retro fuiſſe legimus*. Atqui niſi Pelagianam propoſitionem eo nomine carpit S. Hieronymus, quod univerſe omnes omnino homines, adeoque & venialibus ſolum peccatis obſtrictos tota qua patet magnitudine complectitur, plane inepta eſt & abſurda hæc conſequentia quam ex Pelagii propoſitione deducit S. Hieronymus, extiterunt enim multi aut per integrum vitæ curriculum, aut ſaltem in inſtanti mortis ab omni mortali peccato liberi: igitur.

Alterum momentum, quo certo colligere liceat hanc fuiſſe S. Hieronymi mentem, ex eo petitur, quod eadem ex cauſa hanc ipſam Pelagii propoſitionem improbarunt Patres Dioſpolitani, ut docet S. Auguſtinus lib. de geſtis Pelagii cap. 3. his verbis: *Item recitatum eſt quod in libro ſuo Pelagius poſuit, (in die judicii iniquis & peccatoribus non eſſe parcendum, ſed æternis eos ignibus exurendos). Quod ideo fratres moverat, ut objiciendum putaretur, quod ita dictum eſt, tanquam omnes peccatores æterno eſſent ſupplicio puniendi, non eis exceptis qui fundamentum habent* Chri*ſtum, quamvis ſuperædificent ligna, fœnum, ſtipulam, de quibus dicit Apoſtolus: ſi cujus opus exuſtum fuerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Sed cum reſpondiſſet Pelagius (hoc ſecundum Evangelium ſe dixiſſe, ubi dicitur de peccatoribus, illi ibunt in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam:) nullo modo potuit Chriſtianis judicibus Evangelica & Dominica diſplicere ſententia, neſcientibus quid in verbis de libro Pelagii prolatis moverit fratres, qui diſputationes ejus vel diſcipulorum ejus audire conſueverunt, quando his abſentibus qui libellum contra Pelagium ſancto Epiſcopo Eulogio dederunt, nullus urgebat, ut peccatores per ignem ſalvandos a peccatoribus æterno ſupplicio puniendis aliqua exceptione diſtingueret, & eo modo intelligentibus judicibus cur fueris illud objectum, ſi nollet diſtinguere, merito culpatur*.

Hic porro S. Auguſtini locus hanc noſtram reſponſionem mirum in modum explicat illuſtratque; ex eo quippe perſpicuum eſt, 1. Unam ex Pelagii propoſitionibus quæ Catholicos movebant, hanc fuiſſe, *in die judicii iniquis & peccatoribus non eſſe parcendum, ſed æternis eos ignibus exurendos*. 2. Eam hoc nomine improbatam a Catholicis, quod cum Apoſtoli doctrina pugnat, qui nonnullos putabat peccatores ſalvandos, de quibus nempe loquitur 1. ad Corint. cap. 15. qui fundamentum habent Chriſtum. 3. Hanc inſuper Pelagii propoſitionem a Catholicis condemnatam, eo præciſe quod omnes, nullis exceptis, peccatores complectebatur. 4. Et ex illo teſtimonio apparet, non alia prorſus arte imminentem Palæſtinorum Patrum condemnationem declinaſſe Pelagium, quam reſpondendo, *hoc ſecundum Evangelium ſe dixiſſe, ubi dicitur de peccatoribus, Illi ibunt in ſupplicium æternum*. Innuebat videlicet hac ſua fraudulenta interpretatione, nonniſi de magnis peccatoribus ſeſe locutum. Denique ipſe & proprio nomine obſervat Auguſtinus eo culpandam fuiſſe Pelagii propoſitionem, quod peccatores omnes ſine ulla exceptione æternum puniendos enuntiabat. Quibus ita poſitis jam nulla alia quærenda eſt ratio, cur Sanctus Hieronymus eandem ad verbum propoſitionem redarguat in Pelagio; mirumque videri debet nemini, ſi coætanei Scriptores circa idem effatum eodem afficiantur ſenſu.

Tertium addimus momentum ex eo ductum,

Digitized by Google

ductum, quod permulta ſuppetant diſerta & expreſſa in ſcriptis divi Hieronymi teſtimonia, quibus præclare omnino aſtruitur Catholicum de pœnarum æternitate dogma.

Sic v. g. in cap. 5. Iſaiæ verba, *dilatavit infernus animam ſuam*, hæc ſcribit, *quicquid de populo diximus Judæorum, tropologice referri poteſt ad eos, qui ſæculi deliciis occupati, nec reſpicientes opera Dei, captivi dicuntur in peccatum & non habent ſcientiam Dei: & idcirco fame & ſiti pereunt bonorum operum atque virtutum, & detrahentur in gehennam, ibique æternis cruciatibus deputati, potentiam & ſuperbiam miſeria cernent & humilitate mutari*.

Et diſertiſſime commentar. in Jonam Prophetam ad iſta verba cap. 3. *& pervenit verbum ad Regem Ninive, &c.* ſic habet, *ſed hoc quia Scriptura ſancta non dicit, & evertit penitus timorem Dei, dum facile homines labuntur ad vitia, putantes etiam diabolum qui autor malorum eſt & omnium peccatorum fons, acta pœnitentia poſſe ſalvari, de noſtris mentibus abjiciamus. Et ſciamus peccatores in Evangelio mitti in ignem æternum qui præparatus eſt diabolo & Angelis ejus; & de his dici, vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Scimus quidem clementem eſſe Deum, nec qui peccatores ſumus crudelitate illius delectamur, ſed legimus, miſericors & juſtus Dominus & Deus noſter miſeretur, juſtitia Dei vallatur miſericordia, & tali ad judicium ambitione procedit: ſic parcit ut judicet, ſic judicat ut miſereatur. Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt ſe. Alioquin ſi omnes rationabiles creaturæ aquales ſunt, & vel ex virtutibus, vel ex vitiis, ſponte propria aut ſurſum eriguntur, aut in ima merguntur, & longo poſt circuitu, atque infinitis ſæculis, omnium rerum reſtitutio fiet, & una dignitas militantium, quæ diſtantia erit inter virginem & proſtibulum? quæ differentia erit inter matrem Domini & (quod dictu quoque ſcelus eſt) victimas libidinum publicarum? idemne erit Gabriel & diabolus? idem Apoſtoli & dæmones? idem Propheta & Pſeudopropheta? idem martyres & perſecutores? finge quodlibet, annos & tempora duplica, & infinitas ætates congere cruciatibus: ſi finis omnium ſimilis eſt, præteritum omne pro nihilo eſt, quia non quærimus quid aliquando fuerimus, ſed quid ſemper futuri ſumus*. Quo in loco docet S. Hieronymus hanc Origenis de finiendis damnatorum ſuppliciis opinionem nuſpiam reperiri in Scripturis ſacris. 2. Argumentum petit ex eo quod in Evangelio ignis dicitur æternus, & ſupplicium æternum, tum vero ex illis apud Iſaiam: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. 3. Concludit, ſi quando poſt longum ſæculorum circuitum reſtitutio fiet reum omnium, jam nullum fore diſcrimen inter virginem & proſtibulum, Gabrielem & diabolum, &c.

Idem docet lib. 4. Commentar. in Matth. ad cap. 25. his verbis: *Prudens lector, attende quod & ſupplicia æterna ſint, & vita perpetua, metum deinceps non habeat ruinarum*.

Ad hæc, cuilibet notum eſt id erroris & Origeni & Origenis defenſoribus ubique paſſim aſcripſiſſe Hieronymum, peſſime nimirum de conditione & pœnis impiorum in altera vita ſenſiſſe, ut conſtat ex variis ejuſdem Epiſtolis, tum vero ex Apologia ſecunda adverſus Rufinum, ubi ſic iſtum alloquitur: *Quod autem imprecaris fratribus, hoc eſt criminatoribus tuis æternos ignes cum diabolo, non tam fratres mihi videris premere quam diabolum ſublevare: cum iiſdem, quibus homines Chriſtiani, ignibus puniendus ſit. Ignes autem æternos quos intelligere ſolet Origenes, puto quod te non fugiat, conſcientiam videlicet peccatorum & pruritudinem interna cordis*

urentem ; de qua & Eſaias loquitur , (vermis eorum non morietur , & ignis eorum non extinguetur .... Illud quoque teſtimonium in quo Dominus loquitur , Ignem veni mittere ſuper terram , & quam volo ut ardeat , ſic interpretatur , omnes cupio agere pœnitentiam , & excoquere Spiritu ſancto vitia atque peccata &c. Ubi Rufinum ſugillat Hieronymus quod , cum aperte profitebatur æternos fore damnatorum cruciatus , id ſolummodo intelligere videbatur ad ſenſum Origenis , qui de interno cordis pœnitudine & conſcientiæ ſtimulis hunc ignem pro more interpretabatur.

Inſtabis : S. Hieronymus citato contra Pelagianos dialogo quæcunque ad aſtruendam pœnarum æternitatem loca adducebat Pelagius , ſingula reſpuit : *Dicis enim* , inquit , *ſcriptum eſt in Pſalmo 103. deficiant peccatores &c.* ergo reipſa negabat pœnarum æternitatem.

Diſt. ant. reſpuit ut minus idonea ad mentem & doctrinam Pelagii confirmandam , C. quaſi putaſſet non alia in Scripturis ſuppetere quibus iſtud de pœnarum æternitate dogma ſtabiliri unquam poſſit , N. Vera & ſincera ſancti Doctoris mens intelligitur abunde ex iis ipſis rationibus quas ibidem urget in Pelagium , eo quippe duntaxat nomine illa reſpuit Scripturæ teſtimonia , quod in nullo expreſſe & diſerte legitur vox iſta , *æternum . Eſaias* , inquit , *de quo ponis teſtimonium* , *comburentur* , *inquit* , *peccatores & iniqui ſimul* , *non addidit* , *in æternum .* Aliunde vero agnoviſſe S. Hieronymum permulta eſſe in ſacris litteris teſtimonia , quæ certo & invicte æternas fore damnatorum pœnas demonſtrant , ſane conſtare debet cuipiam attente legenti quæ modo a nobis adducta ſunt.

Inſtabis : ille non cenſet omnes peccatores etiam peccatis mortalibus obſtrictos in æternum perituros , qui hunc Iſaiæ locum , *Comburentur peccatores & iniqui ſimul* , *& qui relinquunt Deum conſummabuntur* , de ſolis explicat hæreticis : atqui S. Hieronymus id de ſolis hæreticis interpretatur , *proprie hoc de hæreticis loquitur* , *qui rectum fidei tramitem relinquentes conſummabuntur* : ergo.

Negari primum poſſet major , tametſi enim exiſtimaverit S. Hieronymus hunc Iſaiæ locum ad ſolos pertinere hæreticos ; non inde tamen ſequitur eum non aliter demum cætera interpretari Scripturæ teſtimonia , quæ ad aſtruendam pœnarum æternitatem uſurpari ſolent ; adeo ut neminem præter hæreticos ignibus comburendum æternis putaverit.

Deinde vero diſt. min. de ſolis hæreticis interpretatur , utens argumento ad hominem contra Pelagium , C. quaſi reipſa exiſtimaret abſolute loquendo hoc effatum ad ſolos pertinere hæreticos , N. ſolutio hæc perſpicua eſt ex ipſo contextu , Pelagio enim præfatum Scripturæ locum objicienti lepide & jocoſe regerit S. Hieronymus , *proprie hoc de hæreticis loquitur .... quæ ſententia tibi parata eſt* . Sed non idcirco docet nullum alium peccatorem præter hæreticos æternis mancipandum pœnis.

At ; inquies , verbis immediate ſequentibus obſervat diſerte multum eſſe diſcriminis impium inter & peccatorem , non omnem peccatorem eſſe impium , tametſi omnis impius ſit peccator ; addit impietatem ad eos ſolum pertinere qui notitiam Dei non habent , vel cognitam tranſgreſſione mutarunt , hoc eſt ad Ethnicos & hæreticos ; ac demum in eo Pelagium redarguit quod temere cum impiis jungat peccatores ; *cujus eſt temeritatis iniquos & peccatores impiis jungere ?* in ea ſcilicet ſententia qua Deum in die judicii nemini parciturum affirmabat hæreſiarcha , ergo putabat S. Hieronymus ſolos hæreticos & paganos ſempiternis addictum iri ſuppliciis.

Diſt.

Diſt. ant. in eo Pelagium redarguit, quod cum impiis jungat peccatores, hoc intellecto de omnibus univerſe peccatoribus etiam peccato veniali obſtrictis, C. quaſi contendat alios omnes peccatores præter impios, hoc eſt præter Ethnicos & hæreticos, ab æternis pœnis fore immunes, N. patet ex dictis hujus reſponſionis veritas; inſurgit nempe Hieronymus in Pelagium eo quod propoſitionem efferebat plus æquo univerſalem, dicens omnes peccatores ignibus comburendos æternis; falſa eſt ejuſmodi propoſitio, inquit ſanctus Doctor; vera quidem foret, vel etiam ſic univerſe enuntiata, ſi de ſolis impiis intelligeretur, omnes enim impii in perpetuum damnabuntur; ſed falſa eſt, ſi de peccatoribus efferatur; neque enim omnes & ſinguli peccatores peribunt, non omnes æternis comburentur ignibus, quandoquidem inter peccatores quidam a Domino corripientur, flagellabuntur; ſunt qui nonniſi leviorum ſunt peccatorum rei, ſunt alii qui tametſi mortalibus teneantur delictis, pœnitentiam ſunt acturi; non omnes igitur peccatores damnabuntur, ecce hoc unum divi Hieronymi ratiocinium; ex quo certe minime ſequitur omnes peccatores ab æternis pœnis fore exemptos & immunes.

Nec moror quod ejuſmodi peccatores quos ab impiis ſecernit, ibidem dicat non reſurrecturos in concilio juſtorum, tum vero & gloriam reſurgendi perdituros, *neque peccatores in concilio juſtorum, aliud enim eſt gloriam perdere reſurgendi, aliud perire perpetuo.* Unde conſequi videtur per illos peccatores non modo S. Hieronymum eos intelligere qui levioribus obſtricti peccatis ſunt; iſti enim reſurgent in concilio juſtorum, nec reſurgendi gloriam perdent; ſed & alios quoſcumque peccatores præter Ethnicos & hæreticos, adeoque omnes Chriſtianos, etiam qui graviorum & mortalium peccatorum rei moriuntur, quos tamen diſerte affirmat in perpetuum non perituros. Scilicet hoc unum videtur ex iis confici poſſe in mente S. Hieronymi nonnullos peccatores extituros, qui nec reſurgant in concilio juſtorum, nec pereant in perpetuum juxta illud Pſalmiſtæ teſtimonium, *quoniam non reſurgunt impii in judicio, neque peccatores in concilio juſtorum.* Dubio procul eos intelligit qui levioribus coinquinati delictis non æquali cum perfectis & juſtis gloria fulgebunt in reſurrectione, unde addit, *aliud eſt enim gloriam perdere reſurgendi.* Sed illos peccatores non ſumit pro omnibus Chriſtianis, e quibus neminem unum putet æternis puniendum ſuppliciis.

Inſtabis: S. Hieronymus non multo poſt diſtinguit iterum impios a Chriſtianis, aitque impios ſine lege perituros in æternum, non itidem alios qui per legem judicabuntur: *Sine lege impius eſt qui in æternum peribit, in lege peccator credens in Deum qui per legem judicabitur & non peribit.* Tum vero & verbis expreſſis quæ ſequuntur eandemque continent difficultatem, Chriſtianos nominatim ait poſt pœnas ſalvandos: *Qui impios & prævaricatores dicimus perire perpetuo, & Chriſtianos, ſi in peccato præventi fuerint, ſalvandos eſſe poſt pœnas.* Putabat igitur omnes, ne uno quidem excepto, Chriſtianos poſt quaſdam piaculares pœnas ſalvandos, & neminem ex illis periturum.

Diſt. ant. ait Chriſtianos poſt pœnas tandem ſalvandos, hoc intellecto de quibuſdam Chriſtianis, C. de omnibus omnino & ſingulis, N. ſcilicet ex ſuſcepto ſemel conſilio pergit ſcribere Sanctus Hieronymus, falſum eſſe quod dixerat Pelagius, omnes peccatores æternis comburendos ignibus, Deumque nemini parciturum in die judicii, quia nempe nonnulli Chriſtiani ſalvabuntur poſt pœnas, etſi ſint peccatores & in peccatis, venialibus ſcilicet, præventi. In hoc quidem S. Hieronymi teſtimo-

Digitized by Google

nio non habetur *quoſdam* vel *nonnullos* Chriſtianos ſalvandos eſſe, ſed ſine addito; unde poſſet quiſpiam colligere non iſtam propoſitionem vel ipſo ſancto Doctore invito ac nolente, ad quoſdam tantum Chriſtianos reſtringere: verum ita demum accipiendam Sancti Hieronymi mentem abunde jam eſt a nobis demonſtratum, tum ex ſerie orationis, tum ex rationibus quas in refellenda Pelagii propoſitione adhibet; tum denique ex aliis paſſim teſtimoniis, ubi non modo Ethnicos & hæreticos, ſed & Chriſtianos nominatim æternis addicit pœnis.

Inſtabis denique: teſtatur ibidem S. Hieronymus in eo ſuam diſcrepare opinionem ab Origenis ſententia, quod nempe Origenes nec dæmones nec homines cenſeret æternum perituros, ipſe vero ſolos Chriſtianos poſt pœnas ſalvandos profitebatur: *Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non eſſe perdendas, & diabolo tribuit pœnitentiam, quid ad nos qui & diabolum & ſatellites ejus omnes, qui impios & prævaricatores dicimus perire perpetuo, & Chriſtianos, ſi in peccato præventi fuerint, ſalvandos eſſe poſt pœnas?* ergo reipſa omnes nullo excepto putabat ſalvandos eſſe Chriſtianos.

Nego conſeq. ut enim hac in parte plurimum diſtare ſe ab Origene perſpicue demonſtret S. Hieronymus, ſatis profecto eſt: ſi veriſſimum ſit quoſdam Chriſtianos tandem poſt piaculares pœnas ſalvandos, cum de omnibus & ſingulis Chriſtianis id intelligere minime neceſſe eſt: quid ad nos, inquit ſanctus Doctor, ſi Origenes, cujus mihi nunc objicis errorem, hoc in negotio tam turpiter eſt hallucinatus, is enim pœnas omnium & hominum & dæmonum cenſuit deſituras, quod nos nonniſi de Chriſtianis dicimus, quia nempe non omnes Chriſtiani æternum damnabuntur, quidam in peccatis venialibus præventi poſt pœnas ſalvabuntur; ſic tamen cum raciocinatur Hieronymus, neutiquam affirmat omnes penitus Chriſtianos poſt pęnas ſalvandos.

Objicies hæc ejuſdem S. Hieronymi verba in Comment. lib. 4. in Iſaiam cap. 14. *Omnes animæ apud inferos aliquam requiem accipient, tu ſolus in extremas tenebras relegaberis.* Ubi manifeſte docet omnes animas requiem in inferno accepturas.

Reſpondeo non ad propriam mentem hæc ſcribere S. Hieronymum, ut cuipiam hunc locum legenti aperte liquet: *Alii vero*, inquit, *locum iſtum ſic interpretantur, omnes animæ apud inferos, &c.* Hujus ergo non ſunt iſta verba. Præterquamquod his neutiquam negat pœnarum æternitatem, docet ad ſummum pejorem fore dæmonum in inferno quam damnatorum conditionem.

Objicies ea quæ ſcribit in eodem Commentario ad poſtremum Iſaiæ verſiculum. *Porro qui volunt*, inquit, *ſupplicia aliquando finiri, & licet poſt multa tempora, tamen terminum habere tormenta, his utuntur teſtimoniis, (cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Iſraël ſalvus fiet.)* Et iterum *(concluſit Deus omnia ſub peccato, ut omnibus miſereatur.) Et in alio loco ſanctus loquitur, (iram Domini ſuſtinebo &c.) Quæ omnia replicant aſſeverare cupientes poſt cruciatus atque tormenta, futura refrigeria: quæ nunc abſcondenda ſunt ab his quibus timor utilis eſt: ut dum ſupplicia reformidant, peccare deſiſtant. Quod nos Dei ſolius debemus ſcientiæ derelinquere, cujus non ſolum miſericordia, ſed & tormenta in pondere ſunt, & novit quem, quomodo aut quandiu debeat judicare. Solumque dicamus, quod humanæ convenit fragilitati (Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.) Et ſicut diaboli & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde ſuo, non eſt Deus, credimus æterna tormenta: ſi peccatorum atque impiorum, & tamen Chriſtianorum, quorum*

rum opera in igne probanda ſunt, moderatam arbitramur & miſtam clementiæ ſententiam judicis. Hic multa ſunt quæ Catholico dogmati de pœnarum æternitate magnopere adverſantur. 1. enim refert S. Hieronymus quorumdam opinionem, qui volunt ſupplicia aliquando finiri, tum vero & ea Scripturæ loca quæ ſolebant iſti in ſuæ cauſæ præſidium adducere; his tamen nihil quicquam reſpondet, ejuſmodi opinionem nec refellit nec habet ut erroneam 2. Rem docet ex ſola Dei voluntate ſuſpenſam, ejuſque ſolius ſcientiæ derelictam. 3. Non minus expreſſe quam in dialogo contra Pelagianos, pronuntiata æterna fore dæmonum ſupplicia, ſecus vero Chriſtianorum, quorum opera, inquit, in igne purgabuntur.

Reſpondeo nihil neceſſe eſſe in hac objectione diſjicienda diutius immorari, neque enim vel unico verbo pronuntiat S. Hieronymus æternas non fore damnatorum pœnas.

Ad primum quidem quod attinet, reipſa quorumdam opinionem dicentium ſupplicia aliquando deſitura non refellit, ſed neque etiam ejuſmodi doctrinam approbat; quin potius id reticendum putat, ut qui ſupplicia reformidant, peccare deſiſtant; *Quæ nunc*, inquit, *abſcondenda ſunt his quibus timor utilis eſt, ut dum ſupplicia reformidant, peccare deſiſtant.*

Quoad ſecundum, equidem rem docet nos Dei ſolius debere ſcientiæ derelinquere, ſed ibi quæſtionem non agitat de ipſa pœnarum æternitate, an ſempiternæ futuræ ſint necne, ut ipſe aperte declarat, poſt iſta quippe verba, *quod nos Dei ſolius debemus ſcientiæ derelinquere;* ſubdit illico, *cujus non ſolum miſericordiæ, ſed & tormenta in pondere ſunt, & novit quem, quomodo aut quandiu debeat judicare.* Ubi non de æternitate, ſed de modo & qualitate ſuppliciorum ſermonem habet Hieronymus, cum rem in ambiguo ſuſpenſam divinæ committit ſcientiæ.

Tertium denique momentum, cæteris paulo gravius eſſe videtur, non tamen invicte perſuadet opinatum fuiſſe Hieronymum æterna non fore Chriſtianorum ſupplicia; tum quia haud immerito conjici poteſt, eum ita de Chriſtianis locutum, ut ſolummodo contenderet non omnes Chriſtianos æternis adductum iri tormentis, ut fuſe docuit in præfato dialogo adverſus Pelagianos; tum quia non affirmat ſanctus Doctor horum tormenta aliquando deſitura, ſed ſolum arbitrari ſe moderatam fore, & mixtam clementiæ ſententiam judicis.

Objicies hæc ejuſdem S. Hieronymi verba Comment. in cap. 1. Nahum: *Quod ſi vobis videtur crudelis Deus, rigidus & cruentus, quod in diluvio genus delevit humanum, ſuper Sodomam & Gomorram ignem & ſulphurem pluit, Ægyptios ſubmerſit fluctibus, Iſraelitarum cadavera proſtravit in eremo: ſcitote eum ideo ad præſens reddidiſſe ſupplicia, ne in æternum puniret. Certe aut vera ſunt quæ Propheta loquuntur, aut falſa. Si vera ſunt, quæ de ſeveritate ejus videntur dicere; ipſi dixerunt, non vindicabit Dominus bis in idipſum in tribulatione. Si autem falſa ſunt, & falſum eſt hoc quod dicitur, non conſurget duplex tribulatio, falſa eſt ergo & crudelitas quæ in lege deſcripta eſt. Quod ſi verum eſt (ut negare non poterunt, dicente propheta: Non vindicabit Dominus bis in idipſum in tribulatione)* ergo *puniti ſunt, poſtea non punientur. Si autem illi poſtea punientur, Scriptura mentitur, quod dicere nefas eſt. Receperunt ergo, & qui in diluvio perierant, & Sodomitæ & Ægyptii & Iſraelitæ in ſolitudine, mala ſua in vita ſua. Quærat hic aliquis, ſi fidelis deprehenſus in adulterio decolletur, quid de eo poſtea fiet: aut enim punietur & falſum eſt hoc quod dicitur, non vindicabit Dominus bis in idipſum*

in

Digitized by Google

in tribulatione, aut non punietur; & optandum eſt adulteris, ut impræſentiarum brevi & cita pœna cruciatibus fruſtrentur æternis; ad quod reſpondebimus Deum ut omnium rerum, ita & ſuppliciorum quoque ſcire menſuras, & non præveniri ſententia judicis; nec illi in peccatorem exercendæ dehinc pœnæ auferri poteſtatem, & magnum peccatum magnis diuturniſque elui cruciatibus. Ex quibus ſic argumentum confici poteſt; affirmat S. Hieronymus juxta hunc Prophetæ verſiculum (non vindicabit bis in idipſum) idcirco Sodomitas & Ægyptios in hac vita ſuppliciis affectos, ne in æternum punirentur: ergo reipſa putabat peccatores graviſſimis & mortalibus peccatis obſtrictos, quando e vivis exceſſerint, pœnas non paſſuros ſempiternas.

Reſpondeo primum eo nomine plane nihil conficere hoc argumentum, quod, ut ajunt, nimis probat; ſiquidem ex eo manifeſte ſequitur cenſuiſſe S. Hieronymum non modo Chriſtianos, ſed & impios quoque, Idololatras atque Ethnicos ita in fine mundi purgandos, ut pœnis non afficiantur æternis, in hoc enim ſuo teſtimonio Sodomitas eximere videtur ab ejuſmodi pœnis uti & Ægyptios. Sed quam vehementer id cum ejus ſententia pugnet, facile quiſpiam crediderit, ſi ad ejuſdem S. Hieronymi teſtimonia ſuperius adducta reſpicere aliquantiſper voluerit; ubique enim impios atque Ethnicos diſtinguit a Chriſtianis, aperte declarans illos æternum perituros, ſolos Chriſtianos poſt pœnas tandem ſalvandos.

Reſpondeo 2. diſt. ant. ne in æternum punirentur propter idipſum quod ſupponitur purgatum in hac vita, C. propter idem peccatum, quaſi pœnam ſolummodo temporalem ſubierint Sodomitæ, N. id unum itaque contendit S. Hieronymus (ſi tamen ipſius ſint hæc verba quæ propoſitam difficultatem continent;) Deum, quoniam non vindicat bis in idipſum, in peccatoribus hoc ipſum non punire in altera vita, quod jam in iſta beneficio alicujus tribulationis expurgaverit; hoc eſt eundem peccati gradum non punire, tametſi in idem peccatum animadvertat; totus eſt enim ut oſtendat Deum non eſſe iniquum & crudelem, adeoque bis non vindicare in idipſum; quod ut præſtet ſanctus Doctor, ſatis eſſe puto cum dixiſſe, idcirco Sodomitas & Ægyptios pœnas in præſenti vita dediſſe, ne Deus in æternum eos puniret, ad ſenſum ſcilicet mox adductum.

Certe in ea opinione verſatum non fuiſſe S. Hieronymum, nunquam puniri in altera vita peccatum quod in iſta jam fuerit temporali tribulatione vindicatum, manifeſte liquet ex ea reſponſione qua ſolvit propoſitam ſibi difficultatem de adultero decollato, etenim quæſtione in utramque partem agitata, an ſcilicet iterum punietur hic adulter in futuro ſæculo necne, reſpondet Deum, *ut omnium rerum, ita & ſuppliciorum quoque ſcire menſuras, & non præveniri ſententia judicis, nec illi in peccatorem exercendæ dehinc pœnæ poteſtatem auferri, & magnum peccatum magnis diuturniſque elui cruciatibus.* Ubi manifeſte declarat hominem, poſtquam in hac vita judicis ſubierit ſententiam, magnis tamen & diuturnis puniendum cruciatibus. Addit vero non ita futurum, ſi ſermo eſſet de peccatis venialibus: *Si quis autem*, inquit, *punitus ſit, ut ille in lege qui Iſraelitis maledixerat, & qui in ſabbato ligna collegerat, tales poſtea non puniri, quia culpa levis præſenti ſupplicio compenſata ſit.*

Reſpondeo inſuper nihil eſſe, cur cenſeatur S. Hieronymus eo loci negare pœnarum æternitatem propter hocce teſtimonium ſuperius adductum; ſiquidem exiſtimare potuit tantis quandoque tamque horrendis cruciatibus elui hoc in ſæculo nonnulla hominum peccata, ut omnino abſterſa ſint atque purgata; quod ſane & de Sodomitis igne & ſul-

phu-

Digitized by Google

phure devoratis, & de adultero quodam decollato ſuſpicari facile potuit, vim propterea nullam inferens catholico de pœnis æternis dogmati.

Objicies denique hoc aliud teſtimonium, quod legitur Comment. in c. 1. Epiſtolæ ad Epheſ. *Alius vero*, inquit, *hoc dogma non ſuſtinens, quod ante fuerimus & ſupraverimus in Chriſto, quam in iſto corpore deperemus, illo intelligentiam transferet, ut dicat in adventu Domini ſalvatoris, quando in nomine ejus omne genu flectetur cœleſtium, terreſtrium, infernorum, & omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris, cum ei fuerint univerſa ſubjecta, alios neceſſitate ſubjiciendo &c.* Quamobrem Hieronymus notatur a Rufino, quaſi reipſa diabolum docuerit, cæteroſque peccatores expletis aliquot annorum ſæculis non modo veniam acceptoros delictorum, ſed & cœleſtia tandem conſecuturos præmia.

Verum S. Hieronymus hanc ipſe injuſtam depulit calumniam Apologia 1. contra Rufinum cap. 4. ubi profitetur hæc ſua non eſſe propria verba, ſed alterius quem in illo commentario diſſerentem inducit: *Ego in commentariis ad Epheſios ſic Origenem, & Didymum, & Apollinarium ſecutus ſum, qui certe contraria inter ſe habent dogmata, ut fidei meæ non amitterem veritatem. Commentarii quid operis habent? alterius dicta ediſſerunt, quæ obſcure ſcripta ſunt, plano ſermone manifeſtant, multorum ſententias replicant, & dicunt, hunc locum quidam ſic ediſſerunt, alii ſic interpretantur, illi ſenſum ſuum & intelligentiam his teſtimoniis & hac nituntur ratione firmare, ut prudens lector, cum diverſas explanationes legerit, & multorum vel probanda vel improbanda didicerit, judicet quid verius ſit & quaſi bonus trapezita, adulterinæ monetæ pecuniam reprobet. Num diverſæ interpretationis & contrariorum inter ſe ſenſuum tenebitur reus, qui in uno opere quod ediſſerit, expoſitiones poſuerit plurimum?* quod ipſum ex ipſius Commentarii lectione ſatis ſuperque intelligitur.

His vero S. Hieronymi teſtimoniis ſic demum expoſitis, adeo ut cuipiam minime præoccupato manifeſte pateat, ea ipſa loca quæ prima fronte catholicam fidem impetere videntur, excuſſa tamen diligentius vix illius eſſe momenti; ſtupeo ſupinam quorumdam cætera Catholicorum & ſingulari eruditione clariſſimorum indiligentiam, qui nimirum aut nuſpiam aut non ſatis accurate perpenſis divi Hieronymi ſcriptis, eum facile concedunt hoc in negotio turpiter hallucinatum, quaſi nempe aut conſtantem Eccleſiæ Catholicæ de pœnis æternis fidem ignoraverit profundiſſimus Doctor, aut ſibi cognitam (quod longe pejus fuiſſet) violare non dubitaverit; ita vero male de ſancto Hieronymo ſenſerunt Petavius Theolog. dogmatum l. 3. de Angelis c. 7. Daniel Huetius Origenianorum lib. 2. num. 25. Joannes Garnerius in notis ad Marium Mercatorem pag. 116. & PP. Benedictini in ſuis pariter notis ad opera Sancti Ambroſii tom. 1. pag. 763. quos libenter hic appello, ut caute ſuper ea re legantur eorum opera plena certe eruditionis & litteraturæ, ſed in quibus id vitii nonnunquam retinent; ut, ne Patrum dicta aliorſum trahere & contorquere videatur, ea venire in ſuſpicionem falſitatis aut etiam erroris nimium candide fatentur.

Atque cum putat Garnerius loco mox citato, de Hieronymo locutum fuiſſe Auguſtinum in Enchiridio cap. 67. his verbis: *Creduntur a quibuſdam etiam ii qui nomen Chriſti non relinquunt, & ejus lavacro in Eccleſia baptizantur, nec ab ea ullo ſchiſmate vel hæreſi præciduntur, in quantislibet ſceleribus vivant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemoſynis redimant, ſed in eis uſque ad hujus vitæ ultimum diem pertinaciſſime perſeverent, ſalvi futuri per ignem, licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque diuturno,* non

non tamen æterno igne puniri . Sed qui hoc credunt & tamen Catholici ſunt , humana quadam benevolentia mihi falli videntur , nam Scriptura divina aliud conſulta reſpondet . Librum autem de hac quæſtione ſcripſi , cujus titulus eſt , De fide & operibus &c. Vana certe fuit hac in parte Garnerii ſuſpicio, ut cuilibet ſtatim perſuaſum erit paulo diligentius inſpicienti initium libri *de fide & operibus* , ex eo quippe apparet eos ipſos de quibus loquitur Auguſtinus in præfato Enchiridii teſtimonio , in triplici tunc verſatos errore ; 1. enim ad baptiſmum omnes citra diſcrimen admittendos ſentiebat . 2. Morum doctrinam nonniſi poſt baptiſmum eſſe omnibus tradendam . 3. Propter fidem chriſtianam ſalvandos aliquando omnes baptizatos , tametſi mores quantumlibet malos per pœnitentiam non correxerint : *Quibuſdam* , inquit , *videtur indiſcrete omnes admittendos eſſe ad lavacrum regenerationis &c* quia vero nec primus nec ſecundus error tribui poteſt S. Hieronymum ſane mihi videtur hoc commentum ita placuiſſe Garnerio, ut tertium ei aſcribere non dubitaverit .

Quibus adde præter omnem veriſimilitudinis ſpeciem deſignatum cenſeri Hieronymum his Auguſtini locutionibus , ſcilicet in Enchiridio : *Credantur a quibuſdam etiam ii qui nomen Chriſti non relinquunt , & ejus lavacro in Eccleſia baptizantur &c.* & loco mox citato , *quibuſdam videtur indiſcrete* , ubi non quemdam in plurali intendit, ſed quoſdam . Sed quod longe validius eſt , lib. 2. retract. cap. 28. eo ſub nomine laicorum deſignat : *Cum accepiſſet miſſa a quibuſdam fratribus , laicis quidem , ſed divinorum eloquiorum ſtudioſis , ſcripta nonnulla &c.* Jam vero contendere cum Garnerio laicos illos a quibus ſcripta Auguſtinus accepit , non alios eſſe quam Hieronymi ſtudioſos , id eſt , vel Marcellinum Tribunum , vel nobiles Roma in Paleſtinam profugos , qui ad Auguſtinum ea miſerunt ſcripta quæ Hieronymus ſive in Iſayam ediderat , ſive in Epiſtolas Pauli , profecto ariolari eſt .

Objicies auctoritatem Prudentii libro Cathemerinon Hymno quinto hæc ſcribentis , verſu 125.

Sunt & ſpiritibus ſæpe nocentibus
Pœnarum celebres ſub ſtyge feriæ
Illa nocte , ſacer qua reddit Deus
Stagnis ad ſuperos ex Acheronticis . . .
Marcent ſuppliciis tartara mitibus ,
Exultatque ſui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus ,
Nec fervent ſolito flumina ſulphure .

Verum id unum colligi poteſt ex iſtis Prudentii carminibus , futurum aliquando , ut nonnihil relaxationibus indulgeatur damnatorum ſuppliciis , nihil etenim aliud ſignificant hæc verba . Cum præſertim catholicum dogma de pœnarum æternitate apertiſſime tradiderit in alio opere quod inſcribitur *Hamarti genia* , ubi ſic habetur verſu hexametro ,

Vermibus & flammis & diſcruciatibus ævum
Immortale dedit , ſenio ne pœna periret ,
Non pereunte anima , carpunt tormenta , foventque
Materiam ſine ſine datam , mors deſerit ipſa
Æternos gemitus , & flentes vivere cogit .

Neque ſolus apud veteres docuit Prudentius ipſas etiam damnatorum animas reſpirationis aliquid & laxamenti habituras, hoc ipſum enim ſentire videntur Auguſtinus & Chryſoſtomus . Ille quidem in Enchiridio cap. 1000. his verbis : *Cum ergo ſacrificia ſive altaris , ſive quarumcumque eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur , pro valde bonis gratiarum actiones ſunt , pro non valde malis propitiationes ſunt ; pro valde malis etſi nulla ſunt adjumenta mortuorum , qualeſcunque vivorum conſolationes ſunt . Quibus autem proſunt*

aut ,

aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio, aut certe tolerabilior fiat ipſa damnatio. Et cap. 112. *Sed pœnas damnatorum certis temporum intervallis exiſtiment, ſi hoc eis placet, aliquatenus mitigari. Etiam ſic quippe intelligi poteſt manere in illis ira Dei, hoc eſt ipſa damnatio. Hæc enim vocatur ira Dei, non divini animi perturbatio: ut in ira ſua, hoc eſt manente ira ſua, non tamen contineat miſerationes ſuas, non æterno ſupplicio dando, ſed levamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus*.

Sanctus item Chryſoſtomus homil. 3. in Epiſt. ad Philippenſes verba faciens de hominibus damnatis, ſignificat per fidelium preces & eleemoſynas nonnullo tandem ſolatio eos juvari poſſe: *Hos igitur lugeamus, opem pro viribus feramus, aliquod ipſis auxilium comparemus, exiguum illud quidem, ſed quod tamen auxiliari queat. Quomodo, grave ratione, cum ipſi preces fundentes, tum alios, ut pro ipſis fundant, obſecrantes, ac pro ipſis perpetuo dantes eleemoſynas pauperibus affert ea res aliquid ſolatii*. Mox vero de Catechumenis aliter ratiocinatur: *Atque id quidem de iis qui in fide deceſſerunt; Catechumeni vero neque hac dignantur conſolatione, ſed omni auxilio ſunt deſtituti, uno tantum excepto. Quale vero hoc? licet pauperibus pro ipſis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis*.

Hæc porro nonnullorum antiquiorum ſententia, qua nempe damnatos putarunt nonnihil ſublevandos vivorum precibus & eleemoſynis, nec quicquam catholico dogmati de pœnarum æternitate nocet, nec, ut ſapienter monet Petavius, tanquam abſurda & temeraria reputari debet, eo nimirum quod nihil adhuc certi quoad illam damnatorum reſpirationem tunc fuerat ab Eccleſia Catholica definitum, quamvis a communi Catholicorum conſenſu hoc tempore multum aliena ſit, neque enim conſuevit Eccleſia pro damnatis orare, quod dubio procul faceret, ſi levari ſaltem & nonnihil mitigari poſſent eorum ſupplicia.

Objicies: S. Petrus Chryſol. ſerm. 123. loquens de inferno, ubi detinentur animæ, hiſque adductis Abrahæ verbis: *Neque hinc ad vos tranſire, neque huc tranſmeare quis poteſt;* ſic habet: *Terret, fratres, terret minis hujus vocis auditus, quæ oſtendit poſt mortem & ſemel apud inferos pœnali cuſtodia deputatos ad ſanctorum quietem non poſſe transferri, niſi Chriſti gratia jam redempti, ab hac deſperatione ſanctæ Eccleſiæ interceſſione ſolvantur*. Unde ſic argumentum eſt: Is negat pœnarum æternitatem, qui ſupponit impiorum animas in inferno detentas exire inde poſſe precibus ſanctæ Eccleſiæ; atqui S. Petrus Chryſologus ſupponit &c.: ergo &c.

Diſt. min. & per infernum intelligit limbos & purgatorium, C. proprie locum damnatis deſtinatum, N. id nimirum veriſimile ſit, & quia introducit ibi Abrahamum de eo loco loquentem, in quem deſcenderat Chriſtus, animas veterum Patriarcharum liberaturus, & quia nomen inferni pro limbis centies uſurpat his in ſermonibus quatuor de Divite & Lazaro.

His addde quod non multo ante dixerat Chriſtum illuc deſcendiſſe ut juſtos abſolveret, non ut injuſtos, *quando*, inquit, *Chriſtus ut juſtos, non injuſtos abſolveret, ad inferos uſque penetravit*. Putabat igitur homines injuſtos nunquam abſolvendos. Idque confirmatur inſuper ex eo quod pœnarum æternitatem diſerte aſſerit ſermone ſequenti verba faciens de divite Epulone: *Miſer accepit ante animæ, quam corporis ſepulturam, nec ante quieti corporis quam pœnali traditus eſt ſepulchro ut vivat pœnæ ſemper, cum ſit ſemel mortuus vitæ .... ſi eſt infernus ſine fine crucians, ſi eſt apparitor iſtis qui nos ad iſta rapiat poſt ſæculi labores, quid ſtupemus?*

Objicies: animas damnatorum ab inferno plerumque extrahendas juxta communem Eccleſiæ doctrinam, liquet manifeſte ex precibus quæ funduntur in Miſſa pro defunctis: *Libera, Domine, animas omnium fidelium de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus.* Quæ quidem verba ſupponunt pœnas damnatorum in inferno non fore ſempiternas.

Id vero abunde confirmari poteſt innumeris propemodum exemplis, quæ ſuppeditat hiſtoria Eccleſiaſtica, quibus nimirum apparet oraſſe nonnunquam Cœlites pro damnatis hominibus, eorumque liberationem impetraſſe.

Legitur apud S. Auguſtinum lib. 3. de anima & ejus origine cap. 9. Dinocratem quemdam ſanctæ Perpetuæ fratrem, ſororis precibus liberatum de pœnis inferni.

Refert idem ſanctus Doctor ſermone 323. & 324. quemadmodum mulier quædam filium infantem & catechumenum, nondum ſuſcepto baptiſmate mortuum, precibus ſuis per interceſſionem ſancti Stephani Protomartyris impetraverit ad horam redivivum, ſatis ut baptiſmate donaretur.

Meminit Joannes Diaconus in vita S. Gregorii M. lib. 2. cap. 44. Trajanum Imperatorem hujus ſummi Pontificis precibus ab inferis extractum. Quod idem teſtantur S. Joannes Damaſcenus orat. de fidelibus defunctis, S. Thomas in ſupplemento q. 73. art. 5. ad 5. aliique graviſſimi & probatæ fidei autores. Ipſe Gregorius narrat lib. 2. dialogorum cap. 23. ſanctum Benedictum juſſiſſe, ut pro duabus mulieribus in excommunicatione defunctis offerretur ſacrificium Miſſæ, tum vero eas fuiſſe ejuſmodi excommunicatione ſolutas. Leguntur denique & alia infinita iſtiuſmodi exempla in vitis ſanctorum, quæ longum eſſet nimis atque moleſtum hic exſcribere.

Huic argumento, quod nimirum ex publicis Eccleſiæ precibus ſumitur, jam reſpondimus in alio ſed proprie ſimili caſu, ſcilicet in tractatu noſtro de attributis, ubi Millenariorum doctrinam confutavimus: reſpondimus, inquam, eo ſolum tendere ejuſmodi precationum formulam quæ canitur in ofertorio Miſſæ pro defunctis. *Libera, Domine, animas omnium &c.* Ut fidelium defunctorum animæ liberentur a pœnis purgatorii. Neque eſt quod vim faciat quiſpiam in his verbis, *de pœnis inferni*, quæ locum & pœnas damnatorum expreſſe deſignant, ſiquidem ætate noſtra nemo mediocriter quidem doctus ignorat, ejuſmodi verba ad mortuos non fuiſſe primum traducta, ſed in officium quod eſt pro defunctis irrepſiſſe precationem illam quæ tantummodo in commendatione animæ in extremis poſitæ olim fundebatur: quamobrem legitur præfata oratio in quibuſdam antiquioribus Mſſ. codicibus, ut a multis eruditis mihi relatum eſt, ſic inſcripta, *Oratio pro agonizantibus*.

Quod ſpectat exempla quæ quidam poſtea in confirmationem adducuntur, reſpondeo ea non eſſe ſatis authentica quam ut in præſenti materia proferantur, in qua nimirum de aliquo catholicæ fidei dogmate agitur, ſic vero hanc eandem difficultatem ſolvit S. Auguſtinus loco mox citato lib. 3. de origine animæ cap. 9. cum enim quidam Victor ibi contendens, *infantes antequam baptizentur, morte præventos pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum*; hoc adduxiſſet argumentum ex Dinocrate petitum, qui ad ſororis ſuæ ſanctæ Perpetuæ preces dicitur liberatus, reſpondet ſanctus Doctor. in hujuſmodi quæſtionibus non alia quam Scripturarum proferenda eſſe teſtimonia: *Quanquam*, inquit, *ipſa lectio non ſit in eo canone Scripturarum, unde hujuſmodi quæſtionibus teſtimonia proferenda ſunt*. Cui raciocinandi principio, quod ut

ut certiſſimum & fundatiſſimum tenere quiſpiam debet Theologiæ ſtudioſus, addit ibidem Auguſtinus non omnino conſtare, an Dinocrates fuerit baptizatus antequam e vivis excederet.

Quod de Trajani liberatione afferri ſolet aperte fabuloſum eſſe jam nihil habet dubitationis apud omnes eruditos; ſcilicet hiſtoria hæc nititur primum Joannis Diaconi narratione; is fidem hanc in parte nullam meretur, qui nempe annis poſt S. Gregorii tempora trecentis vixit; nititur inſuper teſtimonio S. Joannis Damaſceni in oratione de fidelibus defunctis; ſed iſtud opus Damaſceno jam omnes vel ex eo nomine abjudicant, quod contrariam penitus doctrinam tradit l. 2. de fide orthodoxa cap. 4. his verbis: *illud etiam ſcire non alienum fuerit quod hominibus mors eſt, hoc Angelis lapſum extitiſſe. Poſt lapſum enim præcluſa jam eſt illis omnis reſipiſcendi facultas, quemadmodum & hominibus poſtquam ex vita migrarunt*. Nititur denique authoritate Sancti Thomæ & quorumdam aliorum, nempe S. Antonini 1. p. chronici titulo 7. cap. 3. Vincentii Bellovacenſis in ſpeculo hiſtoriali lib. 10. cap. 68. Gerſonii in ſermone ad Regem Franciæ, Toſtati Abulenſis in 4. Regum ad c. 4. q. 57. &c. ſed nefas minime putem affirmare deceptos hac in parte præfatos auctores. Inſigne eſt & ad iſtam rem ſatis accommodatum quod ſcribit Melchior Canus lib. 11. de locis Theologicis cap. 2. *Certe*, inquit, *quantum hiſtoriæ cognitione Theologus indigeat, vel illi abunde magno argumento ſunt, qui ejus ignoratione ſunt in varios errores prolapſi. Hujus generis quidam exemplum ponunt quod Trajanum Gregorii precibus a gehenna liberatum, non vulgo ſolum, ſed divo etiam Thomæ olim juveni perſuaſum eſt . . . Nec vero hiſtoriam ego illam probo*. Jam vero qui hoc de negotio plura ſcire voluerit, hiſtoriæ ſcriptores conſulat, neque enim eorum accurata diſquiſitio præſentis eſt inſtituti.

Addimus falſitatem hujus hiſtoriæ ex eo abunde poſſe deprehendi, quod nemo luculentius irrevocabilem pœnarum æternitatem aſtruit, quam S. Gregorius M. hæc nimirum ſcribens lib. 34. Moralium cap. 16. *Sunt enim nunc etiam, qui idcirco peccatis ſuis ponere finem negligunt, quia habere quandoque finem futura ſuper ſe judicia ſuſpicantur. Quibus breviter reſpondemus: ſi quandoque finienda ſunt ſupplicia reproborum, quandoque finienda ſunt ergo & gaudia beatorum. Per ſemetipſum namque veritas dicit; Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam. Si igitur hoc verum non eſt quod minatus eſt, neque illud verum eſt quod promiſit. At, inquiunt, ideo æternam pœnam peccantibus minatus eſt, ut eos a peccatorum perpetratione compeſceret, quia creaturæ ſuæ æterna ſupplicia minari debuit non inferre. Quibus citius reſpondemus, ſi falſa minatus eſt, ut ab injuſtitia corrigeret, etiam falſa pollicitus eſt ut ad juſtitiam provocaret*.

Eſt autem alia reſponſio qua nempe dicimus ex ejuſmodi exemplis, quanquam veriſſima ſupponantur, nihil quicquam inferri adverſus catholicam de pœnis æternis fidem & doctrinam, hæc enim ex ſingulari & plane mirabili Dei voluntate contra communem ab eo latam & nobis revelatam ſententiam factum fuiſſet: quo ſenſu interpretari poſſumus id quod denarrat S. Auguſtinus ſermon. 323. & 324. quemadmodum & quaſdam alias propriæ ſimiles hiſtorias, quæ apud eos auctores quibus fidem omnino derogare nolumus, deſcriptæ reperiuntur.

Eſtius in lib. 4. Sententiar. reſpondet ejuſmodi homines in iis quæ vera ſunt exemplis, non fuiſſe ſimpliciter damnatos, ſed extraordinarie ſententiam eorum a judice fuiſſe ſuſpenſam, ſanctos autem divino quodam inſtinctu,

quo etiam miracula faciebant, pro iis ut ad vitam revocati per fidem, & pœnitentiam ſalvarentur, oraſſe. Sed meo quidem judicio, levis eſt iſta nulloque penitus fundamento innixa Eſtii conjectura.

Objicies: peccati menſuræ correſpondere debet pœna quæ infligitur propter illud peccatum, ut non obſcure declaratur in Scripturis, Deuteronom. 25. *Pro menſura peccati, erit & plagarum modus*. Apocalypſ. 18. *Quantum glorificavit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*. Præterquamquod citra impietatem dici non poſſet Deus iniquus ſcelerum judex & ultor: atqui nulla ſervaretur menſura ſi pro peccato unius inſtantis, ſi pro peccato momentaneo pœna infligeretur æterna: igitur pœnæ damnatorum non erunt ſempiternæ.

Diſt. maj. ſecundum aliquam proportionem, C. ſecundum omnem proportionem, N. debet igitur eſſe aliqua proportio peccatum inter & pœnam, quatenus pro graviori peccato major infligi debet pœna, minor vero pro leviori; ſed iſta demum penſitari non debent ſecundum proportionem omnem, quæ ſumatur etiam penes temporis æqualitatem; ſequeretur enim inde vix ullam inter homines ſervari juſtitiam, cum pœnæ pro ſceleribus commiſſis repetuntur a judicibus; nam quotidie contingit ut pro homicidio quod unico inſtanti fuit perpetratum, pœna quaſi infinita, ſcilicet rei mors ipſa exigatur. Ratio eſt inſuper, quia bonum opus tametſi momentaneum, quale eſt v. g. martyrium, gloria donatur æterna: poteſt igitur momentaneum quoddam peccatum æterno viciſſim puniri ſupplicio ab æquiſſimo judice.

Hanc porro eandem ſimiliter difficultatem ſolvit S. Auguſtinus lib. 21. de civit. Dei cap. 11. *Quidam eorum*, inquit, *injuſtum putant, ut pro peccatis quamlibet magnis parvo ſcilicet tempore perpetratis, pœna quiſque damnetur æterna, quaſi ullius id unquam juſtitia legis attendat: ut tanta mora temporis quiſque puniatur, quanta mora temporis unde puniretur admiſit. Octo genera pœnarum in legibus eſſe ſcribit Tullius, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, ſervitutem. Quid horum eſt quod in breve tempus pro cujuſque peccati celeritate coarctetur, ut tanta vindicetur morula quanta deprehenditur perpetratum?*

Sunt qui dicant peccatum mortale æternum eſſe atque infinitum ratione affectus peccantis, quatenus videlicet qui peccat ſic animo affectus eſt, ut peccatum cupiat eſſe perpetuum, quo plane modo ratiocinatur S. Gregorius M. loco mox citato lib. 34. Moral. cap. 16. ubi ſic loquitur. *At, inquiunt, ſine fine puniri non debet culpa cum fine . . . . quibus citius reſpondemus, quod recte dicerent, ſi judex juſtus non corda hominum, ſed facta penſaret. Iniqui enim ideo tunc cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt, voluiſſent quippe ſine fine vivere, ut ſine fine potuiſſent in iniquitatibus permanere. Nam magis appetunt peccare quam vivere, & ideo hic ſemper vivere cupiunt, ut nunquam deſinant peccare cum vivunt. Ad diſtricti ergo judicis juſtitiam pertinet ut nunquam careant ſupplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato.*

Inſtabis: non magis peccato debetur pœna quæ ſit infinita intenſive, & quoad durationem quæ ſit infinita extenſive: ſed nemo dixerit peccatum puniri pœna infinita intenſive: ergo.

Nego maj. & par. diſparitas eſt, quia pœna infinita intenſive non eſt poſſibilis, ut per ſe patet; at vero pœna infinita extenſive, ſeu æterna, eſt maxime poſſibilis.

IN-

INDEX

QUÆSTIONUM ET CONCLUSIONUM

Tractatus de Peccatis.

N*Omen & definitio peccati*. pag. 1.
Utrum omne peccatum eo ſit peccatum quo lege probibitum eſt. 6
Concluſio. *Non omnia peccata ideo ſunt peccata, quia lege æterna vel divina prohibentur*. 7
Quotuplex ſit peccatum. 9
De peccato originali. 10
De exiſtentia peccati originalis. ibid.
Concluſio. *Eſt hoc fundatiſſimum Eccleſiæ Catholicæ dogma in omnes & ſingulos homines, vel etiam infantes peccatum Adæ non per imitationem, ſed per veram propagationem fuiſſe transfuſum*. 14
Idem dogma probatur ex ſanctis Patribus. 20
Aſſeritur idem dogma ex Conciliis & ſummis Pontificibus. 29
Eadem veritas Catholica probatur ratione. 31
Solvuntur objectiones ex Scripturis, & ratione petitæ. 34
Solvuntur objectiones e SS. Patrum teſtimoniis petitæ. 46
Expenditur ſententia Tertulliani. ibid.
Expenditur ſententia S. Clementis Alexandrini. 48
Expenditur ſententia Origenis. 52
Expenditur ſententia S. Optati, S. Hieronymi, & Arnobii. 56
Expenditur ſententia S. Athanaſii, S. Baſilii, S. Gregorii Niſſeni. 59
Expenditur ſententia Sancti Chryſoſtomi. 61
Examinatur ſententia Theodori. 69
An peccatum originale ſit verum & proprie dictum peccatum. 72
Concluſio. *Peccatum originale quod omnes, & ſinguli homines ab Adamo traxerunt, veri nominis peccatum eſt*. 73
Quid ſit peccatum originale. 75
An peccatum originale ſit aliqua ſubſtantia. 76
Concluſio. *Peccatum originale non eſt mala quædam ſubſtantia*. ibid.
An peccatum originale ſit integra naturæ humanæ corruptio. 79
Concluſio. *Peccatum originale non eſt formaliter concupiſcentia habitualis ad ſenſum Novatorum*. 80
An peccatum originale ſit prava quædam & morbida qualitas. 85
Concluſio. *In hujuſmodi qualitate morbida ſita non eſt peccati originalis eſſentia*. 86
An peccatum originale ſit concupiſcentia quoad materiale, & reatus quoad formale. 87
Prima Concluſio. *Minus proprie, minus accurate dicitur peccatum originale eſſe concupiſcentiam quoad materiale peccati*. 89
Secunda Concluſio. *Minus proprie, minus accurate dicitur formale peccati originalis eſſe reatum*. 93
An peccatum originale conſiſtat in privatione juſtitiæ originalis. 94
Concluſio. *Eſſentia peccati originalis minus proprie, minus accurate dicitur poſita in privatione vel jactura juſtitiæ originalis*. 95
An peccatum originale ſit ipſum Adæ peccatum nobis imputatum. 96

Pri-

Prima Concluſio. *Peccatum originale non eſt ipſum Adæ peccatum nobis imputatum imputatione tantum extrinſeca ad ſenſum Phigii & Catharini.* 98
Secunda Concluſio. *Peccatum originale recte dicitur ipſum Adæ peccatum prout nobis intrinſece imputatum.* 99
De modo quo traducitur peccatum originale. 107
Utrum præter peccatum originale alia quoque & Adami & parentum peccata in filios tranſeant. 112
Concluſio. *Præter primum Adami peccatum quod originale eſt, nulla alia vel ipſius Adami vel poſteriorum parentum peccata traducuntur in poſteros.* ibid.
De ſubjecto peccati originalis. 116
An peccatum originale ſit immediate in anima vel in voluntate. ibid.
Utrum filii fidelium contrahant peccatum originale; ibid.
Concluſio. *Filii fidelium uti & alii homines contrahunt peccatum originale.* 118
Num alii quidam concepti fuerint ſine peccato originali. 120
De Conceptione B. Mariæ Virginis 121
An B. Virgo Maria contraxerit peccatum originale. 131
Prima Concluſio. *B. Virgo Maria contraxit peccatum originale quoad debitum.* ibid.
Secunda Concluſio. *B. Virgo Maria non fuit in peccato originali concepta.* 134
Solvuntur objectiones. 141
An fide Catholica credendum ſit B. Virginis Conceptionem fuiſſe immaculatam. 151
Concluſio. *Fide Catholica non propugnatur B. Virginis Conceptionem fuiſſe immaculatam.* ibid.
De variis peccati originalis effectibus. 160
De privatione juſtitiæ originalis, & quo pacto homo fuerit vulneratus per peccatum originale. ibid.
De ignorantia, num ea ſit peccati orignalis effectus. 162
De Concupiſcentia, ſit-ne peccati originalis pœna, & de ſe aliquid bonum vel malum. 163
Prima Concluſio. *Concupiſcentia eſt in homine peccati originalis effectus & pœna.* 164
Secunda Concluſio. *Concupiſcentia eſt aliquod malum ſimpliciter loquendo.* 165
De morte, morbis, aliiſque corporis calamitatibus, num ſint effectus peccati originalis. 168
Concluſio. *Morbi, aliaque corporis miſeriæ, tum vero mors ipſa ſunt effectus peccati originalis.* ibid.
De externis peccati originalis effectibus. 171
De pœna damni pro infantibus ſine baptiſmo decedentibus. ibid.
Prima Concluſio. *Infantes ante baptiſma ſuſceptum decedentes non habebunt vitam æternam.* 172
Secunda Concluſio. *Infantes ſine baptiſmo decedentes nulla fruuntur beatitudine naturali.* 176
Tertia Concluſio. *Infantes ſine baptiſmo decedentes paſſuri ſunt interiorem animi dolorem ex privatione viſionis beatificæ.* 177
De pœna ſenſus parvulorum. 179
Concluſio. *Infantes cum ſolo peccato originali decedentes, torquentur in inferno pœna ſenſus.* ibid.
Solvuntur objectiones. 192
De peccato actuali, ac primum de ejus diviſione in peccatum commiſſionis, & peccatum omiſſionis. 203
Per quid formaliter conſtituatur peccatum commiſſionis. ibid.
Concluſio. *Peccatum formaliter continetur in ratione peccati per privationem rectitudinis actui debitæ.* 205
Utrum

Utrum poſſit eſſe peccatum omiſſionis ſine ullo actu poſitivo. 208
Prima Concluſio. *Ut plurimum & moraliter loquendo nullum eſt peccatum omiſſionis ſine aliquo actu externo vel interno, antecedente vel concomitante, qui ſit cauſa vel occaſio illius.* 209
Secunda Concluſio. *Abſolute loquendo dari poteſt peccatum omiſſionis abſque ullo actu vel antecedente vel concomitante.* 200
Diviſio peccati actualis in mortale, & veniale. 214
Utrum peccatum mortale, & veniale differant ex natura rei. ibid.
Concluſio. *Dantur peccata quæ venialia ſunt ex natura ſua & independenter a conditione peccantis aut miſericordia Dei.* 216
Quanam ratione primum differant inter ſe peccatum mortale & veniale. 225
Utrum ex multis peccatis venialibus coaleſcere poſſit unum mortale. 227
Concluſio. *Ex multis peccatis venialibus non fit unum mortale.* ibid.
De peccato veniali nonnullæ proponuntur quæſtiones. 229
De proprietatibus peccatorum. 230
An & qua ratione peccata ſint ſpecie diſtincta. 231
Utrum peccata omnia ſint æqualia. ibid.
Utrum peccata ſint connexa. 232
Utrum peccatum ſit infinitum. ibid.
Concluſio. *Peccatum quodcunque ſit, dici non debet infinitum.* 233
De ſubjecto peccati. 235
De cauſa peccati. 239
An Deus ſit cauſa peccati. 240
Concluſio. *Deus non eſt cauſa peccati.* 242
Solvuntur objectiones e Scripturis & ratione petitæ. 250
Expenditur ſententia S. Auguſtini. 262
De effectibus peccati. 269
Utrum unum peccatum ſit pœna alterius peccati, & quomodo. 270
An peccatum in anima producat maculam. 270
De reatu peccati. 274
Utrum æterna ſint damnatorum pœnæ. ibid.
Concluſio. *Æternæ ſunt damnatorum pœnæ.* 275
Solvuntur objectiones. 281

FINIS.

INDEX
RERUM ET MATERIARUM LOCUPLETISSIMUS
ORDINE ALPHABETICO DIGESTUS.

A

S. Ambroſius an ſtatuerit diſcrimen inter durationem pœnarum Dæmonis & damnatorum quoad durationem. Pag. 292
Anabaptiſtæ dogma catholicum de exiſtentia peccati Originalis negant. 13
Anima humana: de ejus origine dubitavit Auguſtinus. 108
Sed ante ipſum alii. ibid.
Ab Iſidoro Hiſpalenſi poſitum inter fidei regulas, quod incerta ſit Animæ origo. ibid.
Sæculo IX. Quæſtio nondum erat definita. ibid.
Auguſtini perplexitas debet excuſari, & cur. ibid.
Ejus immortalitatem non negavit Juſtinus. 283
S. Anſelmus primus fuit, qui aſſeruit peccatum originale eſſe injuſtitiam. 94
Hunc ſequuti ſunt plures Scholaſtici. ibid.
Qui inter ſe tamen non conveniunt. ibid.
Sed probatur minus proprie, minus accurate dici eſſentiam peccati Originalis poſitam in privatione, vel jactura juſtitiæ originalis. 95
Appetitus ſenſitivus: an in eo tamquam in ſubjecto ſit peccatum aliquod formaliter. 236
Motus appetitus ſentientis, qui voluntarj non ſunt & voluntatis conſenſum antevertunt, qui dicuntur motus primo primi non ſunt peccata nec veniala, quicquid multi contendant. 237
Probatur id ex Scriptura, Patribus & ratione. 238
Armeni peccati Originalis exiſtentiam, & propagationem negarunt. 113
Arnobius paulo obſcurius locutus eſt circa æternitatem pœnarum damnatorum, ſed eam non negavit. 284
Albanenſes denegarunt validiſſime peccatum Originale. 13
S. Auguſtinus, quibuſnam momentis probet contra Pelagianos peccati Originalis exiſtentiam. 31
Non recte Maldonatus Auguſtinum reprehendit, quod dixerit peccatum Originale voluntarium voluntate aliena. 41
An docuerit peccatum Originale quoad materiale, eſſe ipſam concupiſcentiam. 90
Quæſtionem Scholaſticam de formali nomine peccati Originalis contra Pelagianos non agitavit. 93
Auguſtini videtur ſententia peccatum originale eſſe ipſum peccatum Adæ prout nobis intrinſece imputatum. 100
Vocabulum imputationis in hoc negotio fuit uſurpatum etiam ab Auguſtino. 105

An exiſtimaverit B. Virginem fuiſſe in peccato conceptam. 147
Acriter diſputavit cum Pelagianis de concupiſcentia an ſit peccati effectus, & mala ſimpliciter loquendo, quod negabant Pelagiani. 163
Auguſtini fuit ſententia Infantes ſine Baptiſmo decedentes pœnam ſenſus in Inferno pati. 183
Non ſolum eumdem pænæ locum tribuit Infantibus, & adultis, ſed & eamdem pœnam, ſi non gradu, ſaltem genere. 184
Explicantur nonnulla Auguſtini loca, quæ in favorem oppoſitæ ſententiæ adducuntur. 196
Agens contra Manichæos noluit Quæſtionem dirimere de pœnis parvulorum. 197
Quo ſenſu in Epiſtola ad Hieronymum dubitaverit de cauſa pœnarum in parvulis. ibid.
Quid per vitam æternam quam parvulis tribuebant Pelagiani intellexit. 173
Nullius ſunt ponderis, quæ ex eo adducunt Novatores ad probandum Deum eſſe cauſam peccati. 262
Quo ſenſu dicat Deum præcepiſſe Prophetis ut deciperent Regem Achab. 263
Peccata quæ ſunt pænæ aliorum peccatorum, quomodo ſint a Deo. 264
Cur Juliano Pelagiano reſtiterit. 267
Quo ſenſu dixerit Deum operari in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates ad mala, uti & ad bona. 269
Conſtanter docuit quædam peccata eſſe aliorum pœnas. 270

B

Beatitudo naturalis: hanc tribuebant Pelagiani Infantibus ſine Baptiſmo decedentibus extra Cœlorum regnum. 174
Eamdem etiam licet diverſo ſenſu eis tribuit Catharinus. 172
Sed utraque ſententia confutatur. 176
S. Bernardus in Epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes non ſolum reprehendit Feſtivitatem Conceptionis Deiparæ inconſulta Sede Apoſtolica inſtitutam, verum etiam ipſam Conceptionis Sanctitatem. 122
Mabillonius non aſſecutus eſt mentem Bernardi, dum illum ab hac opinione immunem fuiſſe contendit. 123
Epiſtola illa ad Lugdunenſes eſt verus D. Bernardi fœtus. 124
Etiam in aliis ſuis operibus opinatus eſt S. Bernardus Mariam Originali peccato ſubjeciſſe. 125

C

Catharinus docet peccatum Originale eſſe ipſum Adæ peccatum nobis imputatum. 97
Quod reijcitur a multis ut erroneum ab aliis ut hæreticum. ibid.
Sed ab ejuſmodi notis purgari poteſt Catharinus. ibid.
Docuit Infantes ſine Baptiſmo decedentes carere quidem intuitiva Dei viſione, ſed alia quadam beatitudine donari. 172
Quæ ſententia confutatur. 176
Cauſa peccati efficiens quotuplex, alia externa, alia interna. 239
Interna eſt triplex ignorantia, infirmitas, & malitia. 240
Gravius tamen eſt peccatum ex malitia. 240
Dia-

Diabolus eſt aliquo modo cauſa peccati ab homine patrati. (Vide Diabolus) 240
Quinam hæretici Deum dixerint cauſam peccati. 241
Deum tamen non eſſe probatur pluribus momentis. 242
Chryſoſtomus, expenditur ejus ſententia de peccato originali. 61
Non aſſeruit peccatum Originale eſſe tale metonymice. 62
Chriſtus Deus: de cauſa cur in Chriſto nullum fuerit peccatum Originale diſputant inter ſe Theologi. 120
Fictitia, eſt eorum opinio qui dicunt Chriſtum non contraxiſſe peccatum Originale quod cum Adam peccavit Deus peculiari ſua virtute particulam corporis Adami ſeparavit, quam conſervavit incorruptam ab omni peccato per poſteros Adami uſque ad B. V. M. 120
Minus accurata pariter eſt ea, Chriſtum non contraxiſſe peccatum, quia per carnis concupiſcentiam non fuit conceptus. 121
Ea veriſſima videtur, quæ dicitur Chriſtus ſine peccato conceptus, quia vere Deus. ibid.
Clemens Alexandrinus, expenditur ejus ſententia circa peccatum Originale. 48
Quo ſenſu neget Infantes cecidiſſe ſub Adæ execrationem. 49
Suſtinet tamen generationem ex natura malam non eſſe ut volebant hæretici quos impugnabat. 50
Conceptionis Feſtum ſæculo XII. apud quaſdam Eccleſias inceptum. 122
Illud reprehendit Bernardus, quia inconſulta Apoſtolica Sede fuerat introductum. ibid.
Ubique poſtea quotannis celebratum. 140
Ex eo deducitur proponi ut pium Feſtum Conceptionis. ibid.
Exſufflantur illorum exceptiones dicentium illud celebrari ſub nomine ſanctificationis B. M. V. ibid.
Non eſt tamen fide Catholica credendam Immaculatam Conceptionem. 154
Sicuti nec id probant preces in Officio ea die dici ſolitæ. 155
Concupiſcentia alia actualis, alia habitualis. 80
Novatores docent peccatum Originale eſſe formaliter concupiſcentiam habitualem, ita ut hæc per ſe ipſam vere, & proprie peccatum ſit. 80
Sed confutantur eorum momenta. 81
Quo ſenſu doceant Scholaſtici cum D. Thoma concupiſcentiam eſſe materiale peccati Originalis. 88
Sed probatur minus proprie, minuſque accurate dici peccatum Originale eſſe concupiſcentiam quoad materiale peccati. 89
An hæc fuerit Auguſtini opinio. 90
Quo ſenſu doceat peccatum Originale eſſe concupiſcentiam. ib.
Nec pariter formale peccati Originalis eſſe concupiſcentia ratione reatus. 93
De concupiſcentia acriter cum Pelagianis pugnavit Auguſtinus. 163
Tripliciter accipitur concupiſcentiæ nomen. ibid.
Concupiſcentia prout eſt quædam ad malum propenſio eſt in homine peccati Originalis pœna, & effectus. 164
Ea eſt aliquod malum ſimpliciter loquendo, & ſine addito dici debet mala non bona. 165
Quo ſenſu ſit naturalis. 167
In ſtatu naturæ innocentis fuiſſet generatio abſque concupiſcentia,

Digitized by Google

quæ nunc eſt peccati effectus . 168
Eſt peccati cauſa, & quo ſenſu . 140

D

DAmnatus : æternas non fore damnatorum pœnas aſſeruit Origenes. 274
Immerito ab hoc errore purgatur a nonnullis. 275
Idem docuere Sociniani. ibid.
Æternas eſſe damnatorum pœnas probatur ex utroque Teſtamento. ibid.
Nec non ex SS. Patribus, quorum hoc in negotio conſtans fuit doctrina. 277
Ex Conciliorum definitionibus, & ratione. 279
Solvuntur Objectiones. 283
Immerito erroris inſimulantur ab Huetio Juſtinus, Iræneus, & Arnobius. ibid.
Cur Patres contra Pelagianos agentes dixerint pœnas damnatorum ſi Chriſtiani ſint non fore ſempiternas. 285
Defenditur fides utriuſque Gregorii Nyſſeni, & Nazianzeni. 286
Vindicatur Hieronymus ab errore Origeniano. 294
Ex precibus Eccleſiæ non colligitur damnatorum pœnas habituras eſſe finem. 306
Quid de Trajani liberatione ab Inferis dicendum. 307
Etſi vera foret nihil inferri poſſet contra Catholicam Fidem, de pœnis æternis. 308
Quomodo pœna æterna correſpondeat peccato. ibid.
Delectatio moroſa de cogitatione rei turpis ſine animo rem illam perficiendi eſt peccatum mortale. 238
Quo ſenſu dictum ab Apoſtolo peccatum cum conſummatum fuerit generat mortem. 239
Peccatum delectationis moroſæ tale non eſt ex Auguſtino ut ſola oratione Dominica deleatur. ib.
Dæmon eſt aliquo modo cauſa externa peccati ab homine commiſſi. 240
Ipſi peccata hominum tribuunt Scripturæ. ibid.
An dæmones aliquando Chriſti dominationem ſint agnituri. 289
An eorum pęnę ſint futurę ęternę. (Vide Damnatus.) 275
Deus : quinam hæretici Deum fecerint cauſam primariam peccati. 241
Bellarminus id aſſerit de Simone Mago, & Manichæis. ibid.
Florinus Montani diſcipulus clarius & primus omnium dixit Deum eſſe peccati cauſam. ibid.
Et ſæculo XVI. id docuere Libertini quos oppugnavit Calvinus. ibid.
Qui tamen in eorumdem errorem incidit. ibid.
Deus non eſt cauſa peccati eo ſenſu quo velit, præcipiat, operetur peccatum, tum vero ad illud voluntates hominum excitet. 243
Probatur luculentiſſime ex Scripturis. ibid.
Ex SS. Patribus, & ex Arauſicano, & Tridentino Conciliis. 248
Quomodo foret Deus peccati cauſa. 249
Solvuntur Objectiones ex Scriptura & ratione deductæ. 250
Quo ſenſu dicatur Deus obdurare, vel excœcare homines. 256
Quomodo Deus ſit cauſa materialis peccati, & non formalis. 260
Expenditur ſententia Auguſtini. (Vide Auguſtinus.) 262

Ec-

E

Eccleſia non fundit preces pro damnatis. 306
Effectus peccati: nonnulla peccata ſunt aliorum peccatorum pœnæ, & effectus. 270
Fuit hæc conſtans Auguſtini doctrina. 270
Quomodo unum peccatum conſequens ſit effectus, & pœna alterius præcedentis. ibid.
An id fiat a Deo per ſubtractionem gratiæ efficacis, an vero ſufficientis. ibid.
Eſt firma ſtabiliſque omnium Catholicorum doctrina per peccatum ſaltem mortale aliquam in Anima produci maculam, quæ præterito actu peccati non remanet. 271
Quod negant Lutherani, & Calviniſtæ. ibid.
Macula quæ remanet in peccatore non eſt reatus, ſeu obbligatio ad pœnam. ibid.
Nec proprie loquendo elongatio a Deo. 272
Nec mera privatio gratiæ ſanctificantis. ibid.
Nec accurate loquendo eſt ipſa malitia peccati actualis, quatenus moraliter perſeverat tranſacto phyſice actu peccati. ibid.
Sed potius dicendum maculam peccati eſſe id quo formaliter Anima eſt & denominatur coinquinata per modum qualitatis inherentis per peccatum productæ. 273
Hac qualitate admiſſa explicantur Scripturæ, & Conciliorum teſtimonia, quæ hominem peccato maculatum perhibent. ibid.
Exiſtere aliquem peccati reatum conſtat ex Scripturis. 274
Quid ſint reatus culpæ, & pœnæ. 274
Eraſmus erroris Pelagianorum circa peccatum Originale ſuſpicionem dedit. 13
Sed ejus fides vindicatur. 14
Æterna vita quid per eam intellexerint Pelagiani. (Vide Vita æterna) 173
Æterna pœna an revera talis futura ſit illa damnatorum, & Dæmonum. (Vide Damnatus, & Dæmon.) 274
Excœcatio hominum quomodo Deo tribuatur in Scripturis. 256

G

Gregorius Nyſſenus ejus loca Origeniano errori prima fronte faventia non fuere ab Origeniſtis corrupta. 288
Immerito Huetius contendit Gregorium Origeniano errori fuiſſe infectum. ibid.
Dogma de æternitate pœnarum Inferni, manifeſto adſtruit pluribus in locis. ibid.
Quo ſenſu dixerint futurum aliquando ut Dæmones Chriſti Dominationem confiteantur. ibid.
Quid ſibi vult cum toties declarat multam fore aliquando nequitiam & vitioſitatem. ibid.
Gregorius Nazianzenus an dubitaverit de pœnarum Inferni æternitate. 290
Quid intellexerit per ignem quo baptizabuntur peccatores & omnia eorum peccata eſſe conſumenda. 290
Gregorius Magnus: Trajani hiſtoria precibus Gregorii liberati eſt fabuloſa. 307

H

Hieronymus: quo ſenſu reprehenderet in Pelagianis quod dicerent iniquis & peccatoribus non eſſe parcendum in die judicii. 293

An

Digitized by Google

An putaverit peccatorum Chriſtianorum pœnas aliquando finiendas. 298
Perperam nonnulli Theologi male de Hieronymo ſentiunt hac in re. 303

I

JEremias fuit in utero matris ſanctificatus per divinæ gratiæ infuſionem quamvis in peccato Originali juxta communem legem conceptus. 121
Ignorantia rerum naturalium eſt quædam pœna peccati Originalis. 162
Non pertinet hæc ad naturalem hominis conditionem. 163
Eſt aliquando peccati cauſa. 259
Illyricus Manichæorum doctrinam renovans docuit peccatum originale eſſe malam quandam ſubſtantiam a Dæmone factam. 76
Induratio hominum quomodo Deo tribuatur in Scripturis. 256
Infans ſine Baptiſmo: Pelagiani docuere Infantes ſine Baptiſmo decedentes non intraturos in regnum Cœlorum, ſed habituros vitam æternam. 171
Vincentius quidam vult eos non excludi a regno Cœlorum. ibid.
Alii cum D. Thoma dixere eos privandos viſione intuitiva, ſed non percepturos dolorem ex hujuſmodi privatione. 172
Catharinus eis tribuit beatitudinem tantum naturalem. ibid.
Quem ſequutus eſt Cardinalis Sfondratus. ibid.
Infantes ante Baptiſmum ſuſceptum non habebunt vitam æternam. 173
Quid intellexerint Pelagiani per illam vitam æternam, quam tribuebant infantibus ſine Baptiſmo decedentibus. 173
Infantes ſine baptiſmo decedentes nulla fruuntur cœleſti beatitudine. 176
Ex privatione beatificæ viſionis paſſuri ſunt internum Animi dolorem. 177
Contraria opinio accedit ad illam Catharini, & Sfondrati. 178
Quin non parum favet Pelagianis ipſis. 178
Infantes cum ſolo peccato Originali decedentes torquentur in Inferno pœna ſenſus. 179
Colligitur ex deſcriptione Judicii Generalis Matth. 25. *& ex perpetua & conſtanti veterum traditione.* 182
Probatur quoque ex D. Auguſtino. 183
Auguſtini ſententiam in hoc amplexa eſt univerſa Eccleſia Africana. 186
Fuit etiam hæc doctrina Concilii Florentini. 190
Probatur etiam rationibus Theologicis. 190
Oppoſita ſententia nullo plane nititur fundamento. 190
Solvuntur Objectiones. 192
Perperam Adverſarii ſuæ ſententiæ Patronum faciunt Auguſtinum. 196
Horum ſententia dici nequit communis apud Theologos. 199
Nihil crudelitatis Deo tribuit ſententia docens Infantes ſine peccato decedentes puniri pœna ſenſus. 200
Quomodo hoc Pelagianorum Argumentum ſolvit Auguſtinus. 201
Infantium pœna eſt omnium leviſſima & mitiſſima. 202
Infernus an ejus pœnæ ſint futuræ æternæ. (vide Damnatus)
Joannes Baptiſta ante ſui nativitatem fuit in utero Matris ſanctificatus etſi in peccato originali conceptus. 121
Iræneus numquam docuit animas impiorum æternis cruciatibus haud eſſe puniendas. 284

Ju-

Juſtitia Originalis : Adam creatus fuit in juſtitia Originali. 160
Hæc fuit gratia ſupernaturalis. ib.
Juſtitiæ originalis privatio eſt primus originalis peccati effectus. ibid.
Juſtinus immerito ab Huetio inſimulatur erroris circa Animæ immortalitatem, & æternitatem pœnarum in damnatis. 283

M

Maria nulla apud veteres uſque ad ſæculum XII. fuit diſceptatio de Conceptione B. V. M. an fuerit immaculata nec ne. 121
Huic occaſionem dedit obſervatio Feſti, quæ apud quoſdam inoleverat. 122
In hunc invehit S. Bernardus, quia inconſulta Sede Apoſtolica Inſtitutum. ib.
Sed ſimul negat Sanctitatem ejus Conceptionis. ib.
Perperam Mabillonius & alii contendunt ab hoc D. Bernardum defendere. 121
In Sententiam Bernardo oppoſitam ivere cum ſuo Doctore Scoto Minoritæ. 125
Academia Pariſienſis Minoritis adhæſit. 126
Quin nec paſſa eſt quempiam contrariam partem habere, ſed ſtatim acriter impugnavit. 126
Concilium Baſileenſe decretum edidit de Conceptione immaculata B. M. V. 127
Confirmatum fuit ſolemni conſtitutione a Facultate Pariſienſi. ib.
Per Decretum Sixti IV. Liberum cuique de Conceptione tenere, cum nondum ſit id a Romana Eccleſia & Sede Apoſtolica deciſum. 129
Conſtitutio Sixtina confirmata a Tridentino Concilio. ibid.
Pius V. libertatem dedit Catholicis Doctoribus ſentiendi, ſed vetuit publice de illa diſputare, vel vulgari lingua ſcribere. 130
Gregorius XV. & Alexander VII. innovarunt conſtitutiones in favorem immaculatæ Conceptionis, abſque præjudicio tamen ſententiæ oppoſitæ. 130
Tres ſententiæ circa Conceptionem B. M. Virginis. 131
Quid ſit contrahere quoad actum, & quoad debitum. 131
B. V. Maria contraxit peccatum Originale quoad debitum. 131
Hac ſublata ſententia vix explicari poteſt quomodo pro B. M. Virgine fuerit Chriſtus Dominus mortuus. 132
Cum ad dignitatem maternitatis divinæ deſtinata fuit prævifo tunc omnium hominum peccato, illam videbat Deus eodem debito obſtrictam, ac alii. 133
Explicatur mens Concilii Tridentini nolentis in ſuo decreto de peccato originali involvere Mariam. 133
B. V. M. non fuit in peccato originali concepta. 134
Probatur a multis ex loco Gen. 3. 134
Nec non ex variis antiqui Teſtamenti figuris, & ex Patrum elogiis. 135
Expenditur an hæc omnes probationes ſint idoneæ ad probandam B. M. V. immaculatam conceptionem. 136
Probatur autem ſententia alio pacto. 138
Non eſt negandum eſſe hanc ſententiam ut piam tenendam ab Eccleſia. 140
Feſtum Conceptionis non celebratur ratione tantum ſanctificationis ejus in utero. ibid.
Plus honoris certe eſt deferendum Ma-

Mariæ, quam Joanni Baptiſtæ. 141
Scripturæ locutiones aſſerentis homines in Adamo peccaſſe explicantur quoad debitum, non quoad actum. 142
Patres & Scriptores Eccleſiaſtici eximunt ſolum Chriſtum a peccato Originali, quia illud nec quoad actum, nec quoad debitum contraxit. 146
Explicantur teſtimonia in contrarium allata a Bandello. 147
An Auguſtinus putaverit B. V. M. fuiſſe in peccato conceptam. ib.
Quomodo B. V. M. a Chriſto redempta ſi nullum contraxit peccatum. 148
Faber Stabulenſis, Richerius, & alii ſuſtinent immaculatam Conceptionem ut Dogma Fidei. 151
Sed fide Catholica non propugnari efficaciter probatur. ib.
Concilium Baſileenſe ſententiam de Immaculata Conceptione vult eſſe tenendam tantum ut piam & cultui Catholico, & fidei Catholicæ conſonam. 153
Ex ejus Feſto, Officio, Indulgentiis &c. non deducitur eam eſſe de fide. 155
Quo ſenſu Facultas Pariſienſis dicat pertinere ad fidem. 158
Miſeriæ Corporis ſunt peccati Originalis effectus. 168
Contrarium docuere Pelagiani, qui confutantur. ibid.
Mors: ea non fuiſſent obnoxii homines ſi Adam non peccaſſet. 169
Adeoque mors eſt effectus peccati originalis. ibid.
Quo ſenſu Adam in Statu juſtitiæ originalis fuiſſet mortalis. ibid.
Mortale peccatum quodnam ſit, & unde dictum. 214
Peccati mortalis & venialis diſcrimen oppugnavit Calvinus, docens omnia peccata ex natura ſua eſſe mortalia. 215
Stoici ante ipſum docuerunt omnia peccata eſſe paria. ibid.
Oſtenditur non omnia peccata eſſe ex natura ſua mortalia. 216
Mortale non differt a peccato veniali per hoc, quod primum ſit contra præceptum alterum contra conſilium, ut vult Scotus. 225
Neque per hoc quod primum ſit circa finem, alterum circa Media. 226
Neque per hoc quod mortale ſit contra legem, aut præceptum, veniale autem ſit præter legem. 226
Neque per hoc quod mortale obliget ad pœnam æternam, veniale ad temporalem tantum. ibid.
Sed præciſe & formaliter differunt propter objectum, finem, modum agendi, & circumſtantias quibus induitur actio peccantis. ibid.
Ex multis venialibus non conflatur unum mortale. 227
Quomodo per multa levia furta evadat quis reus peccati mortalis. ibid.
Mortale producit in anima maculam. 271
Quid ſit hujuſmodi macula. (vide Peccati effectus.) 271

O

Origenes expenditur ejus ſententia de peccati Originalis exiſtentia. 53
Immerito a nonnullis purgatur ab errore quod æternæ non ſint damnatorum pœnæ. 274
Omiſſio. (vide peccatum Omiſſionis.)
Originale peccatum. Pelagiani conjurati hoſtes Catholici Dogmatis de exiſtentia peccati Originalis. 10
Pri-

Digitized by Google

Primus Pelagiani erroris Sator fuit Rufinus. 12
Armeni, Albanenſes, Sociniani & Anabaptiſtæ in hoc eum Pelagianis conveniunt. 13
Eſt hoc fundatiſſimum Eccleſiæ Catholicæ dogma in omnes & ſingulos homines vel etiam infantes peccatum Adæ non per imitationem, ſed veram propagationem fuiſſe transfuſum. 14
Quædam Scripturæ loca ad id probandum excipiuntur. ibid.
Probatur ex libro Job. 15
Et ex nonnullis aliis veteris Teſtamenti locis. 16
Sed efficacius ex pluribus Novi Teſtamenti. 17
Potiſſimumque ex Paulo Apoſtolo. ibid.
Idem Dogma probatur ex SS. Patribus. 20
Aſſeritur idem Dogma ex Conciliis & Summis Pontificibus. 29
Eadem veritas Catholica probatur ratione. 31
Qua uſus eſt Auguſtinus contra Pelagianos agens. 31
Solvuntur cavillationes contrariæ ad probationem deſumptam ex Cap. 5. Epiſtolæ ad Romanos. 34
Quo ſenſu dictum ab Ezechiele *filius non portabit iniquitatem Patris*. 39
Non recte Maldonatus reprehendit Auguſtinum in eo quod peccatum Originale dixerit voluntarium voluntate aliena. 41
An peccatum Originale dici queat naturale. 43
Syſtema peccati Originalis non favet Manichæis. 43
Non pugnat cum juſtitia Dei. 44
Non ſequitur ex eo Nuptias eſſe malas. 44
Solvuntur objectiones ex SS. Patruum teſtimoniis deſumptæ. 46
Expenditur ſententia Tertulliani. ibid.
Nec non Clementis Alexandrini. 48
Optati, Hieronymi, & Arnobii. 56
Nec non Origenis. 57
Athanaſii, Baſilii, & Gregorii Nyſſeni. 59
Ac demum Theodoreti. 69
Quinam negaverint peccatum Originale eſſe vere tale. 72
Probatur peccatum originale, quod omnes & ſinguli homines ab Adame traxerunt veri nominis peccatum eſſe. 73
Originalis peccati eſſentia: quid ſit peccatum Originale. 75
Non eſt mala quædam ſubſtantia, ut poſt Manichæos aſſeruit Illyricus. 76
Non eſt formaliter ipſa concupiſcentia habitualis ad ſenſum Novatorum. 81
Quænam abſurda conſequantur ex Novatorum doctrina. 82
Neque in prava quadam & morbida qualitate ſita eſt peccati Originalis eſſentia, ut voluere nonnulli Scholaſtici. 86
Quo ſenſu doceant Scholaſtici cum D. Thoma concupiſcentiam eſſe materiale peccati Originalis. 88
Sed minus proprie & minus accurate dicitur peccatum originale eſſe concupiſcentiam quoad materiale peccati. 89
An hæc fuerit opinio Auguſtini. 90
Minus proprie etiam dicitur formale peccati Originalis eſſe concupiſcentiam ratione reatus. 93
Auguſtinus quæſtionem Scholaſticam de ratione formali & ſpecifica peccati Originalis non agitavit contra Pelagianos. 93
S. Anſelmus docuit originale peccatum

catum eſſe carentiam juſtitiæ originalis. 94
Quem ſecuti ſunt Scholaſtici diverſo modo rem explicantes. ib.
Sed probatur minus proprie dici eſſentiam peccati originalis poſitam in privatione vel jactura juſtitiæ originalis. 95
Expenditur ſententia Catharini, & Pighii. 97
Ab omni erroris & hæreſeos nota laudati viri purgantur. ibid.
Quamnam imputationem iſti admiſerint. 97
Probatur Originale peccatum non eſſe ipſum Adæ peccatum nobis imputatum imputatione tantum extrinſeca ad ſenſum Pighii & Catharini. 98
Recte vero dicitur peccatum originale eſſe ipſum Adæ peccatum moraliter perſeverans prout nobis intrinſece imputatum, hoc eſt ſingulis hominibus in eo moraliter contentis vere ac proprie communicatum. 99
Aſſertio variis Auguſtini teſtimoniis probatur. 100
Quomodo hæc ſententia concilietur cum Patrum locutionibus, quod ſcilicet peccatum Adæ tranſmittatur trajiciatur. 103
Eſt plane diverſa ab illa Pighii & Catherini. 104
Vocabulum imputationis in hoc negotio fuit uſurpatum etiam ab Auguſtino. 105
Quomodo peccatum Originale in unoquoque Phyſice exiſtat, ſi moraliter traducitur. ibid.
Ad explicandum modum quo traducitur nonnulli voluere animam cum corpore traduci.
De hoc etiam dubitavit Auguſtinus. 108
Alii dixere peccatum Originale traduci quia infunditur anima in corpus vitiatum. 108
Alii per concupiſcentiam. 109
Alii quia ex ſuprema Dei voluntate ſtatutum fuerat ut omnium voluntates in Adami voluntate continerentur, adeo ut eo peccante peccaverint. ibid.
Ex ſolo peccato Adami facta originalis peccati traductio. 100
Adeoque Eva peccante, ſi Adam non peccaſſet cæteri homines peccatum originale non contraxiſſent. 100
Adamo non peccante ſi aliqui ex ejus poſteris peccaſſent nullum veroſimiliter futurum fuiſſet peccatum originale. ibid.
Probabilius futurum fuiſſet, ut etſi non peccaſſet Adam, vel ejus poſteri in juſtitia originali non fuiſſent confirmati. ibid.
Primum peccatum quo tota vitiata eſt natura fuit inobedientia. 111
Peccatum originale eſt æquale in omnibus. ibid.
Præter primum Adami peccatum quod originale eſt, nulla alia vel ipſius Adami, vel poſteriorum parentum peccata traducuntur in poſteros. 112
Nunquam id docuit Auguſtinus, ſed tantum aſſeruit peccata Parentum tranſire in filios quoad reatum pœnæ & quidem temporalis, non autem quoad reatum culpæ. 113
Originale peccatum eſt in voluntate veluti in ſubjecto immediato. 116
Filios fidelium non contrahere peccatum originale docent Calviniſtæ, quicquid in contrarium dicat Chamierus. 117
Adverſus hos probatur filios fidelium uti & alios homines contrahere peccatum originale, adeoque falſum hujuſmodi peccatum propter parentes ex quibus nati ſunt ipſis non imputari. 116

Num

Num alii quidam concepti fuerint ſine peccato originali. 120
Quinam ſint peccati Originalis effectus. 160
Primus effectus fuit privatio juſtitiæ originalis. ibid.
Quomodo id intelligi debeat. ib.
Homo per peccatum originale fuit vulneratus in naturalibus. 161
Non tamen ut aliqua perfectione naturali & ſubſtantiali fuerit ſpoliatus. 162
Neque præciſe ex eo quia deſtitutus donis indebitis & ſupernaturalibus, ſed quia infirmiores remanſerunt ejus potentiæ naturales. 162
Ignorantia etiam rerum naturalium eſt quædam peccati originalis pœna. (vide Ignorantia) 162.
Concupiſcentia eſt in homine etiam peccati originalis pœna. 164
Morbi, aliæque corporis miſeriæ, & præſertim ipſa mors ſunt effectus peccati originalis. 168
Externi quidam peccati originalis effectus recenſentur. 171
Quæ ſint pœnæ Infantium ſine baptiſmo decedentium. 171

P

PAriſienſis Facultas ſententiam Minoritarum circa immaculatam Conceptionem amplexa eſt. 126
Quin nec paſſa eſt quemquam Dominicanorum partem tueri. ib.
Confirmavit decretum Concilii Baſileenſis de Immaculata Conceptione. 127
Nullus ad lauream Doctoralem admittebatur quin ſacramento non ſe obſtringeret ad eam ubique tuendam. 128
Multi hujus Facultatis Doctores credidere hanc ſententiam tamquam certam fide Catholica eſſe tenendam. 151
Ipſa tamen Facultas numquam id ſuſtinuit. 156
Decreta Conſtitutiones & Cenſuræ Facultatis Pariſienſis in oppoſitam ſententiam intelligi debent non de Fide Catholica, ſed de fide privata ac particulari qua ſuos voluit adſtrictos alumnos. 157
Decreta minime adverſantur conſtitutionibus Pontificiis. 158
Peccatum quot modis ſumatur in Scripturis. 3
Quomodo malum, peccatum, & culpa inter ſe differant. 4
Examinantur variæ peccati definitiones traditæ ab Auguſtino. ibid.
Definitur quid ſit voluntaria legis tranſgreſſio. ibid.
Certum eſt nullum eſſe peccatum quod non ſit aliqua lege vetitum. 6
Sed ut peccatum ſit, aut debeat lege æterna, vel divina prohibitum diſſentiunt Theologi. ib.
Dicendum non omnia ideo peccata eſſe, quia lege æterna, vel divina prohibentur. 7
Sunt plura, quæ ſunt ex ſe, & ex natura ſua intrinſece mala quia cum natura rationali manifeſte pugnant. 8
An per rationem naturalem intelligi hic debeat judicium rationis actuale. ibid.
Diviſio peccatorum. 9
Alia carnalia, alia ſpiritualia. ibid.
Alia contra Deum, alia contra ſeipſum, alia contra proximum. ibid.
Quænam ſint peccata oris, cordis & operis. ibid.
Aliud eſt peccatum originale, aliud actuale. 10

Digitized by Google

Prima Concluſio. *Peccatum originale non eſt ipſum Adæ peccatum nobis imputatum imputatione tantum extrinſeca ad ſenſum Phigii & Catharini.* 98
Secunda Concluſio. *Peccatum originale recte dicitur ipſum Adæ peccatum prout nobis intrinſece imputatum.* 99
De modo quo traducitur peccatum originale. 107
Utrum præter peccatum originale alia quoque & Adami & parentum peccata in filios tranſeant. 112
Concluſio. *Præter primum Adami peccatum quod originale eſt, nulla alia vel ipſius Adami vel poſteriorum parentum peccata traducuntur in poſteros.* ibid.
De ſubjecto peccati originalis. 116
An peccatum originale ſit immediate in anima vel in voluntate. ibid.
Utrum filii fidelium contrahant peccatum originale: ibid.
Concluſio. *Filii fidelium uti & alii homines contrahunt peccatum originale.* 118
Num alii quidam concepti fuerint ſine peccato originali. 120
De Conceptione B. Mariæ Virginis 121
An B. Virgo Maria contraxerit peccatum originale. 131
Prima Concluſio. *B. Virgo Maria contraxit peccatum originale quoad debitum.* ibid.
Secunda Concluſio. *B. Virgo Maria non fuit in peccato originali concepta.* 134
Solvuntur objectiones. 141
An fide Catholica credendum ſit B. Virginis Conceptionem fuiſſe immaculatam. 151
Concluſio. *Fide Catholica non propugnatur B. Virginis Conceptionem fuiſſe immaculatam.* ibid.
De variis peccati originalis effectibus. 160
De privatione juſtitiæ originalis, & quo pacto homo fuerit vulneratus per peccatum originale. ibid.
De ignorantia, num ea ſit peccati orignalis effectus. 162
De Concupiſcentia, ſit-ne peccati originalis pœna, & de ſe aliquid bonum vel malum. 163
Prima Concluſio. *Concupiſcentia eſt in homine peccati originalis effectus & pœna.* 164
Secunda Concluſio. *Concupiſcentia eſt aliquod malum ſimpliciter loquendo.* 165
De morte, morbis, aliiſque corporis calamitatibus, num ſint effectus peccati originalis. 168
Concluſio. *Morbi, aliaque corporis miſeriæ, tum vero mors ipſa ſunt effectus peccati originalis.* ibid.
De externis peccati originalis effectibus. 171
De pœna damni pro infantibus ſine baptiſmo decedentibus. ibid.
Prima Concluſio. *Infantes ante baptiſma ſuſceptum decedentes non habebunt vitam æternam.* 172
Secunda Concluſio. *Infantes ſine baptiſmo decedentes nulla fruuntur beatitudine naturali.* 176
Tertia Concluſio. *Infantes ſine baptiſmo decedentes paſſuri ſunt interiorem animi dolorem ex privatione viſionis beatificæ.* 177
De pœna ſenſus parvulorum. 179
Concluſio. *Infantes cum ſolo peccato originali decedentes, torquentur in inferno pœna ſenſus.* ibid.
Solvuntur objectiones. 192
De peccato actuali, ac primum de ejus diviſione in peccatum commiſſionis, & peccatum omiſſionis. 203
Per quid formaliter conſtituatur peccatum commiſſionis. ibid.
Concluſio. *Peccatum formaliter continetur in ratione peccati per privationem rectitudinis actui debitæ.* 205

Utrum

by Google

Utrum poſſit eſſe peccatum omiſſionis ſine ullo actu poſitivo. 208
Prima Concluſio. *Ut plurimum & moraliter loquendo nullum eſt peccatum omiſſionis ſine aliquo actu externo vel interno, antecedente vel concomitante, qui ſit cauſa vel occaſio illius.* 209
Secunda Concluſio. *Abſolute loquendo dari poteſt peccatum omiſſionis abſque ullo actu vel antecedente vel concomitante.* 200
Diviſio peccati actualis in mortale, & veniale. 214
Utrum peccatum mortale, & veniale differant ex natura rei. ibid.
Concluſio. *Dantur peccata quæ venialia ſunt ex natura ſua & independenter a conditione peccantis aut miſericordia Dei.* 216
Quanam ratione primum differant inter ſe peccatum mortale & veniale. 225
Utrum ex multis peccatis venialibus coaleſcere poſſit unum mortale. 227
Concluſio. *Ex multis peccatis venialibus non fit unum mortale.* ibid.
De peccato veniali nonnullæ proponuntur quæſtiones. 229
De proprietatibus peccatorum. 230
An & qua ratione peccata ſint ſpecie diſtincta. 231
Utrum peccata omnia ſint æqualia. ibid.
Utrum peccata ſint connexa. 232
Utrum peccatum ſit infinitum. ibid.
Concluſio. *Peccatum quodcunque ſit, dici non debet infinitum.* 233
De ſubjecto peccati. 235
De cauſa peccati. 239
An Deus ſit cauſa peccati. 240
Concluſio. *Deus non eſt cauſa peccati.* 242
Solvuntur objectiones e Scripturis & ratione petitæ. 250
Expenditur ſententia S. Auguſtini. 262
De effectibus peccati. 269
Utrum unum peccatum ſit pœna alterius peccati, & quomodo. 270
An peccatum in anima producat maculam. 270
De reatu peccati. 274
Utrum æternæ ſint damnatorum pœnæ. ibid.
Concluſio. *Æternæ ſunt damnatorum pœnæ.* 275
Solvuntur objectiones. 281

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
RERUM ET MATERIARUM LOCUPLETISSIMUS
ORDINE ALPHABETICO DIGESTUS.

A

S. AMbroſius an ſtatuerit diſcrimen inter durationem pœnarum Dæmonis & damnatorum quoad durationem. Pag. 292
Anabaptiſtæ dogma catholicum de exiſtentia peccati Originalis negant. 13
Anima humana: de ejus origine dubitavit Auguſtinus. 108
Sed ante ipſum alii. ibid.
Ab Iſidoro Hiſpalenſi poſitum inter fidei regulas, quod incerta ſit Animæ origo. ibid.
Sæculo IX. Quæſtio nondum erat definita. ibid.
Auguſtini perplexitas debet excuſari, & cur. ibid.
Ejus immortalitatem non negavit Juſtinus. 283
S. Anſelmus primus fuit, qui aſſeruit peccatum originale eſſe injuſtitiam. 94
Hunc ſequuti ſunt plures Scholaſtici. ibid.
Qui inter ſe tamen non conveniunt. ibid.
Sed probatur minus proprie, minus accurate dici eſſentiam peccati Originalis poſitam in privatione, vel jactura juſtitiæ originalis. 95
Appetitus ſenſitivus: an in eo tamquam in ſubjecto ſit peccatum aliquod formaliter. 236
Motus appetitus ſentientis, qui voluntarj non ſunt & voluntatis conſenſum antevertunt, qui dicuntur motus primo primi non ſunt peccata nec venialia, quicquid multi contendant. 237
Probatur id ex Scriptura, Patribus & ratione. 238
Armeni peccati Originalis exiſtentiam, & propagationem negarunt. 113
Arnobius paulo obſcurius locutus eſt circa æternitatem pœnarum damnatorum, ſed eam non negavit. 284
Albanenſes denegarunt validiſſime peccatum Originale. 13
S. Auguſtinus, quibuſnam momentis probet contra Pelagianos peccati Originalis exiſtentiam. 31
Non recte Maldonatus Auguſtinum reprehendit, quod dixerit peccatum Originale voluntarium voluntate aliena. 41
An docuerit peccatum Originale quoad materiale, eſſe ipſam concupiſcentiam. 90
Quæſtionem Scholaſticam de formali nomine peccati Originalis contra Pelagianos non agitavit. 93
Auguſtini videtur ſententia peccatum originale eſſe ipſum peccatum Adæ prout nobis intrinſece imputatum. 100
Vocabulum imputationis in hoc negotio fuit uſurpatum etiam ab Auguſtino. 105

Digitized by Google

An exiſtimaverit B. Virginem fuiſſe in peccato conceptam. 147
Acriter diſputavit cum Pelagianis de concupiſcentia an ſit peccati effectus, & mala ſimpliciter loquendo, quod negabant Pelagiani. 163
Auguſtini fuit ſententia Infantes ſine Baptiſmo decedentes pœnam ſenſus in Inferno pati. 183
Non ſolum eumdem pœnæ locum tribuit Infantibus, & adultis, ſed & eamdem pœnam, ſi non gradu, ſaltem genere. 184
Explicantur nonnulla Auguſtini loca, quæ in favorem oppoſitæ ſententiæ adducuntur. 196
Agens contra Manichæos noluit Quæſtionem dirimere de pœnis parvulorum. 197
Quo ſenſu in Epiſtola ad Hieronymum dubitaverit de cauſa pœnarum in parvulis. ibid.
Quid per vitam æternam quam parvulis tribuebant Pelagiani intellexit. 173
Nullius ſunt ponderis, quæ ex eo adducunt Novatores ad probandum Deum eſſe cauſam peccati. 262
Quo ſenſu dicat Deum præcepiſſe Prophetis ut deciperent Regem Achab. 263
Peccata quæ ſunt pœnæ aliorum peccatorum, quomodo ſint a Deo. 264
Cur Juliano Pelagiano reſtiterit. 267
Quo ſenſu dixerit Deum operari in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates ad mala, uti & ad bona. 269
Conſtanter docuit quædam peccata eſſe aliorum pœnas. 270

B

Beatitudo naturalis: hanc tribuebant Pelagiani Infantibus ſine Baptiſmo decedentibus extra Cœlorum regnum. 174
Eamdem etiam licet diverſo ſenſu eis tribuit Catharinus. 172
Sed utraque ſententia confutatur. 176
S. Bernardus in Epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes non ſolum reprehendit Feſtivitatem Conceptionis Deiparæ inconſulta Sede Apoſtolica inſtitutam, verum etiam ipſam Conceptionis Sanctitatem. 122
Mabillonius non aſſecutus eſt mentem Bernardi, dum illum ab hac opinione immunem fuiſſe contendit. 123
Epiſtola illa ad Lugdunenſes eſt verus D. Bernardi fœtus. 124
Etiam in aliis ſuis operibus opinatus eſt S. Bernardus Mariam Originali peccato ſubjeciſſe. 125

C

Catharinus docet peccatum Originale eſſe ipſum Adæ peccatum nobis imputatum. 97
Quod reijcitur a multis ut erroneum ab aliis ut hæreticum. ibid.
Sed ab ejuſmodi notis purgari poteſt Catharinus. ibid.
Docuit Infantes ſine Baptiſmo decedentes carere quidem intuitiva Dei viſione, ſed alia quadam beatitudine donari. 172
Quæ ſententia confutatur. 176
Cauſa peccati efficiens quotuplex, alia externa, alia interna. 239
Interna eſt triplex ignorantia, infirmitas, & malitia. 240
Gravius tamen eſt peccatum ex malitia. 240

Dia-

Diabolus eſt aliquo modo cauſa peccati ab homine patrati. (Vide Diabolus) 240
Quinam hæretici Deum dixerint cauſam peccati. 241
Deum tamen non eſſe probatur pluribus momentis. 242
Chryſoſtomus, expenditur ejus ſententia de peccato originali. 61
Non aſſeruit peccatum Originale eſſe tale metonymice. 62
Chriſtus Deus: de cauſa cur in Chriſto nullum fuerit peccatum Originale diſputant inter ſe Theologi. 120
Fictitia, eſt eorum opinio qui dicunt Chriſtum non contraxiſſe peccatum Originale quod cum Adam peccavit Deus peculiari ſua virtute particulam corporis Adami ſeparavit, quam conſervavit incorruptam ab omni peccato per poſteros Adami uſque ad B. V. M. 120
Minus accurata pariter eſt ea, Chriſtum non contraxiſſe peccatum, quia per carnis concupiſcentiam non fuit conceptus. 121
Ea veriſſima videtur, qua dicitur Chriſtus ſine peccato conceptus, quia vere Deus. ibid.
Clemens Alexandrinus, expenditur ejus ſententia circa peccatum Originale. 48
Quo ſenſu neget Infantes cecidiſſe ſub Adæ execrationem. 49
Suſtinet tamen generationem ex natura malam non eſſe ut volebant hæretici quos impugnabat. 50
Conceptionis Feſtum ſæculo XII. apud quaſdam Eccleſias incæptum. 122
Illud reprehendit Bernardus, quia inconſulta Apoſtolica Sede fuerat introductum. ibid.
Ubique poſtea quotannis celebratum. 140
Ex eo deducitur proponi ut pium Feſtum Conceptionis. ibid.
Exſufflantur illorum exceptiones dicentium illud celebrari ſub nomine ſanctificationis B. M. V. ibid.
Non eſt tamen fide Catholica credendam Immaculatam Conceptionem. 154
Sicuti nec id probant preces in Officio ea die dici ſolitæ. 155
Concupiſcentia alia actualis, alia habitualis. 80
Novatores docent peccatum Originale eſſe formaliter concupiſcentiam habitualem, ita ut hæc per ſe ipſam vere, & proprie peccatum ſit. 80
Sed confutantur eorum momenta. 81
Quo ſenſu doceant Scholaſtici cum D. Thoma concupiſcentiam eſſe materiale peccati Originalis. 88
Sed probatur minus proprie, minuſque accurate dici peccatum Originale eſſe concupiſcentiam quoad materiale peccati. 89
An hæc fuerit Auguſtini opinio. 90
Quo ſenſu doceat peccatum Originale eſſe concupiſcentiam. ib.
Nec pariter formale peccati Originalis eſſe concupiſcentia ratione reatus. 93
De concupiſcentia acriter cum Pelagianis pugnavit Auguſtinus. 163
Tripliciter accipitur concupiſcentiæ nomen. ibid.
Concupiſcentia prout eſt quædam ad malum propenſio eſt in homine peccati Originalis pœna, & effectus. 164
Ea eſt aliquod malum ſimpliciter loquendo, & ſine addito dici debet mala non bona. 165
Quo ſenſu ſit naturalis. 167
In ſtatu naturæ innocentis fuiſſet generatio abſque concupiſcentia,

quæ nunc eſt peccati effectus. 168
Eſt peccati cauſa, & quo ſenſu. 140

D

Damnatus: æternas non fore damnatorum pœnas aſſeruit Origenes. 274
Immerito ab hoc errore purgatur a nonnullis. 275
Idem docuere Sociniani. ibid.
Æternas eſſe damnatorum pœnas probatur ex utroque Teſtamento. ibid.
Nec non ex SS. Patribus, quorum hoc in negotio conſtans fuit doctrina. 277
Ex Conciliorum definitionibus, & ratione. 279
Solvuntur Objectiones. 283
Immerito erroris inſimulantur ab Huetio Juſtinus, Iræneus, & Arnobius. ibid.
Cur Patres contra Pelagianos agentes dixerint pœnas damnatorum ſi Chriſtiani ſint non fore ſempiternas. 285
Defenditur fides utriuſque Gregorii Nyſſeni, & Nazianzeni. 286
Vindicatur Hieronymus ab errore Origeniano. 294
Ex precibus Eccleſiæ non colligitur damnatorum pœnas habituras eſſe finem. 306
Quid de Trajani liberatione ab Inferis dicendum. 307
Etſi vera foret nihil inferri poſſet contra Catholicam Fidem, de pœnis æternis. 308
Quomodo pœna æterna correſpondeat peccato. ibid.
Delectatio moroſa de cogitatione rei turpis ſine animo rem illam perficiendi eſt peccatum mortale. 238
Quo ſenſu dictum ab Apoſtolo peccatum cum conſummatum fuerit generat mortem. 239
Peccatum delectationis moroſæ tale non eſt ex Auguſtino ut ſola oratione Dominica deleatur. ib.
Dæmon eſt aliquo modo cauſa externa peccati ab homine commiſſi. 240
Ipſi peccata hominum tribuunt Scripturæ. ibid.
An dæmones aliquando Chriſti dominationem ſint agnituri. 289
An eorum pęnę ſint futurę ęternę. (Vide Damnatus.) 275
Deus: quinam hæretici Deum fecerint cauſam primariam peccati. 241
Bellarminus id aſſerit de Simone Mago, & Manichæis. ibid.
Florinus Montani diſcipulus clarius & primus omnium dixit Deum eſſe peccati cauſam. ibid.
Et ſæculo XVI. id docuere Libertini quos oppugnavit Calvinus. ibid.
Qui tamen in eorumdem errorem incidit. ibid.
Deus non eſt cauſa peccati eo ſenſu quo velit, præcipiat, operetur peccatum, tum vero ad illud voluntates hominum excitet. 243
Probatur luculentiſſime ex Scripturis. ibid.
Ex SS. Patribus, & ex Arauſicano, & Tridentino Conciliis. 248
Quomodo foret Deus peccati cauſa. 249
Solvuntur Objectiones ex Scriptura & ratione deductæ. 250
Quo ſenſu dicatur Deus obdurare, vel excœcare homines. 256
Quomodo Deus ſit cauſa materialis peccati, & non formalis. 260
Expenditur ſententia Auguſtini. (Vide Auguſtinus.) 262

Ec-

E

Eccleſia non fundit preces pro damnatis. 306

Effectus peccati: nonnulla peccata ſunt aliorum peccatorum pœnæ, & effectus. 270

Fuit hæc conſtans Auguſtini doctrina. 270

Quomodo unum peccatum conſequens ſit effectus, & pœna alterius præcedentis. ibid.

An id fiat a Deo per ſubtractionem gratiæ efficacis, an vero ſufficientis. ibid.

Eſt firma ſtabiliſque omnium Catholicorum doctrina per peccatum ſaltem mortale aliquam in Anima produci maculam, quæ præterito actu peccati non remanet. 271

Quod negant Lutherani, & Calviniſtæ. ibid.

Macula quæ remanet in peccatore non eſt reatus, ſeu obbligatio ad pœnam. ibid.

Nec proprie loquendo elongatio a Deo. 272

Nec mera privatio gratiæ ſanctificantis. ibid.

Nec accurate loquendo eſt ipſa malitia peccati actualis, quatenus moraliter perſeverat tranſacto phyſice actu peccati. ibid.

Sed potius dicendum maculam peccati eſſe id quo formaliter Anima eſt & denominatur coinquinata per modum qualitatis inhærentis per peccatum productæ. 273

Hac qualitate admiſſa explicantur Scripturæ, & Conciliorum teſtimonia, quæ hominem peccato maculatum perhibent. ibid.

Exiſtere aliquem peccati reatum conſtat ex Scripturis. 274

Quid ſint reatus culpæ, & pœnæ. 274

Eraſmus erroris Pelagianorum circa peccatum Originale ſuſpicionem dedit. 13

Sed ejus fides vindicatur. 14

Æterna vita quid per eam intellexerint Pelagiani. (Vide Vita æterna) 173

Æterna pœna an revera talis futura ſit illa damnatorum, & Dæmonum. (Vide Damnatus, & Dæmon.) 274

Excœcatio hominum quomodo Deo tribuatur in Scripturis. 256

G

Gregorius Nyſſenus ejus loca Origeniano errori prima fronte faventia non fuere ab Origeniſtis corrupta. 288

Immerito Huetius contendit Gregorium Origeniano errori fuiſſe infectum. ibid.

Dogma de æternitate pœnarum Inferni, manifeſto adſtruit pluribus in locis. ibid.

Quo ſenſu dixerint futurum aliquando ut Dæmones Chriſti Dominationem confiteantur. ibid.

Quid ſibi vult cum toties declarat multam fore aliquando nequitiam & vitioſitatem. ibid.

Gregorius Nazianzenus an dubitaverit de pœnarum Inferni æternitate. 290

Quid intellexerit per ignem quo baptizabuntur peccatores & omnia eorum peccata eſſe conſumenda. 290

Gregorius Magnus: Trajani hiſtoria precibus Gregorii liberati eſt fabuloſa. 307

H

Hieronymus: quo ſenſu reprehenderet in Pelagianis quod dicerent iniquis & peccatoribus non eſſe parcendum in die judicii. 293

An

An putaverit peccatorum Chriſtianorum pœnas aliquando finiendas. 298

Perperam nonnulli Theologi male de Hieronymo ſentiunt hac in re. 303

I

JEremias fuit in utero matris ſanctificatus per divinæ gratiæ infuſionem quamvis in peccato Originali juxta communem legem conceptus. 121

Ignorantia rerum naturalium eſt quædam pœna peccati Originalis. 162

Non pertinet hæc ad naturalem hominis conditionem. 163

Eſt aliquando peccati cauſa. 259

Illyricus Manichæorum doctrinam renovans docuit peccatum originale eſſe malam quandam ſubſtantiam a Dæmone factam. 76

Induratio hominum quomodo Deo tribuatur in Scripturis. 256

Infans ſine Baptiſmo: Pelagiani docuere Infantes ſine Baptiſmo decedentes non intraturos in regnum Cœlorum, ſed habituros vitam æternam. 171

Vincentius quidam vult eos non excludi a regno Cœlorum. ibid.

Alii cum D. Thoma dixere eos privandos viſione intuitiva, ſed non percepturos dolorem ex hujuſmodi privatione. 172

Catharinus eis tribuit beatitudinem tantum naturalem. ibid.

Quem ſequutus eſt Cardinalis Sfondratus. ibid.

Infantes ante Baptiſmum ſuſceptum non habebunt vitam æternam. 173

Quid intellexerint Pelagiani per illam vitam æternam, quam tribuebant infantibus ſine Baptiſmo decedentibus. 173

Infantes ſine baptiſmo decedentes nulla fruuntur cœleſti beatitudine. 176

Ex privatione beatificæ viſionis paſſuri ſunt internum Animi dolorem. 177

Contraria opinio accedit ad illam Catharini, & Sfondrati. 178

Quin non parum favet Pelagianis ipſis. 178

Infantes cum ſolo peccato Originali decedentes torquentur in Inferno pœna ſenſus. 179

Colligitur ex deſcriptione Judicii Generalis Matth. 25. & *ex perpetua & conſtanti veterum traditione*. 182

Probatur quoque ex D. Auguſtino. 183

Auguſtini ſententiam in hoc amplexa eſt univerſa Eccleſia Africana. 186

Fuit etiam hæc doctrina Concilii Florentini. 190

Probatur etiam rationibus Theologicis. 190

Oppoſita ſententia nullo plane nititur fundamento. 190

Solvuntur Objectiones. 192

Perperam Adverſarii ſuæ ſententiæ Patronum faciunt Auguſtinum. 196

Horum ſententia diei nequit communis apud Theologos. 199

Nihil crudelitatis Deo tribuit ſententia docens Infantes ſine peccato decedentes puniri pœna ſenſus. 200

Quomodo hoc Pelagianorum Argumentum ſolvit Auguſtinus. 201

Infantium pœna eſt omnium leviſſima & mitiſſima. 202

Infernus an ejus pœnæ ſint futuræ æternæ. (vide Damnatus)

Joannes Baptiſta ante ſui nativitatem fuit in utero Matris ſanctificatus etſi in peccato originali conceptus. 121

Iræneus numquam docuit animas impiorum æternis cruciatibus haud eſſe puniendas. 284

Ju-

Juſtitia Originalis : Adam creatus fuit in juſtitia Originali. 160
Hæc fuit gratia ſupernaturalis. ib.
Juſtitiæ originalis privatio eſt primus originalis peccati effectus. ibid.
Juſtinus immerito ab Huetio inſimulatur erroris circa Animæ immortalitatem, & æternitatem pœnarum in damnatis. 283

M

Maria nulla apud veteres uſque ad ſæculum XII. fuit diſceptatio de Conceptione B. V. M. an fuerit immaculata nec ne. 121
Huic occaſionem dedit obſervatio Feſti, quæ apud quoſdam inoleverat. 122
In hunc invehit S. Bernardus, quia inconſulta Sede Apoſtolica Inſtitutum. ib.
Sed ſimul negat Sanctitatem ejus Conceptionis. ib.
Perperam Mabillonius & alii contendunt ab hoc D. Bernardum defendere. 121
In Sententiam Bernardo oppoſitam ivere cum ſuo Doctore Scoto Minoritæ. 125
Academia Pariſienſis Minoritis adhæſit. 126
Quin nec paſſa eſt quempiam contrariam partem habere, ſed ſtatim acriter impugnavit. 126
Concilium Baſileenſe decretum edidit de Conceptione immaculata B. M. V. 127
Confirmatum fuit ſolemni conſtitutione a Facultate Pariſienſi. ib.
Per Decretum Sixti IV. Liberum cuique de Conceptione tenere, cum nondum ſit id a Romana Eccleſia & Sede Apoſtolica deciſum. 129
Conſtitutio Sixtina confirmata a Tridentino Concilio. ibid.
Pius V. libertatem dedit Catholicis Doctoribus ſentiendi, ſed vetuit publice de illa diſputare, vel vulgari lingua ſcribere. 130
Gregorius XV. & Alexander VII. innovarunt conſtitutiones in favorem immaculatæ Conceptionis, abſque præjudicio tamen ſententiæ oppoſitæ. 130
Tres ſententiæ circa Conceptionem B. M. Virginis. 131
Quid ſit contrahere quoad actum, & quoad debitum. 131
B. V. Maria contraxit peccatum Originale quoad debitum. 131
Hac ſublata ſententia vix explicari poteſt quomodo pro B. M. Virgine fuerit Chriſtus Dominus mortuus. 132
Cum ad dignitatem maternitatis divinæ deſtinata fuit prævifo tunc omnium hominum peccato, illam videbat Deus eodem debito obſtrictam, ac alii. 133
Explicatur mens Concilii Tridentini nolentis in ſuo decreto de peccato originali involvere Mariam. 133
B. V. M. non fuit in peccato originali concepta. 134
Probatur a multis ex loco Gen. 3. 134
Nec non ex variis antiqui Teſtamenti figuris, & ex Patrum elogiis. 135
Expenditur an hæc omnes probationes ſint idoneæ ad probandam B. M. V. immaculatam conceptionem. 136
Probatur autem ſententia alio pacto. 138
Non eſt negandum eſſe hanc ſententiam ut piam tenendam ab Eccleſia. 140
Feſtum Conceptionis non celebratur ratione tantum ſanctificationis ejus in utero. ibid.
Plus honoris certe eſt deferendum
Ma-

Digitized by Google

Mariæ, quam Joanni Baptiſtæ. 141
Scripturæ locutiones aſſerentis homines in Adamo peccaſſe explicantur quoad debitum, non quoad actum. 142
Patres & Scriptores Eccleſiaſtici eximunt ſolum Chriſtum a peccato Originali, quia illud nec quoad actum, nec quoad debitum contraxit. 146
Explicantur teſtimonia in contrarium allata a Bandello. 147
An Auguſtinus putaverit B. V. M. fuiſſe in peccato conceptam. ib.
Quomodo B. V. M. a Chriſto redempta ſi nullum contraxit peccatum. 148
Faber Stabulenſis, Richerius, & alii ſuſtinent immaculatam Conceptionem ut Dogma Fidei. 151
Sed fide Catholica non propugnari efficaciter probatur. ib.
Concilium Baſileenſe ſententiam de Immaculata Conceptione vult eſſe tenendam tantum ut piam & cultui Catholico, & fidei Catholicæ conſonam. 153
Ex ejus Feſto, Officio, Indulgentiis &c. non deducitur eam eſſe de fide. 155
Quo ſenſu Facultas Pariſienſis dicat pertinere ad fidem. 158
Miſeriæ Corporis ſunt peccati Originalis effectus. 168
Contrarium docuere Pelagiani, qui confutantur. ibid.
Mors: ea non fuiſſent obnoxii homines ſi Adam non peccaſſet. 169
Adeoque mors eſt effectus peccati originalis. ibid.
Quo ſenſu Adam in Statu juſtitiæ originalis fuiſſet mortalis. ibid.
Mortale peccatum quodnam ſit, & unde dictum. 214
Peccati mortalis & venialis diſcrimen oppugnavit Calvinus, docens omnia peccata ex natura ſua eſſe mortalia. 215
Stoici ante ipſum docuerunt omnia peccata eſſe paria. ibid.
Oſtenditur non omnia peccata eſſe ex natura ſua mortalia. 216
Mortale non differt a peccato veniali per hoc, quod primum ſit contra præceptum alterum contra conſilium, ut vult Scotus. 225
Neque per hoc quod primum ſit circa finem, alterum circa Media. 226
Neque per hoc quod mortale ſit contra legem, aut præceptum, veniale autem ſit præter legem. 226
Neque per hoc quod mortale obliget ad pœnam æternam, veniale ad temporalem tantum. ibid.
Sed præciſe & formaliter differunt propter objectum, finem, modum agendi, & circumſtantias quibus induitur actio peccantis. ibid.
Ex multis venialibus non conflatur unum mortale. 227
Quomodo per multa levia furta evadat quis reus peccati mortalis. ibid.
Mortale producit in anima maculam. 271
Quid ſit hujuſmodi macula. (vide Peccati effectus.) 271

O

Origenes expenditur ejus ſententia de peccati Originalis exiſtentia. 53
Immerito a nonnullis purgatur ab errore quod æternæ non ſint damnatorum pœnæ. 274
Omiſſio. (vide peccatum Omiſſionis.)
Originale peccatum. Pelagiani conjurati hoſtes Catholici Dogmatis de exiſtentia peccati Originalis. 10

Pri-

Primus Pelagiani erroris Sator fuit Rufinus. 12
Armeni, Albanenſes, Sociniani & Anabaptiſtæ in hoc cum Pelagianis conveniunt. 13
Eſt hoc fundatiſſimum Eccleſiæ Catholicæ dogma in omnes & ſingulos homines vel etiam infantes peccatum Adæ non per imitationem, ſed veram propagationem fuiſſe transfuſum. 14
Quædam Scripturæ loca ad id probandum excipiuntur. ibid.
Probatur ex libro Job. 15
Et ex nonnullis aliis veteris Teſtamenti locis. 16
Sed efficacius ex pluribus Novi Teſtamenti. 17
Potiſſimumque ex Paulo Apoſtolo. ibid.
Idem Dogma probatur ex SS. Patribus. 20
Aſſeritur idem Dogma ex Conciliis & Summis Pontificibus. 29
Eadem veritas Catholica probatur ratione. 31
Qua uſus eſt Auguſtinus contra Pelagianos agens. 31
Solvuntur cavillationes contrariæ ad probationem deſumptam ex Cap. 5. Epiſtolæ ad Romanos. 34
Quo ſenſu dictum ab Ezechiele *filius non portabit iniquitatem Patris*. 39
Non recte Maldonatus reprehendit Auguſtinum in eo quod peccatum Originale dixerit voluntarium voluntate aliena. 41
An peccatum Originale dici queat naturale. 43
Syſtema peccati Originalis non favet Manichæis. 43
Non pugnat cum juſtitia Dei. 44
Non ſequitur ex eo Nuptias eſſe malas. 44
Solvuntur objectiones ex SS. Patruum teſtimoniis deſumptæ. 46
Expenditur ſententia Tertulliani. ibid.
Nec non Clementis Alexandrini. 48
Optati, Hieronymi, & Arnobii. 56
Nec non Origenis. 57
Athanaſii, Baſilii, & Gregorii Nyſſeni. 59
Ac demum Theodoreti. 69
Quinam negaverint peccatum Originale eſſe vere tale. 72
Probatur peccatum originale, quod omnes & ſinguli homines ab Adame traxerunt veri nominis peccatum eſſe. 73
Originalis peccati eſſentia: quid ſit peccatum Originale. 75
Non eſt mala quædam ſubſtantia, ut poſt Manichæos aſſeruit Illyricus. 76
Non eſt formaliter ipſa concupiſcentia habitualis ad ſenſum Novatorum. 81
Quænam abſurda conſequantur ex Novatorum doctrina. 82
Neque in prava quadam & morbida qualitate ſita eſt peccati Originalis eſſentia, ut voluere nonnulli Scholaſtici. 86
Quo ſenſu doceant Scholaſtici cum D. Thoma concupiſcentiam eſſe materiale peccati Originalis. 88
Sed minus proprie & minus accurate dicitur peccatum originale eſſe concupiſcentiam quoad materiale peccati. 89
An hæc fuerit opinio Auguſtini. 90
Minus proprie etiam dicitur formale peccati Originalis eſſe concupiſcentiam ratione reatus. 93
Auguſtinus quæſtionem Scholaſticam de ratione formali & ſpecifica peccati Originalis non agitavit contra Pelagianos. 93
S. Anſelmus docuit originale peccatum

catum eſſe carentiam juſtitiæ originalis. 94
Quem ſecuti ſunt Scholaſtici diverſo modo rem explicantes. ib.
Sed probatur minus proprie dici eſſentiam peccati originalis poſitam in privatione vel jactura juſtitiæ originalis. 95
Expenditur ſententia Catharini, & Pighii. 97
Ab omni erroris & hæreſeos nota laudati viri purgantur. ibid.
Quamnam imputationem iſti admiſerint. 97
Probatur Originale peccatum non eſſe ipſum Adæ peccatum nobis imputatum imputatione tantum extrinſeca ad ſenſum Pighii & Catharini. 98
Recte vero dicitur peccatum originale eſſe ipſum Adæ peccatum moraliter perſeverans prout nobis intrinſece imputatum, hoc eſt ſingulis hominibus in eo moraliter contentis vere ac proprie communicatum. 99
Aſſertio variis Auguſtini teſtimoniis probatur. 100
Quomodo hæc ſententia concilietur cum Patrum locutionibus, quod ſcilicet peccatum Adæ tranſmittatur trajiciatur. 103
Eſt plane diverſa ab illa Pighii & Catherini. 104
Vocabulum imputationis in hoc negotio fuit uſurpatum etiam ab Auguſtino. 105
Quomodo peccatum Originale in unoquoque Phyſice exiſtat, ſi moraliter traducitur. ibid.
Ad explicandum modum quo traducitur nonnulli voluere animam cum corpore traduci. ibid.
De hoc etiam dubitavit Auguſtinus. 108
Alii dixere peccatum Originale traduci quia infunditur anima in corpus vitiatum. 108
Alii per concupiſcentiam. 109
Alii quia ex ſuprema Dei voluntate ſtatutum fuerat ut omnium voluntates in Adami voluntate continerentur, adeo ut eo peccante peccaverint. ibid.
Ex ſolo peccato Adami facta originalis peccati traductio. 100
Adeoque Eva peccante, ſi Adam non peccaſſet cæteri homines peccatum originale non contraxiſſent. 100
Adamo non peccante ſi aliqui ex ejus poſteris peccaſſent nullum veroſimiliter futurum fuiſſet peccatum originale. ibid.
Probabilius futurum fuiſſet, ut etſi non peccaſſet Adam, vel ejus poſteri in juſtitia originali non fuiſſent confirmati. ibid.
Primum peccatum quo tota vitiata eſt natura fuit inobedientia. 111
Peccatum originale eſt æquale in omnibus. ibid.
Præter primum Adami peccatum quod originale eſt, nulla alia vel ipſius Adami, vel poſteriorum parentum peccata traducuntur in poſteros. 112
Nunquam id docuit Auguſtinus, ſed tantum aſſeruit peccata Parentum tranſire in filios quoad reatum pœnæ & quidem temporalis, non autem quoad reatum culpæ. 113
Originale peccatum eſt in voluntate veluti in ſubjecto immediato. 116
Filios fidelium non contrahere peccatum originale docent Calviniſtæ, quicquid in contrarium dicat Chamierus. 117
Adverſus hos probatur filios fidelium uti & alios homines contrahere peccatum originale, adeoque falſum hujuſmodi peccatum propter parentes ex quibus nati ſunt ipſis non imputari. 116

Num

Digitized by Google

Num alii quidam concepti fuerint ſine peccato originali. 120
Quinam ſint peccati Originalis effectus. 160
Primus effectus fuit privatio juſtitiæ originalis. ibid.
Quomodo id intelligi debeat. ib.
Homo per peccatum originale fuit vulneratus in naturalibus. 161
Non tamen ut aliqua perfectione naturali & ſubſtantiali fuerit ſpoliatus. 162
Neque præciſe ex eo quia deſtitutus donis indebitis & ſupernaturalibus, ſed quia infirmiores remanſerunt ejus potentiæ naturales. 162
Ignorantia etiam rerum naturalium eſt quædam peccati originalis pœna. (vide Ignorantia) 162.
Concupiſcentia eſt in homine etiam peccati originalis pœna. 164
Morbi, aliæque corporis miſeriæ, & præſertim ipſa mors ſunt effectus peccati originalis. 168.
Externi quidam peccati originalis effectus recenſentur. 171
Quæ ſint pœnæ Infantium ſine baptiſmo decedentium. 171

P

Pariſienſis Facultas ſententiam Minoritarum circa immaculatam Conceptionem amplexa eſt. 126
Quin nec paſſa eſt quemquam Dominicanorum partem tueri. ib.
Confirmavit decretum Concilii Baſileenſis de Immaculata Conceptione. 127
Nullus ad lauream Doctoralem admittebatur quin ſacramento non ſe obſtringeret ad eam ubique tuendam. 128
Multi hujus Facultatis Doctores eredidere hanc ſententiam tamquam certam fide Catholica eſſe tenendam. 151
Ipſa tamen Facultas numquam id ſuſtinuit. 156
Decreta Conſtitutiones & Cenſuræ Facultatis Pariſienſis in oppoſitam ſententiam intelligi debent non de Fide Catholica, ſed de fide privata ac particulari qua ſuos voluit adſtrictos alumnos. 157
Decreta minime adverſantur conſtitutionibus Pontificiis. 158
Peccatum quot modis ſumatur in Scripturis. 3
Quomodo malum, peccatum, & culpa inter ſe differant. 4
Examinantur variæ peccati definitiones traditæ ab Auguſtino. ibid.
Definitur quid ſit voluntaria legis tranſgreſſio. ibid.
Certum eſt nullum eſſe peccatum quod non ſit aliqua lege vetitum. 6
Sed ut peccatum ſit, aut debeat lege æterna, vel divina prohibitum diſſentiunt Theologi. ib.
Dicendum non omnia ideo peccata eſſe, quia lege æterna, vel divina prohibentur. 7
Sunt plura, quæ ſunt ex ſe, & ex natura ſua intrinſece mala quia cum natura rationali manifeſte pugnant. 8
An per rationem naturalem intelligi hic debeat judicium rationis actuale. ibid.
Diviſio peccatorum. 9
Alia carnalia; alia ſpiritualia. ibid.
Alia contra Deum, alia contra ſeipſum, alia contra proximum. ibid.
Quænam ſint peccata oris, cordis & operis. ibid.
Aliud eſt peccatum originale, aliud actuale. 10

Digitized by Google

Denique aliud mortale, aliud veniale. ibid.

Peccatum commiſſionis per quid formaliter conſtituatur. 203

In hoc peccato diſtinguuntur formale, & materiale illius. ibid.

Cajetanus in quo conſtituat formale peccati. ibid.

Alii contendunt cum Scoto formalem rationem peccati eſſe poſitam in quadam relatione extrinſeca diſconvenientiæ humanæ operationis cum natura rationali. 204

Tertia demum ſententia vult formale peccati conſiſtere in mera privatione rectitudinis debitæ actui. ibid.

Controverſia hæc cum ſit pure metaphyſica non eſt auctoritate finienda. ibid.

Probatur peccatum formaliter conſtitui in ratione peccati per privationem rectitudinis debitę actui. 205

Confutantur aliæ duæ ſententiæ. ibid.

Quænam ſit illa privatio in qua conſiſtit ratio formalis peccati. 206

Quomodo ſtante hac ſententia peccatum commiſſionis differat ab illo omiſſionis. 207

Quomodo peccatum commiſſionis quod opponitur præcepto negativo, non ſit de ſe poſitivum. ibid.

Peccatum Omiſſionis quid per ipſum intelligatur. 208

Ut plurimum & moraliter loquendo nullum eſt peccatum omiſſionis, ſine aliquo actu interno, vel externo antecedente vel concomitante, qui ſit cauſa illius. 209

Abſolute tamen loquendo dari poteſt peccatum omiſſionis abſque ullo actu vel antecedente, vel concomitante. 210

Quomodo tunc tale peccatum omiſſionis eſſet voluntarium. ibid.

Quodnam diſcrimen inter omiſſionem actualem, & habitualem. 211

Utrum per plures omiſſiones aliqui generentur habitus. 212

Quandonam imputari debeat omiſſio ad culpam. ibid.

An actus antecedens omiſſionem, vel cum ea conjunctus ſi ſit incompoſſibilis cum actu præcepto qui omittitur ſit peccatum. 213

Utrum actus qui eſt cauſa directa, vel indirecta omiſſionis ſit peccatum commiſſionis, vel omiſſionis. ibid.

Undenam petenda peccati omiſſionis gravitas. 214

Peccatum Mortale (Vide mortale.)

Peccatum Veniale (Vide veniale.)

De Peccatorum proprietatibus. ib.

Suam diſtinctionem ſpecificam non deſumunt peccata a diſtinctione præceptorum. 231

Bene vero ab objectis, a quibus pariter deſumitur prima cauſa inæqualitatis peccatorum. ibid.

Altera deſumitur ex fine. 232

Tertia ex ipſa voluntate. ibid.

Quarta ex circumſtantiis. ibid.

Peccata omnia ſaltem quoad reatum non ſunt connexa. ibid.

Neque hanc connexionem probant Apoſtoli Jacobi verba, *offendens in uno factus eſt omnium reus*. ibid.

Peccatum quodcumque dici non debet infinitum. 233

Si peccatum eſſet infinitum omnia peccata eſſent paria. ibid.

Gravitas offenſæ creſcit pro dignitate perſonæ læſæ ſecundum quid, & ſervata proportione. 234

Peccati ſubjectum eſt voluntas. 235

Non eſt peccatum actuale in membris.

bris exterioribus tamquam in ſubjecto. ibid.
Non reperitur formaliter in ratione, ſeu intellectu, ut vult D. Thomas. 236
An ſit aliquod peccatum formaliter in appetitu ſenſitivo veluti in ſuo ſubjecto. (Vide appetitus.) ibid.
Actus exterior aliquam bonitatem, vel malitiam moralem non addit actui interiori voluntatis. 238
Peccatorum cauſa quæ ſit. (Vide Cauſa.)
Pelagiani hoſtes peccati Originalis. 10
Negabant concupiſcentiam eſſe effectum peccati Originalis. 164
Quin illam bonam eſſe dicebant. 164
Negabant mortem, aliaſque corporis miſerias eſſe peccati Originalis effectus. 166
Infantibus ſine baptiſmo decedentibus tribuebant vitam æternam. 171
Quid per illam vitam æternam intellexerint. (Vide Vita ęterna.) 173
Pœna Damni in quonam conſiſtat. 171
Eam patiuntur Infantes ſine Baptiſmo decedentes. 172
Et quidem cum interno animi dolore quicquid dicat Catherinus. 177
Pœna ſenſus in quonam conſiſtat. 179
Ea torquentur Infantes cum ſolo Peccato Originali decedentes. ibid.
Probatur ex deſcriptione Judicii Univerſalis, quæ legitur Matt: 25. 180
Ex perpetua & conſtanti traditione. 183
Sed præſertim ex Auguſtino, cujus varia loca ab adverſariis objecta ſolvuntur. 196
Nihil crudelitatis in Deo eſt quod pœna ſenſus puniat Infantes ſine baptiſmo mortuos. 200
Quorum tamen pœnam eſſe mitiſſimam docuit Auguſtinus. 202
Pœnæ damnatorum an ſint æternæ. (vide Damnatus)

R.

Reatus peccati quid ſit. 274
Duplex diſtinguitur, alius reatus culpæ, alius pœnæ. ibid.
Rufinus primus parens fuit Pelagiani Dogmatis teſte Mercatore. 12
Controvertitur quis ſit iſte Rufinus. ibid.

S.

Sociniani docuere omnes homines in Adam peccaviſſe per imitationem tantum. 13
Negarunt æternas fore damnatorum pœnas. 274

T.

Tertullianus: expenditur ejus ſententia circa peccati Originalis exiſtentiam. 46
Quo ſenſu dixerit in Infantibus nullum eſſe peccatum, & ideo non baptizandos. ibid.
Cur ſolam Ethnicorum nativitatem immundam appellaverit. 47
Theodorus Mopſueſtenus, teſte Mercatore peccati Originalis exiſtentiam denegavit. 10
Theodoretus: examinatur ejus ſententia circa peccatum Originale. 69
Non negavit peccatum Originale eſſe verum peccatum. 69
Trajanus: ejus liberatio a pœnis Inferni precibus Gregorii Magni facta eſt omnino fabuloſa. 307

Ve-

Digitized by Google

V

Veniale peccatum quodnam ſit . 214
Calvinus docuit peccata quæ venialia dicunt talia eſſe propter miſericordiam Dei , ea condonare volentis , licet mortem mereantur æternam . 214
Dantur peccata , quæ venialia ſunt ex natura ſua , & independenter a conditione peccantis aut miſericordia Dei . 216
Nunquam Auguſtinus docuit in ſolam Miſericordiam Dei refundi , quod aliqua peccata ſint venialia . 221
Gerſonius , & alii putantes peccatum eſſe ſolummodo veniale ex Miſericordia Dei , cum Calviniſtis hac in parte confundi non debent . 223
Peccatum veniale remittitur ex juſtitia ſimul , & Miſericordia Dei . 224
Quanam ratione veniale differat a mortali . 225
Referuntur , & confutantur variæ ſententiæ . ibid.
Præciſe & formaliter differt veniale a mortali propter objectum , finem modum agendi , & circumſtantias , quibus induitur actio peccantis . 226
Ex multis venialibus non fit unum mortale . 227
Quomodo per multa levia furta evadat quis reus peccati mortalis . 227
Nunquam Auguſtinus docuit multa peccata venialia idem efficere ac unum mortale . 228
Veniale peccatum eſt diſpoſitio ad mortale . 229
Veniale fieri poteſt mortale per accidens . ibid.
Non cauſat maculam in anima . 229
Peccata venialia convenienter per lignum , fœnum , ſtipulam deſignantur . 230
Homo in ſtatu innocentiæ non potuit venialiter peccare . ibid.
Peccatum veniale poteſt eſſe cum ſolo Originali ſine mortali . 231
Vita æterna : Pelagiani docuere Infantes ſine Baptiſmo decedentes , habituros vitam æternam . 171
Sed confutantur teſtimoniis S. Auguſtini docentis non aliud eſſe vitam æternam , quam regnum Cœlorum . 173
Conrius Hibernus putat Pelagianos per vitam æternam intellexiſſe beatitudinem ſupernaturalem ſitam in clara Dei viſione aut ſaltem id intellexiſſe de Pelagianis Auguſtinum . ibid.
Sed probatur Pelagianos per illam vitam æternam intellexiſſe beatitudinem quamdam naturalem , quam parvulis extra regnum Cælorum tribuebant . 194
Auguſtinus dupliciter accipit vitam æternam , & ad ſenſum Pelagianorum pro beatitudine naturali quadam , quo ſenſu eam oſtendit fictitiam , & ad ſenſum Catholicorum , ubi poſitive demonſtrat a Regno Cœlorum non eſſe diſſitam . 176

F I N I S.

2017791

5-2

Digitized by Google